



BIBLIOTHECA

SCRIPTORVM

SACRI ORDINIS

CISTERCIENSIS.

BIBLIOTHECA SCRIPTORVM SACRI ORDINIS CISTERCIENSIS

ELOGIIS PLVRIMORVM MAXIME ILLVSTRIVM ADORNATA,

OPERE ET STVDIO

R. D. CAROLI DE VISCH, PRIORIS,

Cœnobij B. Mariæ de Dunis, S. Theol. Professoris.

EDITIO SECVNDA,

AB AVTHORE RECOGNITA, ET NOTABILITER AVCTA; INSERTIS ET ADIVNCTIS, DIVERSIS OPVSCVLIS Antiquorum Patrum Ordinis Cisterciensis.

ACCEDIT

CHRONOLOGIA ANTIQVISSIMA MONASTERIORVM ORDINIS CISTERCIENSIS,

A QVADRINGENTIS (ET QVOD EXCVRRIT) Annis concinnata,

Ex pervetusto Dunensis Bibliothecæ codice eruta,

Et certioribus aliarum aliquot Abbatiarum monumentis suppleta,

PER EVNDEM D. CAROLVM DE VISCH DVNENSIVM PRIOREM.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Apud IOANNEM BVSÆVM Bibliopolam.

Anno M. DC. LVI.

SERIES OPVSCVLORVM HVIC

BIBLIOTHECÆ INSERTORVM.

EPISTOLA

ADMODVM REVERENDO, AMPLISSIMOQVE DOMINO, DOMINO GERARDO DE BARE, CLARISSIMI CAENOBII BEATÆ MARIÆ DE DVNIS, ORDINIS CISTERCIENSIS ABBATI DIGNISSIMO.



Vblicaui, iam à ſexennio (*Adm. Reuerende, Ampliſsimeque Domine*) Bibliothecam Scriptorum Sacri Ordinis noſtri, varijs elogijs ornatam, quæ tanto cum plauſu ab vniuerſo Ordine excepta fuit, vt diſtractis (intra paucos annos) omnibus exemplaribus, vndique noua editio deſiderata fuerit: hinc plures Ordinis Abbates, alijque Viri doctrinâ, pietate, ac etiam eccleſiaſtica dignitate clariſsimi (præſertim ex Italiâ & Gallia)

Gallia)

Gallia) tranſmiſsis ad me pluribus adhuc illuſtribus Scriptoribus priori Bibliothecæ incognitis, inſtanter ſecundâ editionē expetierunt; vt plenius, hinc, omnibus innoteſcat, quomodo Ciſtercienſis Ordinis Profeſſores omni tempore, non ſolum vitæ ſanctimonia, verum etiam doctrina & ſcriptis Eccleſiam egregiè illuſtrauerint, & propugnauerint; inſuperque ipſius Ordinis Religioſi conſiderantes tot prædeceſſores ſuos litterarijs monumentis diuinum honorem ampliando, Ordinemque ſuum illuſtrando, immortalia nomina promeritos eſſe; ipſi quoque ad Studiorum amorem inflammentur: quæ reueipà (experientia quotidiana demonſtrante) omnibus Religioſis pietatem & perfectionem ſitientibus, intantum neceſſaria ſunt, vt in Congregationibus vbi hæc deſunt, neceſſe ſit pietatem omnem interire, Religionem extingui, ſpiritualia pro temporalibus commutari, ac tandem, pro terra cælum dimitti: his, alijſque authoritatibus & rationibus libenter acquieſcens, primum opus recognoſcens, in multis correxi, ac poſteà notabiliter auctum (acceſsione præſertim aliquot breuium tractatuum diuerſorum antiquorum Patrum Ordinis noſtri) præli beneficio in Orbem emittere decreui. At non niſi ſub nominis & fauoris veſtri patrocinio (*Adm. Reuerende Domine*) cui vni, poſt Deum, vniuerſi labores mei vltrò deſeruire debent; vtpotè, quem nuper concordibus votis, actionum noſtrarum Præſidem, & animarum Rectorem Dunenſes omnes elegimus, vt turbatiſsimis hiſce temporibus, nu-

merosam

merosam congregationem nostram generosè sustentes, & fortissimis exemplis ad perfectionis metam protrahas. Accipe itaque, bonique consule (*Religiosissime Pater*) hoc aliquale Filialis obseruantiæ monumentum, & deuotæ mentis obsequium, illudque solitâ benignitate defende, quatenus clarissimi nominis tui sydere illustratum, authoritatisque clypeo protectum, præcipitem Momorum garrulitatem, mordacesque Zoilorum dentes contemnendo, facilius euadat. Quo fiet vt animos addas, ad feruentius adhuc Deum Optim. Max. orandum, vt *Reuerendam Adm. Dominationem Vestram* in arduâ negotiorum suorum mole, summo Communitatis nostræ bono gnauiter desudantem, faustè ac feliciter in omnibus dirigat, & longissimis annis incolumen tueatur.

Brugis, ex Monasterio
Vestro de Dunis.
20, Maij, 1655.

Admodum Reuerendæ, Dominationis
Vestræ humillimus in Christo
Filius

F. CAROLVS DE VISCH,
Religiosus & Prior Dunensis.

LECTORI BENEVOLO
AVCTOR.



TAMETSI prælegente Symmacho (*Lib. 5. epist. 85.*) iam pridem didicerim, Amice lector, beneuolentiæ tuæ proprium esse, mediocribus etiam scriptis benignè fauere; nihilominus, ne forte obliqua maleuolorum iudicia, aut seueriores sciolorum quorundam censuræ (quæ vix vllis, quantumuis vtilissimis scriptis, deesse solent, adeoque haud dubiè nec huic parcent) animum tuum nonnihil moueant, aut saltem suspensum detineant, operæ pretium duxi, de nonnullis te hîc præmonere.

1. Nullum me scriptorem (præsertim antiquum, aut vitæ sanctimoniâ, vel ecclesiasticâ dignitate clarum) contempsisse, aut, ab hâc bibliothecâ exclusisse, cuius notitiam assequi potuerim; etiamsi paucas dumtaxat doctrinales & notabiles epistolas, concionem, vel orationem insignem & raram, aut alium quempiam breuem tractatulum edidisse comperecim. Tum quod idē in aliorum ordinum bibliothecis hinc indè obseruauerim; tum etiam, quod subindè fieri possit, vt alibi adhuc aliæ lucubrationes eorundem authorum lateant, quæ nobis hic incognitæ sunt; & è contra scripta hic à me commemorata, ab alijs ignorentur, vbi cætera sciuntur. Accedit, quod si iuxta Trithemium (*De laude scriptorum, cap. 15.*) nullus liber aut tractatus tam exilis aut abiectus reperiatur, qui non ex aliqua parte prodesse possit, adeò vt etiam (notante Plinio) in Ennij stercoribus Virgilius aurum repererit; constanter affirmare ausim, nullum hîc opusculum recenseri, quod æquum suum Lectorem vtilitate priuabit. Interim certò tibi etiam assevero, nullum hic omninò scriptorem Cistercienfibus nostris adtributum, quem non probatissimi historiographi, aut aliàs viri doctrinâ spectabiles, omnique exceptione maiores, talem testentur. Imò in conflictu Doctorum (quem rarissimè offendi) authores nobis militantes expreßè citando, illorum periculo scripsi, meque indemnem seruaui; Non enim eget indebitis aut dubijs honoribus Cisterciensis ordo, veris & certis sufficienter cumulatus.

2. Me plurimos proferre scriptores, quorum opera nondum lucem aspexerunt (in quo etiam aliorum bibliothecariorum exemplum sum secutus) quia scilicet viri illi ingenio & eruditione præstantes, ob præclara doctrinæ monumenta quæ nobis reliquerunt, aut insignem vitæ integritatem, vel aliundè, specialem merentur commendationem, & memoriam inter suos æternam.

Prætereà, fieri etiam exindè poterit, vt plura ex his manuscriptis operibus quandoque lucem aspiciant, adeoque & ipsis authoribus industriæ suæ plenior laus, & alijs legendi fructus constet.

3. Nemini mirum debere videri, si in scriptorum elogijs, styli varietatem & inæqualitatem hinc indè reperiat; quia ex varijs admodum authoribus, & virorum doctissimorum relationibus manuscriptis, illa plerumque collegi (vt sequens te pagina sufficienter docebit,) quorum iu-

dicia

dicia proprijs ipsorum verbis ordinariè recensere volui, quod hæc ipsa maiorem fidem dictis concilient, & certiora ac gratiora plerumque habeantur.

4. Neqnaquam mihi vitio debere verti, si quandoque graues etiam scriptores infrà meritum reperiar laudasse, aut nuda dumtaxat eorum nomina, librorumque titulos recensuisse. Nam quo ad eos qui à sæculis aliquot aut alias in remotioribus prouincijs scripserunt, sufficienter pro me respondebunt, diligentia quam adhibui, laborque quem insumpsi, vt eorundem vberiorem notitiam assequerer. Propterea illis imputandum, qui à me rogati, litteris meis vel omninò non responderunt, vel parcius ea suppeditarunt, quæ rogabantur. Quo ad neotericos verò, præsertim Belgas, nolui passim propriam interponere sententiam, cum ob alia, tum etiam fœdam adulationis notam euitare studens.

5. Molestè haud etiam ferendum, si plures fortè ordinis scriptores præteriti reperiantur. Cum enim manifestum sit, ab ipso fundationis suæ initio, maximè tamen centum ab hinc annis, viris doctissimis abundasse Cisterciensem ordinem, per vniuersum Christianum orbem longè latèque diffusum, quorum plerique, varijs elucubratis operibus, posteris suis præluxerunt, & præsentibus etiamnum illucent, dum diuini honoris amplificandi, reipublicæque iuuandæ gratiâ, continuò adhuc scribunt, & præla fatigant: sed & scribere pergent, quamdiu ordo subsistet; fieri non potuit, quin multorum cognitio ex prouincijs remotioribus, diligentissimum etiam scrutinium effugerit. Præterquam, quod singulorum ferè monasteriorum bibliothecæ, manuscriptis abundent codicibus, quos à personis quidem ordinis scriptos constat, quarum tamen nomina & memoriam deuota & simplex prædecessorum humilitas latere maluit quàm apud posteros celebrari.

Veruntamen congregatis nuper (ab annis sex) post longam inquisitionem, tot Authoribus, quot ad iustam Cisterciensem Bibliothecam constituendam Virorum Doctissimorum iudicio, sufficerent; visum omnino fuit, eosdem præli beneficio Orbi producere; quo sic alij in hanc eandem arenam prouocati, paulatim ex obscuris antiquitatum ruderibus plures adhuc latitantes Scriptores eruerent, quos hisce addentes, vel ipsi in lucem ederent, vel saltem eorum nomina cum librorum titulis mihi transmitterent, quatenus (si manum iterum referri ad tabulam contingeret) ingratis eos tenebris valerem expedire, & condigno inter fratres honore collocare. Id quod ex animi etiam voto successit: nam tot, tantique ex diuersis Prouincijs submissi fuerunt, vt operæ pretium iudicauerim, 2. hanc editionem adornare, quam nunc in lucem profero, priore, notabiliter, auctiorem, & correctiorem; insertis etiam & adiectis egregijs aliquot opusculis diuersorum antiquorum Patrum Ordinis nostri, hactenus ineditis. Quo futurum confido vt candidi quique Lectores, librum hunc tot illustribus Scriptoribus ornatum suspicientes, secundæ huic curæ benignè faueant, Ordinique tot virorum doctorum feraci læti applaudant. Si quis autem aduerterit, me hic nonnullos recentiores adhuc superstites omisisse, quorum in editione prima mentionem feceram, nouerit hoc factum esse, quod illi ipsi adhuc latere maluerint, donec fortè, cum tempore, notabiliori quopiam opere conscripto, celebrius mundo inclarescant.

Denique, cum hinc inde, in Bibliothecâ hâc quosdam Scriptores, Sanctos aut Beatos vocô, quos non constat ab Ecclesia Catholicâ Romanâ Sanctorum aut Beatorum albo fuisse adscri-

ptos; Notum omnibus volo, me aliorum Catholicorum fideque dignorum Scriptorum verba referre, quos proindè Scriptores exprimo, penes quos fidem relinquo; nolens, ex parte meâ, ullum cultum aut venerationem aliquam alicui arrogare, vel famam aut opinionem sanctitatis inducere vel augere; sed, per omnia, inhærere decreto SS. Domini Vrbani VIII. iuxta declarationem ab eodem anno 1631 factam.

F. Carolus de Visch Prior Dunensis.

ELENCHVS

SCRIPTORUM, QUORUM SUBSIDIO INSTRUCTA EST HÆC BIBLIOTHECA CISTERCIENSIS.

IOannes Trithemius, de Scriptoribus Ecclesiasticis.

Balthazaris Werlini Additiones ad Trithemium, de Scriptoribus.

Henricus à Gandauo, de Scriptoribus Ecclesiasticis, cum Scholis & Auctarijs Auberti Miræi.

Guillielmus Eisegreinius, de Doctoribus orthodoxis, seu eiusdem Catalogus testium veritatis.

Bibliotheca Tigurina Conradi Gesneri.

Bibliothecæ eiusdem supplementum, per Antonium du Verdier.

Bibliotheca Gallica Antonij du Verdier.

Bibliotheca Hispaniæ, Andreæ Schotti.

Bibliotheca sancta, Sixti Senensis.

Bibliotheca Vniuersalis Draudij.

Antonij Posseuini, Apparatus sacer.

Ioannes Balæus, de Scriptoribus Britanniæ.

Ioannes Pitsæus, de illustribus Angliæ Scriptoribus.

Iacobus Waræus, de Scriptoribus Hyberniæ.

Thomas Demsterus, de Scriptoribus Scotiæ.

Ioannes Garetius, de veritate corporis Christi in Eucharistia.

Bellarminus, de Scriptoribus Ecclesiasticis.

Syluestri Maurolici, seu, Maruli Ord. Cisterciensis *Mare oceanum*, Italicè.

Barnabæ de Montalbo, Chronicon Cisterciense, Hispanicè.

Chrysostomi Henriquez Phænix reuiuiscens Scriptorum Angliæ & Hispaniæ.

Eiusdem Menologium Cisterciense.

Reuerendissimi Angeli Manriquez, Annalium Cisterciensium tomi tres.

Ferdinandi Vghelli Abbatis S. Anastasij, &c. Italiæ sacræ, tomi tres.

Gasparis Iongelini, notitia Abbatiarum Ord. Cisterciensis.

Eiusdem, Purpura S. Bernardi.

Ioannis Caramuelis Theologia Regularis.

Nomenclator Cardinalium Scriptorum, qui ab anno Christi 1000 quidpiam commentati sunt. Tolosæ impressus 1614.

Antonius Sanderus, de Scriptoribus Flandriæ, deque Gandensibus & Brugensibus eruditionis fama claris.

Ferreolus Locrius, de Scriptoribus Artesiæ.

Bibliotheca Belgica Andreæ Vallerij, editionis 2.dæ

Bibliotheca Belgica manuscripta, collectore, & editore, Antonio Sandero.

Biblio-

Bibliotheca Pontificia, Ludouici Iacob à S. Carolo, Carmelitæ.

Item de Scriptoribus Cabilonensibus.

Hippolyti Maraccij Bibliotheca Mariana, Romæ edita.

Leo Allatius, de Apibus Vrbanis, siue de Viris illustribus qui ab anno 1630. vsque 16.3. Romæ fuerunt, & typis aliquid euulgarunt.

Ioannes Gerardus Vossius, de Scriptoribus Latinis.

Philippi L'Abbei Soc. Iesu, Bibliotheca noua librorum manuscriptorum, Parisijs anno 1653. impressa.

Bibliotheca Cisterciensis M.S. Philippi Seguini, ad Autographum descripta.

Ioannis Bunderij Index librorum M.SS. totius Belgij.

Catalogi nundinarum Francofurtensium, plurimorum annorum, subministrante Clarissimo Viro Antonio Sandero, S. Theologiæ Licentiato &c.

Relationes manuscriptæ à Viris Doctissimis diuersorum Regnorum & Prouinciarum transmissæ. Nimirum,

Relatio Germanica:

Reuerendissimi & Eximij Domini Ioannis Blanckenbergh, S. Theol. Doctoris, Abbatis Veteris montis, & vniuersi Ordinis Cisterciensis per westphaliam & tractum Rheni, Vicarij Generalis, &c. Item,

Reuerendi Adm. Domini, Gasparis Iongelini, Scriptis suis notissimi.

Relatio Gallica:

Reuerendissimi, Eximijque Domini, D. Matthæi de Mesgrigny, Abbatis Pontigniacensis, S. Theol. Doctoris, &c.

Rev.mi Domini, D. Claudij Brissault, Abbatis Morimundensis, &c.

Admodum Rev.di Eximijque Domini, Claudij Chalemot, Abbatis de Columba, in Pictauia, S. Theol Doctoris.

Eximij, & Reuerendi Domini Iosephi Arnolphini de Illescas, S. Theol. Doctoris Sorbonici, strictioris obseruantiæ Ordinis nostri per Gallias professi, &c.

Adm. Reuerendi Domini Placidi Petit, tunc Collegij S. Bernardi Parisijs, Procuratoris; postea Abbatis de Stella, in Pictauia.

Relatio Hispanica:

Perillustris, Reuerendissimi, Eximijque Domini, D. Angeli Manrique, Pacis Augustæ Episcopi, nuper in Salmanticensi Academiâ S. Theologiæ primarij Antecessoris, Regiæ Catholicæ maiestati à sacris Concionibus, congregationis Regularis obseruantiæ in Hispaniâ Generalis emeriti, &c. Item,

Reuerendissimi, & Eximij Domini, D. Ildephonsi Perez de humanas, S. Theol. Doctoris, Regularis itē obseruantiæ nuper Generalis, &c.

Relatio Italica:

Rev.mi, Eximijque Domini, D. Ferdinandi Vghelli, Abbatis SS. Vincentij & Anastasij, Sacri Congregationis Indicis, Consultoris, &c. Scriptis varijs clarissimi, qui plurimos Illustres Italiæ scriptores submisit.

Reuerendi, Doctissimique Viri, Domini Caroli Emanuelis Malduræ, tunc Sacræ Theologiæ Lectoris in Cænobio S. Crucis in Hierusalem, in vrbe Româ, postmodum vero, anno 1653. Abbatis S. Ambrosij, Mediolani.

Reuerendorum item Patrum Fuliensium Cænobij S. Bernardi, de vrbe, ad thermas Diocletianas. *Relationes Belgicæ.*

Ex præcipuis quibuscunque monasterijs totius Patriæ, necnon & Viri Clarissimi Claudij D'oresmieulx Atrebatij, curiosissimi Scriptorũ cuiuscunque facultatis indagatoris, qui, sanè, insignem huic Bibliothecæ symbolam contulit, ac proindè, optimè de Ordine nostro meritus est.

EPISTOLÆ

ALIQVOT VIRORVM ILLVSTRIVM, QVI SYMBOLAM EGREgiam bibliothecæ huic struendæ contulerunt, & collectorem ad eiusdem publicationem excitarunt.

Perillustris, Reverendis. & Eximij Domini, D. ANGELI MANRIQVEZ, Pacis Augustæ in Hispania Episcopi, nuper in Salmanticensi Academia S. Theol. Antecessoris primarij, Regi Catholico à sacris concionibus, &c.

INSCRIPTIO.

Reuerendo in Christo Patri CAROLO DE VISCH, Confessori sanctimonialium Vallis Cæli.

REVERENDE PATER.

LITERAS datas Martij die vndecimâ, quas Paternitas Vestra per Reuerendum Patrem magistrum, Fratrem Iosephum Arnolphini, ad me transmisit, gratanter suscepi, & gauisus sum eam mentem Paternitati Vestræ à Deo inditam, vt Cisterciensis familiæ scriptores diu delitescentes, editâ bibliothecâ in lucem daret. Id ipsum nobis Magister Frater Alphonsus Perez de Humanes, Salmanticensis Abbas, & Reuerendissimus Frater Dionysius Cimbrom, Matritensis, significauerant; remissis litteris Paternitatis Vestræ quibus petebat, vt si quid Phœnici reuiuiscenti Fratris Chrysostomi Henriquez addi posset, integrâ veritate adnotaretur, ut locupletior bibliotheca indè prodiret. Salmanticensi, qui prior nobis scripsit, quæ addere Phœnici, quæque corrigere operæ pretium duximus, remisimus. Pauca profectò, quia eum ipsum laborem (occasione Chronici Cisterciensis quod Aubertus Miræus publicauit, in quo scriptores Hispanos diminutè, atque nimiũ confusè scribit) anteà susceperamus ipsiq; per Chrysostomum remisimus: vndè ille eam partem Phœnicis hausit. Pauca, inquam, sed digna non omitti. Quæ quia ad Paternitatem Vestram missa scio, consultò non repeto. Eundem laborem, & sub eodem titulo *Bibliotheca Cisterciensis*, à Philippo Seguino Kalisiano, dum viueret, susceptum, eius manu exaratum apud me habeo; quippè cum multis alijs manuscriptis, ex bibliothecâ Abbatis Fiteriensis ad me transmissum. Miserat ille Bernardum Villalpandum monachum Nucalensem per totam Galliam antiquitates Cistercij lustraturum: Peruenisse Kalisium, siue Caroli locum, compertum habeo, indèque manuscriptum adduxisse, dono fortassis datum ab ipsis monachis; nam subreptum, non credam. Certè quocunque modo acceptus sit, à quinquaginta, & eis amplius annis, Fiterium venit; atque in manus Ignatij eius Abbatis: post cuius obitum illud obtinuimus. Hæc sunt quæ Paternitati Vestræ possum scribere de his, quæ me interrogat plura scripturus, si plurium notitia mihi suppeteret. Vale. Datum apud Pacem Iuliam, vel Augustam, Kalendis Maij, anno 1648.

R. P. Vestræ seruus, F. ANGELVS MANRIQVE.

EPISTO-

EPISTOLA 2.

EIVSDEM AD EVNDEM.

REVERENDE admodum Pater,

Litteras vestras datas 9. Iulij præsentis anni, intrà mensem accepi, & gauisus sum ex nostris aliquas ad manus Paternitatis Vestræ peruenisse. Quod ad Authores Hispanos pertinet, verius tractauit Chrysostomus Henriquez in Phœnice (nam aliundè mutuauit) quam alia, in alijs libris quos luci dedit: nisi quod tamen in aliquibus errauit; non quod alienos Cistercio nostro adscripserit, sed quod ex proprijs, inter se quosdam confuderit, & in tempore, alijsque nonnullis à veritate deuiauerit. Quæ omnia, vt potui, in primis illis litteris Paternitati Vestræ adnotata remisi.

Philippum Seguinum, vt dixi, per varios casus, ad manus meas perductum, Paternitati Vestræ libens communico; opus imperfectum, & in quo magis laudabilis conatus, quam profectus: congregauit ex Gallis tamen quos potuit. Et reverà in Cistercio, modestia primum ac latendi cupido mox, quamdiu nulla Collegia floruere, doctrinæ defectus; demum Commendæ & sub Commendis stupida ignorantia pauciores doctores permisit, quam viros sanctos. Sed & quos habuit antè inuentum prælum periere complures post ipsum vsque ad nostra tempora, nihil habuit. Nostris temporibus vbique creuit numerus; &, ni fallor, ex Fuliensi Congregatione aliqui viri docti aliquot scripta non pœnitenda prodidere; quorum maior notitia in Belgio, quã in Hispaniâ; quamuis ad nos nonnulla penetrarunt. Valeat Reuerenda Paternitas Vestra, Ex Pace Augustâ vigesimâ quintâ die mensis Augusti, 1648.

Reuerendæ Paternitatis vestræ Conseruus, & Confrater,
F. ANGELVS MANRIQVE.

EPISTOLA

Perillustris, Reuerendissimi & Eximij Domini IOANNIS CARAMVELIS, Misiensis Episcopi nominati, Abbatis cœnobij Monserratensis in Bohemia, &c.

INSCRIPTIO.

Eruditissimo & Reuerendo admodum Domino CAROLO DE VISCH, S. Theol. Baccalaureo formato, & eiusdem Professori, &c. S. P. In monasterio Dunensi, ord. S. Bernardi.


REVERENDE & eruditissime Domine,

Litteras Eruditissimæ Dominationis Vestræ libentissimè vidi, gaudeoque illam benè valere, & studijs suis ordinem nostrum illustrare. A Reuerendissimo meo Veteris montis, iam

prius didiceram Dominationem vestram Bibliothecam Cisterciensem ornare, sed Dominationis vestræ litteras priores non recepi, alias statim respondissem. Obediam Dominationi vestræ, & magnam clarorum hominum copiam subministrabo. Interim, Paternitas vestra vicissim dignetur amicorum conatus iuuare. D. Malachias in Campo liliorum professor, vir dignus quem vestra Dominatio inter amicos habeat, nouam Bernardi editionem meditatur, & è varijs Bibliothecis M.S. collegit, quibus multa correxit, ac etiam auxit. Habet plus quam quingenta folia nunquam edita. Quid si Dominatio vestra iuuaret? Scio in editis multa deesse quæ reperiuntur in Dunensi manuscripto thesauro. Scio me ibidem multa legisse M.S. nondum edita. Causa communis agitur. Dominatio vestra dignetur recognoscere libros Diui Bernardi manuscriptos, & si aliquid occurrat, quod non sit in r. Merloni Horstij editione, illud notet, & mittat ad me titulum, primam periodum, & vltimam; vt sciamus, an careamus, & debeamus requirere. Certè erit laudi monasterio, & Dominationi vestræ quam Deus custodiat largis annis. Vale. Pragæ 8. Februarij, 1648.

Eruditißimæ Dominationis vestræ humillimus in Christo seruus CARAMVEL *Episcopus Misiensis.*

Litteras Reuerendissimi Ildefonsi Perez, Reformationis Cisterciensis per Hispaniam Generalis emeriti, S. Theol. Doctoris, &c. recepi binas (vna cum plurimorum Scriptorum Catalogo) quarum vltimam Lector reperiet in Opere hoc, verbo, Ildefonsus Perez.



EPISTOLA

Reuerendissimi, Eximijque Domini D. MATTHÆI Abbatis Pontigniacensis cœnobij, S. Theol. Doctoris, &c.

INSCRIPTIO.

Reuerendo admodum Patri, & dilectissimo Confratri, CAROLO DE VISCH, *Religioso ac Priori Dunensi, & Professori Theologo.*

CHARISSIME ac colendissime Pater,

Continuò à generali monasteriorum nostri ordinis visitatione, totis latè Bituricensi, vtrâque Pictauiensi, Gasconensi, Burdegalensi alijsque affinibus prouincijs dispersorum, vnam è tuis, decimiquinti Septembris, alteram septimi Decembris vno eodemque tempore delatas accepimus, nec eis commodius, nec tuis votis citius, quàm reduces, & à paucis etiamnum diebus redditi Lutetiæ, respondendo fuimus. Felices, si felicius laudabili illius (cuius conatum laudamus) operi, aliquid nostri studij & laboris conferre possemus. Quàm libentissimè, & summa propensi animi contentione, si quid aut consecuturi, aut collaturi, omnem nostram operam & diligentiam adhiberemus! Cum indè maxima gloriæ Dei, & Ordinis accessio honoris & splendorum fieret, vndè infiniti thesauri cum nouis luminibus, tuis iam pridem in publica

commoda vigilibus curis, & æternis laboribus accederent. Heu nos miseros! nulla nisi quæ comparauimus, aut pauca laceris potius centonibus dispersa, quam libris collecta, ægrè reperire est. Omnia enim ferè, quæ aliàs extiterunt monumenta grauissimorum Ecclesiæ Patrum, & nostri ordinis, temporis iniuria ablata, communique Pontigniaci nostri, sibi & suis toties erepti direptione, perierunt. Ne tamen votis & optimis Reuerentiæ vestræ studijs defuisse videamur, adest præsens librorum scheda, & tam præsentium quam eorum qui fortè desiderantur, summo labore conquisita series; quam hisce iunctam, vt nostri in te animi, zelique ardentissimi vadem (licet imparem) mittendam esse censuimus. Et nisi Reuerentiam vestram iacturæ temporis impatientem, otij & longioris moræ tæderet, maiora forsan ex alijs iuris nostri monasterijs accepta documenta succederent. Fieri enim vix potuit, quin aliquis eiusdam eorum locupletissimus Author extiterit. De Guichardo autem sic existimes; licet illum virum insignem, de litteris & ordine nostro optimè meritum facilè crediderimus, nos nihil certi, aut scripti reperisse. Nec & Claudio Boucherat Antepraedecessori nostro, quamuis in nostrâ S. Theologiæ facultate Parisiensi Doctori, quidquam operum superfuit. Quod si memoriæ quidpiam commendasset (vtpotè huiusce fermè temporis) nihil nos diligentius inquirentes, fefellisset. De cætero, vt tanto operi laborique summam manum, & cum felici fine debitam coronam imponas, enixè rogatus nostris & omnium precibus, vtilitatique concedes. Illius interim fauoris & officij esto securus, qui tuæ Paternitatis haberi cupit.

Studiosissimus & amantissimus F. MATTHÆVS, Abbas Pontigniacensis.

In nostro Bernarditarum collegio Lutetiæ Parisiorum 2. Februarij 1648.

EPISTOLA

Reverendissimi Domini CLAVDII BREFFAVLTII, Abbatis Morimundensis, S. Theol. Professoris, &c.

INSCRIPTIO.

Reverendo in Christo Patri, Domino CAROLO DE VISCH, celeberrimi de Dunis monasterij Religioso & Priori.

REVERENDE Pater,

Eodem fermè tempore binas à te accepi litteras, priores quidem 4. Augusti, posteriores verò 7. Decembris præcedentis anni, in Valle Cœli datas; vndè tabellariorum illarum non minus carpenda negligentia, quam harum laudanda diligentia. Verum quidquid sit ex ipsarum vel promoratione, vel festinatione, veteri prouerbio inhærentes, dicenti *Sat citò si sat bene*, mihi certè eò iucundiores gratioresque fuerunt, quo ipsarum tenore moneor, te ab aliquot iam mensibus, quâ potes diligentiâ, ad publicanda Scriptorum ordinis nostri nomina, adlaborare, ipsorumque scripta, quæ temporum iniuriâ, in Bibliothecis nostris quasi consepulta iacuerant, ab obliuione vindicare. Quod opus, laboremque tuum, satis laudare vix possum. Plurimi licet

ordinis

ordinis nostri scriptores speciali humilitatis virtute prædditi, priscorum Patrum consilio edocti, dicentium, monachi vocem plangentis esse, non docentis propria nomina consulto reticuerint; votis tamen tuis annuens, quorundam Authorum, simul & anonymorum manuscriptorum ordinis nostri seriem, quorum opera adhuc in Bibliothecâ nostrâ Morimundensi asservantur, transmittimus.

Illud igitur agas, amabo, quod te vixisse testetur, ad maiorem Dei gloriam, & ordinis nostri decus, meique in tuis sacrificiis sis memor, qui sum,

REVERENDE PATER,

Tuus in Christo Confrater, & Seruitor, F. CLAVDIVS, Abbas Morimundensis.

Morimundi, 18. Ianuarij. 1648.

EPISTOLA

Reverendissimi & Eximij Domini, IOANNIS BLANCKENBERG, Abbatis Veteris montis, S. Theol. Doctoris, & Cisterciensis ordinis per Westphaliam, & tractum Rheni, Vicarij generalis.

INSCRIPTIO.

Reuerendo & doctissimo Domino, D. CAROLO DE VISCH, S. Theol. Baccalaureo, Dunensis Monasterii Religioso & Priori, Domino suo Confratri.

REVERENDE & doctissime Domine,

Gauisus fui suprà modum, lectis gratissimis vestris litteris, tum quod ex ijs cognoscam bonam valetudinem Reuerentiæ Vestræ (cui gratias dico, quod antiquum suum erga nos affectum tam fideliter continuet:) tum etiam, quod turbulentis hisce temporibus, Altissimus operarios semper excitet, qui sollicitè laborent in vineâ Cisterciensi, eamque doctissimis suis scriptis illustrent.

Laudo & commendo zelum Dominationis Vestræ, cuius fœtum auidissimè desiderabo impressum. Quoad Scriptores ordinis nostri Germanos, quos Reuerentia Vestra requirit, paucos reperire potui; nonnullos tamen mitto, quos ex monumentis nostris collegi, credo quod saltem aliquos illorum non habeatis. Litteras vestras quas transmisistis pro Abbatibus, de Veteri Campo, Hemmenrode, Heisterbach, & alijs, vti etiam pro Eximio Domino Caramuele, destinaui: si quid respondeant, habebo curam vt vobis dirigatur. Insuper, quantumuis proprijs ac meorum officijs interpellatus, semper tamen promptissimè ad manum ero R. Dominationi Vestræ.

Festinâ manu dabat in Veteri monte, 27. Nouembris, anni 1647.

Reverentiæ Vestræ officiosissimus, Fr. IOANNES Abbas Veteris montis Vicarius, manu propria.

Litteras R.mi Domini Ferdinandi Vghelli Abbatis SS. Vincentij & Anastasij iuxta Romam, viri, scriptis suis toto orbe clarissimi, recepi plures, quæ passim citantur in Bibliothecâ, cum de Italiæ Scriptoribus ago, quos magno numero mihi transmisit.

EPISTOLA

Reverende admodum IOANNIS BOVGERET, Secretarij Reverendissimi Domini Cisterciensis, Generalis.

INSCRIPTIO.

Reverendo in Christo Patri, Domino CAROLO DE VISCH, *celebris monasterij de Dunis, Cisterc. ordinis Religioso & Priori, Sanctimonialium Vallis Cæli Confessario.*

REVERENDE in Christo Pater ac Domine, Domine mihi colendissime,

Gratissimæ quidem fuerunt Reuerendissimo Domino nostro Abbati Cisterciensi, Generali ordinis, vestræ litteræ, quas Reuerenda Paternitas vestra ad ipsum dedit pro describendâ serie Abbatum, & monachorum Archi-cœnobij Cisterciensis, qui libros aliquos aut tractatus ediderunt, vt ipsos in suo opere, quod meditatur cæteris ordinis nostri scriptoribus annumeret; sed huc usque, ob ingentem negotiorum molem, absentiam ab Archi-cœnobio, & continuas monasteriorum procul dissitorum visitationes, vestræ iustæ supplicationi ipse, nec ego, potuimus satisfacere. Dederat quidem hoc opus in mandatis Reverendo Patri Priori Cisterciensi, Doctori Theologo, huiusce rei peritissimo; sed aliis in negotijs occupatissimus, istud quod ipsi apprimè commendaueram, omisit, quod non mediocri me affecit mærore, ne tam insignium Authorum memoria in vestro egregio opere reticeatur. Sed ne quid hâc in parte meâ culpâ committatur, cum primum paucis diebus ad Cistercium rediero, dabo operam, vt præter Diuorum, Stephani, Bernardi, Fastredi, Alani, Ioannis, Dionisij, aliorum Cisterciensium Scriptorum opera, tractatus, & nomina, scripto Vestræ reuerendæ Paternitati insinuentur. Interim laudo ego lucubrationes vestras pro nostri ordinis ornamanto, Deumque apprecor, ut ipsis Benedictionem, vobisque sanitatem quamprosperrimam, cum gratiarum suarum diuinarum cumulo conferre dignetur. Parisijs in collegio Sancti Bernardi, die 16. Decembris 1648.

Reuerendæ Paternitatis vestræ

Humillimus, & obsequentissimus famulus F. IOANNES BOVGERET *Religiosus Cistercij, & Secretarius Reuerendissimi Generalis.*

REVERENDO DOMINO

CAROLO DE VISCH,

Celeberrimi Monaſterii B. Mariæ de Dunis,
Priori digniſſimo,
S. THEOLOGIÆ BACCALAUREO FORMATO ETC.
Hos illuſtrium Scriptorum Ordinis ſui Annales
in lucem educenti,
Conterraneo ſuo applaudebat

R. D. NICOLAVS DE LAMETER,

S. Nicolai Furnis, Ordinis Præmonſtratenſis, Religioſus, &
Religioſorum eiuſdem Abbatiæ Duaci, Præſes.

Flandria te genuit, ſuſcepit Furna, ſacrauit
Duna Deo: Piſcis nobile nomen habes.
Piſcis & omen habes, non qualis inambulat æquor,
Sed qui Zodiaco ſidus in orbe micat.
Quid ni Zodiacum te iure vocauero Piſcem,
Cuius ab ore fluit, fons ſalientis aquæ?
Cuius ab ore fluit fons, quâ Ciſtercius Ordo
Irriguus, flores germinat ecce ſuos.
Germinat abſtruſos ſterili velut hactenus aluo
Heroas: tali nomine dignus eras.

Anagramma.

CAROLVS DE VISCH

HUC, O CLARUS DIES.

Huc ô clarus *ſcande* Dies, *Ciſtercius omnis*
Luceat ad vultus clarior Ordo tuos.

REVE-

REVERENDO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO

D. CAROLO DE VISCH

CELEBERRIMÆ ABBATIÆ DVNENSIS

PRÆSBYTERO RELIGIOSO,


AC PRIORI

S. THEOL. BACCALAVREO FORMATO, EIVSDEMQVE QVONDAM Professori, Conciui, & dilectissimo olim Condiscipulo suo,

BIBLIOTHECAM

SCRIPTORVM SACRI ORDINIS CISTERCIENSIS, INGENIO & typis publicanti,

Accinebat JOANNES DE LA SALLE, Furnensis, S. Theol. & I. V. Bacc. formatus, Pastor in Schoore.



ANDEM coruscos ingenio Viros,
Quos literatos Vinea *protulit*
Cisterciensis, *vniuerso*
Lector habes studiose mundo.
Hæc sempiterno Lumina *lumine*
Beare nuper, Carole, niteris,
Cistercijque & Vrbis almæ
Furniadæ *decus, atque lumen,*
Tu stirpe natus sanguine nobili,
Et clarioris germen originis,
E Visschiorum *celsiore*
Progrederis noua Stella sede.
O laude dignum! sic benè censuit
Germana tellus, *sic benè sensit, &*
Cœnobio te Ebirbacensi
Theologiam aluit docentem.
Professus illic es, sacra Numini
Quæ grata terris Vota, Redemptio
Quæ iusta votis, vt sacratis
Sedet homo, religetque Cælis.
Baptismum *eidem prælegis*; Vnctio
Vt nata Christo pectora roboret;
Vt Pœnitendum; *vt* Carne *Pastor*
Filiolos alat, & Cruore.
Recede fallax heresis! exhibet
Christum volentem, *Carolus, exhibet*
Christum potentem: velle, posse,
Nonne tibi probet & dedisse?
Minis ferocem candida mitiget
Vt Missa *Patrem, debita debitis*
Vt flagra tollat, & paratas
Purget *in igne vorace flammas.*
Necdum quiescis, Carole, *scribere,*
Docere pergis, subdita legibus
Vt corda sunto; Iusque, *notam &*
Iustitiam *facis Allemannis.*
Audite surdi, quos tot in hæreses
Lutherus atro lemmate propulit,
Et veritatis, atque Cæli
Constituit quadruplator hostes!
Sed quæ reuerso præmia. Belgium,
Debere temet dixero Carolo?
Assurge penna, debitâque
Vade Virum celebrare laude.

Cœnobiorum rudera quatuor.
Sagace libro mittis in aëra,
Et Warefchotum *cum* Thofana
Perg t eo celebrare mitrâ.
Cæliqu e Vallem, *qua Pater & fuit*
Et, luce dignis moribus imbuit,
Caftumque Virginis *facrata*
Vt fpeculo Speculum *reponit.*
Inftructionem *difcute, rumina,*
Quem facra Chrifti Relligio vocat,
Et quinque longas ad viginti
Intrepidus lege Conciones.
Perfectionem *nempe doceberis,*
Mentem orbe Purgat, Lumine vifitat,
Et vni trino illuminatam
Vnit, *& affociat monarchæ.*
Sed ne Parenti fis quoque propria
Ingrata proles, Carole; *fulgidus,*
Moliris arte differendi
Laude fuâ celebrare Dunas.
En dauerit quis hafce Ligerius,
Quis gloriofus Fulco *ligauerit*
Hoc fune *triplici, hoc facrato*
Id calamo ufilante pangis.
Nec finis iftis: congruit integrum
Affrare miris laudibus Ordinem,
Et Biblio-thecam celebrem
Ingentis cumulare magnis.

En fcripta prodit, confpicuum caput:
Silentij alti nubibus exerit,
Et Ordinis *tam luminofi*
Ingenuos cauit illa Soles.
Adefte quotquot degitis Ordine
Morum, hoc Virorum diuite Filij,
Hos æmulamini, propinquis
Hos oculis renouate Patres.
Quot hic recenfes, Carole, *tot polo*
Agnofco Stellas, *tot facra* fidera.
Datura Cælis fempiternam,
Nube procul, tenebrifque lucem.
Fecifse, *dignum eft Ordine; nil minus*
Dixiffe *dignum eft: dignius integris*
Iunxiffe docta dicta factis,
Factaque continuaffe dictis,
Abite fic vos difcite, dicite,
Chriftique digni tramite viuite,
Vt actio fit iuncta voci,
Vt fit opus fociumque cordi.
Tu porro noftri gloria carminis
Accrefce votis, Carole, *lumini,*
Si quos libros habes latentes
Tam cerebro radiante, mitte.
Non mittis vndis, non ftudia irritis
Das dicta ventis: ille Pijffimus,
Qui nec datas defraudat vndas,
Multiplici vice premiabit.

CAROLVS DE VISCH.

ANAGRAMMA.

CHARUS DEO LUCIS.

Quid video? Carolus, de Vifch *cognomine,* charus;
Lucis *abit claro pectore, voce* Deo.
O video! candelabri *dignatur honore*
Quidquid honorifici luminis Author alit.

Heu!

Heu! malè sciuisses, Domino lux nulla fuisses,
Sub modio *tantas ponere suasus opes.*
Non erat in terram; redeat cum fœnore nummus,
Quem tibi Regnantis *credidit ampla manus.*
Conyicio; faciendo *bonum sacrata* docendo,
Paruus humo quamuis, sidere magnus eris.

JOANNES DE LA SALLE Furnensis,
S. Theol. & I. V. Baccalaureus. 1649.

ANAGRAMMATISMVS ALIVS.

IN LAUDEM AUTHORIS
BIBLIOTHECAM SCRIPT. CISTERC. PVBLICANTIS
CAROLVS DE VISCH
ANAGRAMMA.
HIC CLARUS DE SUO.

COnspicias varios, rutulis qui stemmata Patrum
Extollant titulis tantum; qui nomine solo
Virtutes laudare sciant, qui clara virorum
Pectora verborum nudis diffundere verbis.
Sanguine conspicuum, celsis natalibus ortum
Esse, quis extollat! Tali laudatior esto,
Quem beat ingenij vis, & vigor; esto supremus:
Quisquis & illustris titulis, & stemmate diues,
Ingenij radiis stirpem, & virtutibus ornat.
En, quem Stirps, Pietas, faciunt quem Scripta perennem:
Visschius *hic* Carolus, *cunctas cui nare per vndas*

Ingenij, Sophiæque datur: Germania *signat;*
Flandria *consignat:* magnis *ibi nomine, & actis*
Iunctus es, Illustres interque Illustris haberi
Dignus! honoratum cunctis te scilicet ornant
Et studium, & probitas, & ab almo stemma cruore
Viue sacri noua Gemma Gregis, *diffundere in auras*
Bernardi *præclare nepos: sit reddita luci*
Penna tibi, sit nota solo, sit cernua cælo.
Ordinis *ecce tui rursus sacra* lumina *luci*
Reddis, & in solo præclara volumina *libro*
Exprimis. An falsum est, si lumina dixero lunam,
Et qui luminibus das lucem, dixero Solem?

Accinebat D. BENEDICTVS DE BACQVERE, Relig. Dunensis, S. Theol. Lector in Cœnobio Sancti Saluatoris Antuerpiæ.

APPROBATIONES.

HIc liber, cui Titulus est *Bibliotheca Scriptorum Sacri Ordinis Cisterciensis, elogijs plurimorum maximè illustrium adornata, operâ & studio* R.D. CAROLI DE VISCH *Relig. ac Prioris Dunensis S.Th. Professoris,* nihil habet orthodoxæ fidei, aut bonis moribus contrarium, adeoquè iure suo typis mandari, & in lucem prodire poterit ad dicti ordinis honorem, & totius Ecclesiæ fructum & vtilitatem. Ita iudicaui Duaci 25. Aug. 1649.

THEODORVS VAN COVVERDEN *S. Theol. Doctor ac Professor Regius & Ordinarius, Ecclesiæ Colleg. S. Petri Canonicus, librorumque Visitator ac Censor.*

EGo infrà scriptus accuratè legi librum, cui titulus *Bibliotheca Scriptorum Sacri Ordinis Cisterciensis elogijs plurimorum maximè illustrium adornata, operâ & studio* R.D. CAROLI DE VISCH, *Religiosi ac Prioris Dunensis, S. Theol. Professoris,* quam deprehendi magno labore, industriâ singulari, & fide sincerâ per Auctorem collectam, vnde magnum toti ordini gloriæ incrementum, & Eccle-
siæ

siæ Dei non minor fructus accedet, in cuius fidem hasce manu meâ subsignaui. Datum Duaci 7. Kal. Augusti anni 1649.

MARTINVS DENYS *S. Theol. Doctor, eiusdemque in alma Vniuersitate Duacensi Regius Professor.*

Bibliotheca hæc Scriptorum Sacri Ordinis Cisterciensis plurium auctorum Scriptis, Scriptorum etiam quorundam elogijs à primæ ditionis auctore R.do admodum Domino Carolo de Visch priore Cœnobij B. Mariæ de Dunis & SS. Theol. Professore aucta cum fructu recudi poterit. Ita censeo Ipris VI. Kal. Iulij ∞ IↃcLV. Antonius Sanderus S. Th. Licent. Iprensis Canonicus & pænitentiarius, Libr. Censor.

FACVLTAS ET APPROBATIO PERILLVSTRIS, Reverendissimi & Eximij Domini D. CLAVDII VAVSSIN, S. Theol. Doctoris, & Vniuersi Ordinis Cisterciensis Generalis Supremi &c.

Reverendo, & nobis in Christo Confratri charissimo, Domino CAROLO DE VISCH, *deuoti Monasterij nostri Dunensis Priori.*

REVERENDE IN CHRISTO PATER,

Quod Sacri Cisterciensis Ordinis nostri scriptores iamdudum in tenebris delitescentes nunc à latebris ad lucem, & quasi à tumulo ad vitam rediuiui redeant, tuis laboribus & lucubrationibus acceptum referimus; eòque gratiorem habemus voluminis Tui editionem, quò maiori prædicti nostri Ordinis ornamento & splendori cessuram esse confidimus; Tibi propterea nostro nostrique ordinis nomine gratulamur, & dignas rependimus grates; Teque hortamur quanto possumus affectu paterno, vt incepta quæ restant tibi opera perficere satagas ad Maiorem Dei Gloriam, quem apprecamur vt labores tuos benedictionibus suis cumulare dignetur; si quæ autem opera B. Alani Nostri Cisterciensis Conuersi, præter ea quæ præ manibus habes, in nostra Cisterciensi Bibliothecâ inueniri poterunt manuscripta, ad Te curabimus transmitti, vt prælo mandentur. Cæterum, macte animo, Reuerende Pater & quo cœpisti zelo perge adlaborare Ordini nostro, quem æternum deuinctum habebis, Nos verò Tibi inseruiendi occasionem præstolati Deum præpotentem exoramus, vt Tibi gratiarum suarum cumulum æternum pro mercede & laborum tuorum congruo præmio conferat, Nosque tuis deuotis præcibus toto animi affectu commendamus. Cistercij Die 12. Mensis Martij 1650.

REVERENDÆ PATERNITATIS VESTRÆ

In Christo Charißimus & addictißimus Confrater CLAVDIVS *Abbas Cisterciensis Generalis,*

FACVL-

FACVLTAS

Admodum Reverendi Domini Abbatis Sancti Bernardi ad Scaldim, S. Theologiæ Licentiati, Vicarij Generalis per Belgium.

EGo infrascriptus, Vicarius Generalis Ordinis Cisterciensis per Belgicas prouincias, facultatem concedo, vt in lucem edatur Liber, cui titulus inscribitur *Bibliotheca Scriptorum Sacri Ordinis Cisterciensis, elogijs plurimorum maxime illustrium Odernata, studio & Labore Reverendi Domini D. Caroli de Visch, Prioris Abbatiæ Dunensis edita ac denuò per eundem Dominum Carolum de Visch recognita, & notabiliter aucta, adiectis etiam aliquot breuioribus opusculis diuersorum Patrum Ordinis Cisterciensis.* In quorum fidem, has litteras manu nostrâ subscriptas, & sigillo nostro munitas, dedi in monasterio nostro Sancti Bernardi, die vigesimâ secundâ mensis Maij, Anno 1655.


Locus Sigilli.

F. IVDOCVS GILLIS, Abbas Sancti Bernardi Vicarius Generalis.

NOs Ioannes Blankenbergh, S. Theol. Doctor, Monasterij B. MARIÆ de Veteri Monte Abbas, Ordinis Cisterciensis per Inferiorem Rheni tractum, Westphaliam, & Saxoniam &c. Commissarius Generalis, Uniuersitatis Coloniensis, pro tempore Rector &c. Facultatem impertimur, ut præfati nostri Ordinis Liber, cui Titulus: *Bibliotheca Scriptorum S. Ordinis Cisterciensis, elogijs plurimorum maxime Illustrium adornata, Opere & studio Reuerendi Domini Caroli de Visch, Prioris Cœnobii* B. MARIÆ *de Dunis, S. Theol. Professoris &c.* Anno 1649. legitimis approbationibus & Theologorum Censuris munitus ac typis commendatus, nunc ab eodem suo Authore recognitus, auctus, & commendatus, denuò recudatur. Teste nostrâ subscriptione & sigillo. Coloniæ die 14. Februarij Anno 1656.

IOANNES ABBAS vet. Montis Commissar. Generalis & Vniuersitatis pro tempore Rector.

INDEX NOMINVM,

OMNIUM SCRIPTORUM

Ordinis Cisterciensis, qui in hâc Bibliothecâ continentur.

Chri-

Chriſtophorus Bottus.
Chriſtophorus Butkens.
Chriſtophorus Caſtelleius.
Chriſtophorus de Lazarraga.
Chriſtophorus Perales.
Chriſtophorus à Viſitatione. vid. Chryſoſtom.
Cyprianus Huergenſis.
Cyprianus Rodriguez.
Ciſtercienſe Chronicon.
Ciſtercienſis Ordinis Viri illuſtres.
Ciſtercienſis Ordinis Conſtitutiones, &c.
Claræuallenſes Monachi Anonymi.
Claudius de Bece.
Claudius Boucheratius.
Claudius de Bronſeval.
Claudius Chalemot.
Claudius de Corbye.
Claudius Thomas Grazilier.
Claudius Verard.
Collationes Patrum Ordinis Ciſterc.
Complutenſe Collegium Ordinis noſtri
Conganus Abbas Surienſis.
Conradus Cardinalis.
Conradus Fontis Salutis.
Conradus Foſſor, vulgo, Reutter.
Conradus de Heghena.
Conradus Leontorius.
Cornelius Peluſius.
Coſmus à Sancto Michaele. In Appendice.

D.

DAmianus Tomarienſis.
Daniel Waldſaſſij Abbas.
Didacus de Ceſpedes.
Didacus Marfil.
Didacus Sanchez.
Diffinitiones Ordinis.
Dionyſius Arriola.
Dionyſius Caroli loci Monachus.
Dionyſius Ciſtercienſis.
Dionyſius Cuchus.
Dominicus de Aldaue.
Dueskenſis Cænobij monachus.
Dunenſes Religioſi varij.
Dunſtanus.

E.

S. Eailredus. vide Ailredus.
S. Eberardus Claræuallenſis.
Ebirbacenſes Religioſi.
Ebro Zwetelenſis Abbas.
Edilredus, ſeu Ethilredus. Wardenſis. Abbas.
Edmundus à Cruce.
S. Edmundus, cognomento Richius.
Edmundus Schnider.
Edmundus Tyraquellus.
Elias de Coxida.
Elias Hallus.
Elinandus Monachus.
Elizabeth de Sconaugia.
Ellantij Monachus.
Emanuel Sueyro.
Engelbertus Abbas.
Engelhardus Teuchlerus.
Ensfridus Ebirbacenſis.
Ethardus Abbas.
Euerhardus Scotus.
Euerhardus Claromariſcenſis Abbas.
Eugenius 3. Pontifex.
Eugenius Martinez.
Eugenius Martinez, alius
Euſebius Sarrinus.
Euſtachius à Sancto Paulo.
Exordium Ordinis Ciſtercienſis.

F.

S. Famianus.
S. Faſtradus.
Ferdinandus Pizarro. In Appendice.
Ferdinandus Vghellus.
Florius Brunus.

Guiber-

FINIS.

BIBLIOTHECA SCRIPTORUM, SACRI ORDINIS CISTERCIENSIS.

A.



ACHARDUS Monachus, & Novitiorum Director in Clara valle, sub Beatissimo Patre Bernardo, eiusdemque iussu, diversorum Monasteriorum Initiator (ut loquitur Author vitæ ipsius) seu, Architectus, scripsit *vitam Beati Geselini Eremitæ, alias Getselini*, verè admirabilem. Molanus in Annotationibus ad Martyrologium Usuardi, 6. Augusti. Nicolaus Hesius, in Manipulo Hemmenrodensi, Anno 1641. Coloniæ impresso, ubi magnam partem huius vitæ profert Andreas du Saussay, in Supplemento ad Martyrologium Gallicum 6. quoque Augusti, & Henriquez in Menologio, eadem die, qui benè advertit Molanum, & quosdam alios, malè asserere, Geselinum hunc quievisse in Ducatu Montensi cum ex vita ipsius Achardi, clarissimè habeatur, Geselinum, semper vixisse, & obiisse in Ducatu Lutzenburgensi ubi etiamnum quiescit, ut etiam affirmat Hesius, supra. Fertur etiam scripsisse *plures exhortationes, seu conciones breviores ad novitios suos*, sed neminem hactenus reperi, qui diceret se illas vidisse. Philippus quoque Seguinus Prior Caroli-loci, in Bibliotheca sua Cisterciana M.S. quam apud me habeo ad Autographum descriptam, affirmat Achardum hunc (quem ipse Arechardum vocat) fuisse Philosophum insignem, & Theologum illustrem; nulla tamen eius scripta profert, præter hanc vitam memoratam. Floruit Achardus tempore S. Bernardi, post obitum, ob præclara Sanctitatis indicia. Menologio Cisterciensi, adscriptus 15. Septembris. Vitam ipsius compendiosè descriptam habeo in Collationibus Patrum Ordinis Cisterc. dist. 3. cap. 20. Quam etiam Gallicè edidit Ioannes d' Assigny.

Vitam etiam Geselini per Achardum descriptam, anno 1625. publicavit Arnoldus de Raisse, Duaci, typis Petri Auroy in 12.

M. Adam Aldersbacensis Monasterii in Bavariâ Religiosus, S. Theol Doctor eximius, *Universam Theologiam moralem, versibus hexametris eleganter complexus est.* Quod opus plurimum commendat Perillustris, & R.D. Caramuel, tanquam, quod prisci & nostri sæculi summam harmoniam pulchrè demonstrat, dissonantias interim debitis locis admittens, aure consultâ, ad maiorem commendationem artis. Servatur Aldersbachii, floruisse dicitur Author circa annum Domini 1250. Vide Caramuelem in Epistolâ dedicatoria primæ partis suæ Theologiæ Regularis, Francofurti impressæ anno 1646.

Adam Atrebas, ex Canonico Lilleriensi, Episcopus Morinensis, & ex Episcopo, factus Monachus Claræ-vallensis, scripsit *historiam sui Ordinis*. Ferreolus Locrius, de scriptoribus Arthe-

fiæ,& ex eo, Valerius Andreas,in Bibliothecâ Belgicâ.

Adam Barchingensis,natione Anglus, Clarifontis Cœnobij Monachus,Ordinis Cisterciensis (iuxta Montalbum,historia sua,parte primâ, lib.2.cap.33.)circa annum 1216.*scripsit in* 4.*Evangelia. Quia tamen Pitseus,aliique Angliæ Scriptores,Monasterium Clarifontis,Ordinis tribuunt Sancti Benedicti,nec ullus antiquus Catalogus Cœnobiorum Ordinis nostri (ex ijs quos ego legi)huius nominis Cœnobium Anglicanum agnoscit, vereor ne hic dormitaverit Montalbus,uti sæpius etiam in aliis,ut infra suis locis videbimus.*

Adamus Le Bossu,Atrebatensis, Belga, Monachus Ordinis Cisterc.in Cœnobio de Valcellis ad 2.um à Cameraco lapidem; vir in literis divinis & humanioribus optimè versatus, scripsit circa annum Domini 1500.librum quem prænotavit,*Ludum,seu locum.* Valerius Andreas in Appendice ad Bibliothecam Belgicam. Extat pro magna parte hic liber Gallicè in libro Claudii Fauchet,de 128.Poëtis Gallicis,Parisiis anno 1579.impresso,typis Iacobi du Puys. Vide Antonium Verdier,in Bibliotheca Gallica, & Franciscum de la Croix,in sua quoque Bibliotheca Gallica.

Adamus,Caroli loci in Galliâ monachus, & postea Abbas 8.us ac tandem Sylvanectensis Episcopus LII. divini verbi declamator egregius, scripsit *in Lecturas Evangelicas,quæ per singulos anni dies in Ecclesia leguntur,Sermonum opus maximum.* Extat M,S.in Bibliotheca Caroli-loci. Claruit Author anno salutis 1211. sepultusque iacet in Caroli-loco, ante maius Altare. Philippus Seguinus in Bibliothecâ Cisterciensi,ex Archivis eiusdem Cœnobii.Jongelinus,in purpurâ,dicit illum obiisse 5.Cal. Maij, circa annum 1276.Extant eius Homiliæ etiam in Longo Ponte.

Adamus Cathanesius (à Provinciâ quam Episcopus rexit,sic vocatus) Abbas primum Mailrosensis,deindè Episcopus,quod more veteri, decimas exigeret, à furente plebe domi comprehensus, in propria culina exustus est. Sed hanc immanitatem Alexander II. Rex, dignè vindicavit,quadringentis supplicio affectis, filiis eorum(memorabili pietatis exemplo) exsectis; Comite Regionis, quod laboranti non succurrerit,nobilitatis gradu deiecto. Quarè Cælestinus quartus Pontifex per epistolam gratias ei egit, quòd Ecclesiasticam dignitatem tam egregiè propugnasset,misso Ægidio Legato. Arnoldus Wion lib. 2.ligni vitæ,cap.39. Anton.Dauroultius part. 1.flor.exemp.cap.4. tit.14.§ 9. Ioannes Maior lib.4.scripsit:

*Historiam Scotiæ lib.*3.

*Epistolas ad Regem, contra Comitem de Cathenes. lib.*1.

*Epistolas ad Alexandrum Papam. lib.*1.

*Excerpta Bibliæ, lib.*1.

*Insularum Descriptiones.lib.*1.

Extinctus est anno 1255. (*Iongelinus, & alij,* 1222)colitur ibidem ut Sanctus. *Scoti-chronicon, lib.*9.*cap.*38. Passus est Dominicâ infra octavam Nativitatis B.Mariæ. *hæc Demsterus, in Historiâ Gentis Scotorum anno* 1627. *Bononiæ impressa, typis Nicolai Thebaldini.* Porro, *Adam* Cisterciensis Chronicon citat etiam ipse Demsterus Historia memoratâ §.Guil. Jordanus, M.720.

Adamus Dorensis, Reformationis Cisterciensis Monachus Anglus in Cœnobio Dorensi, non longè ab Herefordia (ubi eum natum ferunt) iuveniles annos in artibus ingenuis perdiscendis utilissimè posuit: Poësis elegantiam, acumen Philosophiæ & numeros musicos impensè amavit,& accuratè tenuit. Ad quas scientias,cum accessisset, quæ ad omnia utilis est pietas, & in regulari disciplina, omnique virtute uber progressus, electus fuit sui Conventus Dorensis Abbas. Per idem tempus, variæ fuerunt contentiones inter sæcularem Clerum,& Monachos. Qua occasione,Sylvester Giraldus, vir eruditus, & nobilis in Clero, librum

librum scripsit, quem vocavit Speculum Ecclesiæ. Jn quo monachorum quosdam abusus (iniustè tamen) redarguit; ipsúmque etiam Ordinem Cisterciensem, inter alios, taxavit. Undè Adamus noster pro Religiosorum defensione edidit

Contra Speculum Giraldi, librum unum.

Rudimenta musices, lib. 1.

Et alia quædam. Claruit anno Christi 1200.

Pitsæus, lib. de Jllustribus Angliæ scriptoribus, & Henriquez in Phœnice.

Adamus Germani Chalisii, aliàs Caroli-loci monachus, Academiæ Parisiorum Doctor Theologus, & in Collegio Bernarditano Sacrarum litterarum Professor publicus, vir, suo tempore, virtutū splendore, & doctrinæ gloriâ insignis, maximâ cum nominis sui commendatione, *Summam Divi Thomæ, de virtutibus Theologicis, prælegit, eamque Annotationibus elegantissimis illustravit.*

Edidit quoque Sermones varios de tempore, & de Sanctis.

Orationes insuper multas, & Epistolas ad diversos. Nec dubium quin alia plura ingenii sui monumenta posteris reliquisset, nisi morte immatura præreptus fuisset. Diem extremum clausit in Chalisii monasterio, anno Redemptoris 1581. Cujus tumulum, Janus Odoardus, Epitaphio doctissimo ornavit.

Philippus Seguinus, ejusdem Cœnobij Prior, in Bibliothecâ suâ Cisterciensi.

Adamus de Euetham, seu, Euesham, natione Anglus, Monachus Ordinis Cisterciensis (secundum Posseuinum in Apparatu) vir bonis disciplinis, & dicendi peritia perpolitus, scripsit ad quendam Reginaldum, librum, de miraculo SS. Eucharistiæ. Extat & ejus insignis exhortatio ad moniales Glaustonenses. Scripsit etiã Conciones & homilias plurimas. Et epistolas ad diversos. Vivebat anno 1160. Lelandus tamen, Balæus, & Pitsæus, scriptores Angli, (quibus potior adhibenda fides) asserunt hunc fuisse Benedictinum, & Abbatem Monasterii de Euesham, quod est ejusdem Ordinis Sancti Benedicti, & plurimos viros protulit eruditione & scriptis claros. Vndè, hîc illum tantummodò adposui ne Lector hæreat, qui fortè aliquandò apud Posseuinum leget eundem Cisterciensibus attributum, si hic omissum videret.

Adamus Killosensis Monasterij (alias, Kilflos) in Scotiâ, vide infrà Adam senior. idem enim est.

Adamus, Loci-regii, in Angliâ, Abbas Ord. Cisterciensis, S. Theologiæ Doctor Oxoniensis, multiplici rerum omnium cognitione feliciter præditus, eoque nomine, per universam Angliam & Scotiam viris doctrinâ celeberrimis notus, & familiaris. Undè ad Walterum Priorem, & fratres Ecclesiæ sancti Andreæ in Scotia, scripsit *Dialogum insignem, rationis & animæ*, seu, *Soliloquium pro animæ institutione.* Cujus initium est: *Dominis suis, & amicis. &c.* Ad Simonem item Langhamum, Archiepiscopum Cantuariensem, librum quendam, *de cavendo ab hæresi, & hæreticis, maximè Wicleffistis*: quorum deliria tum populo placere incipiebant. Jncipit: *Venerabilissimo in Christo Patri. &c.*

Item pro Ordine Monastico, lib. unum ad prædictum Simonem.

Defensorium Exemptorum, librum alium.

Epistolarum ad diversos, lib. unum.

Claruit circa annum 1368. Vide Pitsæum de scriptoribus Angliæ, Ætate 14.

Adamus Moremuthensis, natione Anglus, ex Canonico sæculari tandem Monachus Cisterciensis (ut scribit Henriquez in Phœnice) Jurisconsultus fuit expertissimus, sed post Religionis ingressum, studiis hisce valere jussis, ad historias legendas, & scribendas animum adjecit, magnâque diligentiâ, fide summâ (licet stylo nonnihil simplici) conscripsit, & publici juris fecit *Tomos duos Annalium rerum Anglicanarum.* Quorum priore pertractantur ea, quæ in Angliâ gesta fuerunt ab anno 1302, usque ad annũ

 1343.

1343. In posteriore verò ab hoc anno 1343. usque ad annum 1380. Porrò videtur hic Author (ut plures notarunt) cæpisse scribere Annales suos circa festum Sancti Michaëlis Archangeli; ideòque annos semper inchoasse ab hoc festo.

Notandum autem, tametsi Pitsæus in opere suo principali, de scriptoribus Angliæ, non asserat Adamum hunc fuisse Cisterciensem Monachum; postmodum tamen in Indice Scriptorum Cisterciensium, illum expresse Cisterciensibus adscribere, eoque titulo, me hunc pariter nostris hîc adcensuisse.

Adam de Persenia (aliàs Persennia) Monasterio diœcesis Cenomanensis Monachus, & Abbas, vir vitæ sanctimoniæ, & eloquentiæ opinione clarissimus, scripsit (testibus Trithemio, & Côrado Gesnero) *librum sermonum ad fratres*. Item alium *librum Sermonum de Sanctis, & diversis materiis*. Porrò, R. *dus* & Eruditissimus Carolus Emmanuel de Malduiâ, Monachus, & S. Theologiæ Lector in Cænobio Sanctæ Crucis in Hierusalem, in urbe Româ, in serie Scriptorum Italorum Ordinis nostri, quam anno 1647 ad me misit, testatur in suo Sanctæ Crucis Cœnobio asservari hujus Adami Sermones sequentes:

De Adventu Domini 1. de Epiphania 1.

De Annunciatione Dominica 1. In Ramis Palmarum 1.

In Paschate 1. In Ascensione Domini, Serm 2.

In Pentecoste Serm. 1. Item de Spiritu Sancto Epistolam moralem valde insignem.

Ad ministros Ecclesiæ, Serm. 1.

In Assumptione B. M. Virginis Serm. 1.

Sermones 3 alios de Beatissima V. Maria.

Sermones 3. in Capitulo generali Cistercij habitos, scilicet, de humilitate, de pœnitentia, & de martyribus,

Sermones parvos, 8. de 7. Columnis, hoc est, de 7. Ordinibus Ecclesiasticis. Denique, plusquam ducentos alios sermones breves, de diversis materiis, tantæ eloquentiæ, & pietatis, ut ipse doctissimus Malduira scribat se eosdem sermones dietim cum magnâ jucunditate & fructu legere, horum sermonum plura fragmenta habet Goffridus Tilmãnus Carthusianus, in opere Allegoriarum novi & veteris testamenti. Porrò, Sermones ipsius de Beatissimâ Virgine, ex codice perantiquo M.S. Cœnobii Casæ-Marij, typis excusi sunt, anno 1651. Romæ, apud Jgnatium de Lascharis, una cum notis Hippolyti Maraccii, Presbyteri Lucensis. Quorum etiam intuitu ipse Maraccius Adamum in Bibliothecâ Marianâ vocat *dulcissimum Marianorum encomiorum Præconem*. fertur etiam *quosdam Sacræ Scripturæ libros exposuisse*, quibus abundantem ingenij sui venam ostendit, ut loquitur Trithemius, libro de Scriptoribus. Sanè Georgius Colvenerius, *in Kalendario B. Virginis Mariæ* anno 1638. Duaci edit in elogiis ejusdem SS. Virginis, præfixis Tomo primo ejusdem Kalendarij, citat Adami hujus *Apologias & Tropologias in utrumque testamentum.*

Scripsit & *Epistolas plures ad diversos*, eodem teste; qui tamen in eo fallitur, quod (libro de Viris Jllustribus Ordinis S. Benedicti) eundem Adamum. Benedictinum asserat; cum constet Cænobium de Persenià semper fuisse Ordinis Cisterciensis Vide Jongelinum in notitiis Abbatiarum Ordinis Cisterciensis, & Manriquez tom 3. Annal. ad annum 1191 cap. 7. quo anno putat eum floruisse. Citans Cantipratanum aut Authorem coævum, & alios plures.

Adamus Pontigniacensis Monachus, scripsit *Conciones & Meditationes plures, prælo dignissimas*, quæ studiosè asservantur in Pontigniaco. Relatio Reverendissimi Domini Matthæi Abbatis Pontigniacensis, scripto ad me missa 15. Decembris, anni 1647.

Adam cognominatus, vulgo, Senior, Monachus Cœnobij Killosensis in Scotia, edidit, *Strenas, seu Conciones Capitulares*, omnibus Religiosæ vitæ sectatoribus utilissimas, impressas Parisiis, anno 1558. apud Matthæum Davidem, in 4.

Supple-

Supplementum Bibliothecæ Gesnerianæ. Hic est Adam Killosensis, de quo agit Barnabas de Montalbo, Chronic. p. 1. lib. 2. cap. 33. asserens asservari in Monasterio Nucalensi, Conciones eius de Tempore, & de Sanctis. Vide Maraccium, in Bibliotheca Mariana, supra.

Adilredus, vid. *Ailredus*, & Edilredus.

Adrianus Budsius (vulgo, de Budt) natione Flander, Religiosus B. Mariæ de Dunis, S. Theologiæ Baccalaureus Parisiensis, historiographus fuit sui ævi non ignobilis, qui scripsit *Supplementum Chronici Magistri Ægidii de Roya, & Bartholomæi de Becà, Religiosorum Dunensium; ab anno 1463. usque ad annum* 1478 Quod typis excusum extat Francofurti apud Aubrios anno 1620. vnà cum Chronico ipsius Ægydii. Scripsit insuper, *breuem historiam*, seu potius, *Chronicalem collectionem Abbatum Dunensium* Item,

Gesta Comitum Flandriæ, ab anno 1465. *usque ad annum.* 1478.

Epistolas quoque plures ad diversos Quæ omnia adhuc Dunis asservantur, ubi plurimis Flandriæ historicis vsui fuerunt. Præter hæc, scripsit etiam Carmine, *Tractatum quendam de Immaculatá Conceptione Beatissimæ Virginis.* Cuius tractatus mentio fit in Epitaphio, quod illi post obitum posuit Iudocus Badius Gandensis (qui eiusdem etiam Supplementum ad annos aliquot continuavit) quod in curiosi Lectoris gratiã, ex antiquo manuscripto codice Bibliothecæ nostræ Dunensis descriptum, hic subiungam:

Longam quisquis amas vitam, ne temne doceri,
Quot vitæ humanæ mors parat insidias.
En, tantis titulis, Adrianus Budt redimitus,
Non potuit meritis vincere iura necis.
Orator magnus, Vates, Artista, meatus
Astrorum pollens. Frandrigenum acta notans,
Carminis scriptis declaravit Genitricem
Virgineam, intacto crimine Originco.
Omnia quid memorem! potuit quæcunque, minuto
(Præter virtutem) marmore tecta iacent.

Obijt Budsius anno Christi 1488. huius, cum laude, meminerunt Sanderus de scriptoribus Flandriæ Valerius in Bibliothecâ Belgicâ, Henriquez in Menologio, pluribus in locis. Et antè hos, Iacobus Meyerus in Annalibus Flandriæ, in Philippo Burgundione, ad annum 1453. Vbi etiam laudabilem mentionem facit Iacobi Budsij, fratris Germani nostri Adriani.

Adrianus Cancellier, Abbas Cænobij nostri Dunensis, sanctitatis opinione celeberrimus, scripsit idiomate partim Latino, partim Flandrico, varias *Conciones & exhortationes pias & ferventes, non minus doctrina, quam reliogiosa perfectionis zelo refertas*, quas propriâ ipsius manu conscriptas, penes me habeo.

Libellum item Industriarum, omnibus animarum Rectoribus perutilem. Hunc in proprium usum, ex probatissimis Authoribus collectum, primum latinè descripserat, quem postea, in gratiam Monialium, in linguam transtulit Flandro-Belgicam. Utrumque etiam exemplar apud me habeo. Porrò, *vitam ipsius Adriani ego ipse conscripsi, & hoc anno 1655. publicavi.* Brugis typis Nicolai Bregelij.

Adrianus Mesdach, patria Furnensis, Flander, Monachus & Subprior Cœnobii eiusdem de Dunis, ibidemque annis plurimis, S. Theologiæ moralis Lector, vir fuit eloquio disertus, & in historicis, ac Theologicis disciplinis haud vulgariter exercitatus. Qui scripsit, & Confratribus suis prælegit, *De Sacramentis in genere, & in specie, usque ad Sacramentum matrimonii exclusiue.* Item, *De internis actibus Religionis, deuotione, & oratione, præsertim horis Canonicis.* Hæc omnia ego ipse adhuc iuuenis, ex ore illius calamo excepi, & M. S. extant Dunis. Scripsit insuper *Chronicon monasterii nostri Dunensis*, cuius maximã partem vulgauit Henriquez, sparsim in suo deserto Dunensi, & in fasciculo. Floruit Adrianus anno 1620. & sequentibus, sub Abbate Domino Adriano Cancellier. Obiit anno 1650. 5. Decembris.

Adrianus Mueleman, natione Flander, Monachus quoque Cœnobii nostri de Dunis, Vniversitatis Duacensis Theologus, mecum anno 1629. in Germaniam directus, Theologiam docuit in Abbatia Veteris-montis, in Ducatu Montensi, vbi (inter cæteros) auditorem & discipulum habuit Reverendissimum Dominum Ioannem Blanckenberg, Abbatem modernum eiusdem Cœnobij, S. Theol. Doctorem, & Vicarium Generalem Ordinis Cisterc. per Westphaliam, & tractum Rheni. Quæ ibidem cōscripsit, & prælegit, sunt sequentia:

Tractatus Moralis de Iustitia, & Iure. Et *Tractatus de Censuris Ecclesiasticis.*

Extant hi tractatus in Veteri-monte, & Dunis. Scripsit etiam *Annales Monasterii nostri Dunensis valdè curiosos.* In quibus singulis ferè annis aliquid additur, quod in spirituali, aut temporali regimine contigit. Quod opus, in posterum, omnibus Flandriæ annalistis vtilissimum esse poterit. Ex quo, non pauca deprompsit R. P. Iacobus Malebrancque, pro 3. suo tomo de Morinis, eorumque rebus.

Plura alia egregia opera affecta habebat, sed mors nimium intempestivè superveniens, cuncta suppressit; cætera etiā iam recensita, ad Bibliothecā M.S. ablegavit, non facilè lucem visura. Obiit anno 1649. 7. Martii, in Hollandia, Hagæ Comitis, ubi Monasterii negotia peragebat: corpus tamen Brugas relatum, iuxta Confratres terræ mandatum est. Antè obitum autem in Hollandia publicaverat (suppresso nomine suo) *deductionem difficultatis quæ est inter Religiosos B. Mariæ de Dunis, & Dominum Principem Orangiæ, occupantem bona dicti Monasterii. sita in territorio Hulstensi. Libellus est in 4to. impressus sine Typographi nomine.*

Ægidius de Dammis, natione quoque Flander, & Dunensis Cœnobij Monachus, nec non & S. Theologiæ Baccalaureus Parisiensis, vir non minùs humilitate & Religionis zelo, quàm eruditione clarissimus, scripsit *Martyrologium Sanctorum*, teste Barnabâ de Montalbo, in Chronicis Cistercienfibus; vel potius (ut ait Joannes Bollandus Societatis Jesu, §. 9. Præfationis generalis ad vitas Sanctorum, præfixæ tomo 1. editionis anni 1643.) *Martyrologium recensuit, auxit, & locupletavit.* Citat hunc etiam Henriquez, lib. 2. fasciculi, dist. 10. cap. 14. Et in Menologio, 11. Decembris. Et Molanus in Addit. ad Martyrologium. Et lib. de Martyrologiis, cap. 8. Præ cæteris autem, honorificam illius mentionem facit Andreas du Saussay Parisinus, S. R. E. Protonotarius, Concionator Regius, &c. cap. 19. Apparatus ad Martyrologium Gallicanum a se editum Lutetiæ Parisiorum, anno 1637. ubi proferens Catalogum insigniorum scriptorum, qui Fastos Ecclesiasticos ab aliquot sæculis instaurare, expurgatosque illustrare, laudabili & fructuoso universæ Ecclesiæ labore, contenderunt, §. 5. hæc habet. Ægidius de Dammis, Dunensis Monachus, Ord. Cist. pijssimus ac eruditissimus, Martyrologium ex pluribus codicibus manuscriptis, recensuit, auxit, & locupletavit, sed morte præpeditus, fœtum suum in lucem non edidit. Nec ideò hac classe ablegandus, quin potiùs spectabili ponendus loco. Quoniā primus fuit, qui proximè elapso sæculo, opus hoc æternū memorandū, recognitionis Sacrorum fastorum aggressus est. Hæc ibi.

Porro scipsit etiam *Commentaria in diversos sacræ Scripturæ libros*, nominatim, *Commentarium amplissimum in Psalmos.* Deniquè & *varia pia opuscula*, quibus plurimos ad devotionem traxit; ut scribit Budsius, historiographus Dunensis, illi coævus, in supplemento suo Chronici Ægidii de Royâ, ad annum Domini 1463.

Ex his opusculis, extat adhuc Dunis *Libellus insignis de Regimine Monialium*, omnibus Monialium confessariis utilissimus. Libellum hunc compendiosè versibus complexus est Author; quod scriptum vocavit *Regulam confessoris Monialium*

lium. Reperiturque sub iunctum priori Libello.

Dialogus item, inter animam & hominem Religiosum, complectens methodum succinctam assequendæ perfectionis Religiosæ. Adrianus Meschach in collectaneis suis asserit illum quoque scripsisse carmina, vitam Christi, & vitam Sancti Bernardi, sed vita S. Bernardi Dunis amplius non extat, habemus quidem vitam Christi carmine scriptam à quodam monacho Ord. nostri, sed utrum ab hoc, an ab alio, ignoramus. Porro Ioannes Bunderius in Indice librorum M.SS. Belgij, refert, in Bibliothecâ Dunēsi olim extitisse omnia sequentia opera ab hoc Ven. Priore composita. 1. *Directorium Originalium B. Hieronymi*. 2. *Directorium Originalium B. Ambrosij*. 3. *Directorium Originalium B. Gregorij*. 4. *Directorium Originalium B. Bernardi*. 5. *Malogranatum*, cuius initium est: *Pertransibunt plurimi. &c.*

6. *Lectura super 1. Psalterij quinquagenam*. Sæpissimè cogitans, &c.

7. *Lectura super 2. Psalterij quinquagenam*. princ. decursa pro posse &c.

8. *Lectura super 3. Psalterij quinquagenam*. princ. duabus primis expeditis, &c.

9. *Collectaneus Martyrologij*. principium: Pauper ego Monachus.

10. *Collectaneus diuinorum eloquiorum*.

11. *Super Epistolas Pauli*. Princ. Paulus nomine quidem interpretatur medicus. &c. Solebat hoc opus etiam seruari apud Carmetas Gandenses, teste eodem Bunderio. Obijt autem Ægidius anno Domini 1463. Cæterum, quia in quibusdam antiquis monumentis nostris repetio illum cognominatum, *De Sabinâ*, suspicor, vulgo cognominari de Dammis, à loco natiuitatis, ciuitate nimirum Dammensi.

Ægidius Leodiensis (à loco natiuitatis vulgò cognominatus) professione Monachus Aureæ-vallis, in Ducatu Lutzemburgico, historiæ Ecclesiæ Leodiensis conscribendæ egregiam nauauit operam: nam,

Harigeri, Abbatis Lobiensis. & Anselmi, Canonici Leodiensis scripta (qui primi habentur rerum Leodiensium scriptores) recognovit, & additionibus amplissimis pluribus in locis auxit. Quam ob causam, omnem diœcesim Leodiensem, illiusque veteres Bibliothecas, manuscriptis codicibus instructas, Sanctæ Mariæ, Sancti Lamberti, Malmundariensem, Stabulensem, Lobiensē, Gemblacensem, Sancti Huberti in Ardenna, & Sancti Laurentij prope Leodium, præsens ipse excussit, & ex eis, quæ ad propositum suum faciebant, summâ diligentiâ, parique fide, desumpsit, vt in vita ipsius discrtè testatur Ioannes Chapeauille. Deindè, eosdem scriptores excipiens, *Historiam Tungrensem & Leodiensem, ipse Ægidius feliciter prosecutus est, ab anno Domini* 1060. *vsque ad annum* 1251. Huius autem historiam posteà continuauit vsque ad annum 1348. Ioannes Hocsemius Canonicus Leodiensis. Prodierunt hæc omnia in lucē iunctim Leodij, anno 1613. opera & studio Ioannis de Chapeauille, Canonici, & Vicarij Leodiensis. Extat & Ægidij historia M. S. apud Canonicos Regulares Tungris. ex historiâ hac Tungrensi Ægidij nostri, desumpta est vita S. Alberti Cardinalis & Episcopi Leodiensis, quam anno 1612. publicauit Aubertus Miræus Antverpiæ, typis Dauidis Martinij, sub hâc inscriptione, *Vita & Martyrium Sancti Alberti Cardinalis & Episcopi Leodiensis, Authore Ægidio Leodiensi, Aureæ-vallis Monacho, Ordinis Cisterciensis in ducatu Luceburgensi*. Porrò, Cardinalis hic fuerat martyrio coronatus Rhemis, anno 1192. ibique corpus eius quieuit, vsque ad annum 1612. quo postridiè Cal. Nouembris, magnâ solennitate Bruxellas translatum est, & die vndecimâ Decembris subsequente, in Cœnobio monialium Carmelitanarum collocatum, iussu & auspicijs Alberti Archiducis Austriæ, Belgarum Principis. Vita hæc posteà translata fuit in linguam Castellanam, per R.

Patrem Andream de Soto, Isabellæ Hispaniarum Infanti, &c. à sacris Confessionibus, addita relatione earum quæ in translatione contigerunt. Cæterum, Ægydii vitam ex scriptis eius collegit dictus Chapeaville, quam præfixit tomo 2. Historiæ Leodiensis, citatæ.

Ægidius Preslerus, Abbas 25. Alnensis Cœnobii in ditione Leodiensi S. Theol. Doctor subtilis, & concionator disertissimus, scripto reliquit.

Tomos tres concionum, super Dominicas, & Festa Sanctorum totius anni. Qui manuscripti servantur Alnæ Ant. Sanderus, tom 2. Bibliothecæ Belgicæ manuscriptæ, in Catalogo Bibliothecæ Monasterii Alnensis. Hic idem Ægidius *insignem habuit Orationem Romæ*, coram summo Pontifice, in pleno consistorio, qua mitræ usum sibi & successoribus suis obtinuit. Obiit anno 1484. Vide Jongelinum in notitiâ Abbatiarum Ordinis Cisterciensis.

ÆGIDIUS DE ROYA, natione Gallus, Adolescens Cistercii Monasticen professus, & hinc Parisios studiorum gratia missus, SS. Theologiæ Doctoralem lauream consecutus est, quam etiam Theologiam ibidem, eximia cum laude, miroque fructu, per annos 19. professus est. Deindè, à Cœnobitis regalis montis, in Francia, in Abbatem expetitus, 6. annis la dabiliter iisdem præfuit; post quos, resignatione factâ, Dunas in Flandriam venit, ubi cum venerabili Domino Ioanni 27. eiusdem Monasterii Abbati, obedientiam & stabilitatem vovisset, per annos 18. humilitatis & Religionis speculum se præbuit. Quo tempore, *Opus vastum Chronodromi, seu Chronici, ab exordio mundi usque ad annum* 1414. *Ioannis Brandonis, Religiosi Dunensis, SS. Theol. Doctoris, in compendium redegit, illudq; prosecutus est ab anno* 1431. *usque ad annum* 1463. Excipiens Bartholomeum de Becâ, Religiosum item Dunensem, SS. Theol. Baccalaureum, qui idem anteà produxerat ab anno 1414. usque ad annum 1431. extat typis excusum Francofurti anno 1620. una cùm continuatione Adriani de Budt, de quâ supra. Asservatur etiam M. S. Dunis, & Cistercii. Obiit anno 1478. Brugis, in Refugio Dunensi, sepultusque fuit in Monasterio *novæ Hierusalem*, vulgo *Sparmaillie*, quod est monialium Ord Cisterc. tunc extra, nunc verò intra mœnia civitatis Brugensis.

Post obitum, apparens Domino Adriano de Budt, quondam discipulo suo, *ei varia cælestis sapientiæ documenta dedit, quæ hic, per formam dialogi, scripto mandavit.* Extant etiamnum Dunis M. S. & pro parte impressa in Menologio Cisterciensi, ad 24 Martii.

Scripserat etiam *in Magistrum sententiarum doctissima commentaria*, dum Parisiis in Sancti Bernardi Collegio Lectorem ageret, sed hæc Dunis amplius non reperiuntur. Hic etiam Ægidius anno 1446. dum adhuc Monachus esset Cisterciensis, unà cum Ioanne Grallonis, Abbate Morimundi, S. Theol. Professore, authoritate Capituli generalis, visitavit Scotiam, ut habetur in codice antiquo M. SS. Loci S. Bernardi ad Scaldim.

Huius authoris meminerunt Montalbo, Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica, Anto. Sanderus de Scriptoribus Flandriæ, Meyerus in vita Ioannis Burgundionis, Flandriæ Comitis, & domestici nostri Scriptores Dunenses plures.

Ægidius T'soggaert, Religiosus Camberonensis in Hannoniâ, & Confessarius Sanctimonialium *B. Mariæ de Camerâ*, iuxta Bruxellas, edidit Bruxellis anno 1626. typis Ioannis Pepermanni 66. conciones spirituales de Passione Domini, lingua Flandro-Belgica, quas dedicavit Abbatissæ dicti Monasterii *Cameræ B. Mariæ Virginis.* Opus est insigne, omnibus, præsertim Religiosis, utilissimum, quod author inscripsit: *Horologium spirituale 24. horarum, quo quis diebus & noctibus, devotè in Passionis Dominicæ meditatione seipsum exercere potest.*

Ayber-

Aybertus, quidam Abbas Ordinis Cisterciensis in Hispaniâ, scripsit *librum de viris sanctitate illustribus sui Ordinis, maximè Hispanis.* Citatur ab Henriquez in Menologio 13. Septembris, 11. Octobris, & 1. Nouembris.

S. Ailredus (*Pitsæo, Eailredus; alijs, Adilredus, Edilredus, vel Ethilredus*) veteri Anglorum Regum stirpe progenitus, & (teste Ioscelino in vitâ B. Walleni) in aulâ Dauidis, Pijssimi Scotorum Regis educatus, vnà cum Henrico filio Regis, & B. Walleno. Tandem, Dei inspirationibus obediens, factus est Ordinis Cisterciensis Monachus: in quo solitario vitæ genere, rerum cælestium contemplationi ita se dedit, vt breui inter omnes Professionis suæ socios, tanquam Luna inter stellas minores emineret. Accessit ad hæc litterarum cognitio quæ tanto illi ad omne genus doctrinæ incitamento fuit, vt nullum scientiæ genus intactum relinqueret. Vnde, tantis virtutum & doctrinæ ornamentis insignitus, communi suorum suffragio, Rhienvallensis Abbas electus fuit. Dignitatem Episcopalem à Dauide Scotorum Rege (sibi familiarissimo) oblatam recusauit, quò diuinarum rerum contemplationi, & Euangelij prædicationi liberiùs vacare posset. Frequens erat in voluendis Sancti Augustini scriptis, in quibus, eius confessionum libri, præ cæteris, mirificè placebant. Erat in scriptis, dictis, factis, omnique vitæ ratione, Sancti Bernardi diligentissimus imitator, mitis, mansuetus, humilis, modestus, pius temperans, castus, & qui in se, & cum alijs, & inter omnes, pacem & concordiam suprà quàm dici potest aut cogitari, conciliabat, fouebat.

Scriptorum eius Elenchum hoc ordine recenset *Pitsæus*, lib. de illustribus scriptoribus Angliæ. Et ex eo, ad verbum, *Henriquez* in Phœnice reuiuiscente; & *Angelus Manriquez* (nunc, Perillustris pacis Augustæ Episcopus) tomo 2. Annalium Cisterciensium, ad annum Domini 1166. cap. 3. scripsit *vitam Sancti Eduardi Regis Anglorum, & Confessoris libros duos.* Extat apud Surium 5. Ianuarij. Et M.S. in Bibliothec. Lunleiana. *Vitam eiusdem carmine*, quæ sic incipit: Cum tibi Laurenti, cogat parere iubentis. Vide Ioannem Molanum in Annot. ad Vsuardi Martyrologium. 5. Ian. *De miraculis eiusdem lib. vnum*: Robus humanis exemptus. &c. M.S. In rubrâ valle. *De vitâ & moribus aliorum quorundam Regum Angliæ, lib. vnum*: Quoniam de optimis moribus, &c. M. S. In Bibliothecis Baronis de Lunleio, & Gualteri Copi. *Vitam Dauidis Scotorum Regis, Lib. 2.* Inc. Religiosus & pius Rex Dauid, &c.

Planctum mortis eiusdem, lib. alium.

Vitam Sancti Miniani Episcopi; Inc. Multorum bonorum. &c.

Vitam Sanctæ Margaretæ, Reginæ Scotiæ, quæ extat apud Surium 10. Iunij, sed nonnihil contracta.

Miracula Hagustaldensis Ecclesiæ, Lib. 1. Præsentis diei exposcit ratio &c,

De statu eiusdem Ecclesiæ, Lib. 1.

Chronica ab Adamo vsque ad Henricum primum.

Chronica de Bello Standardi, Lib. 1. M. S. Cantabrigiæ in Collegio Sancti Benedicti.

De quodam miraculo, lib. 1. Inc. miracula Domini, &c. M. S. ibidem.

De fundationibus Monasteriorum B. Mariæ Eboracensis, & de fontibus, Lib. 1. M.S. Ibidem.

Scientiarum flores, Lib. 1. Cum multos diuinæ authoritatis. &c.

Homilias 33. in Isaiam Prophetam. M.S, in Sancto Amando.

De reuelationibus eiusdem, Lib. 1,

Homiliarum aliarum, Lib. 1. Petis à me, dilectissime in Domino. &c.

Homiliarum in Euangelium Sancti Lucæ, De accensâ lucernâ, lib. 1,

Iterum, super Lucam, Lib. *alium*.

De Prælatorum moribus, Lib. 1. Beatus Paulus, &c.

De ministrorum Officijs, *Lib*. 1. In libro Numerorum, &c.

De Abusionibus claustri, Lib. 1. Duodecim sunt, &c.

Centum Sermonum Synodalium, *Lib*. 1.

Speculum charitatis, libros 3. hortatu Geruasij Parchorensis Abbatis; Inc. Verè Sanctorum vita. &c. M. S. in Bibliothecâ Lunleianâ.

De spirituali amicitia. *Lib*. 3. M. S. in Sancto Amando, & in Monasterio nostro de Dunis: Inc. Ecce ego & tu, eadem. &c.

De verâ amicitiâ, *Lib*. 1. Cum adhuc puer essem. &c.

De Aduentu Domini, *Lib*. 1.

De militiâ Christianâ, *Lib*. 1. Sagitta Ionathæ nunquam. &c.

Dialogorum plurium, *Lib*. 1.

Genealogiam Regum Angliæ, *Lib*. 1.

De diuersis virtutibus, *Lib*. 1.

Orationem Pastoralem, *Lib*. 1.

Sermonum de Sanctis, *Lib*. 1.

De tribus hominibus, *Lib*. 1.

In 13 caput Isaiæ homilias Latinas 33. Sub hoc titulo : super Onus Babylonis. Inc. Tempus est fratres charissimi &c.

De Oneribus vndecim Isaiæ (*alias Isaac*) *Lib*. 1. Audiens te Pater. &c. M.S. Oponij, in Bibliothecâ publicâ & in priuatis Lunlæi, & Copi.

Dialogum inter hominem, & rationem. *Lib*. 1. Quare tristis es anima mea? &c.

Super Cantica Canticorum.

De institutione Sanctimonialium, *Lib*. 1. Iam pluribus annis exigis, &c.

Contra quorundam Episcoporum litteras, *Lib*. 1.

De virtute Gualteri Espec. *Lib*. 1. Anno Dominicæ Incarnationis 1138. &c.

Epistolarum trecentarum, *Lib*. 1. In quieto littore degens. &c.

De Lectione Euangelica, *Lib*. 1.

De Christo duodenni, *Lib*. 1.

De Virginitate B. Mariæ, *Lib*. 1.

De natura Animæ, *Lib*. 1.

De dotibus Animæ, *Lib*. 1.

Et plura alia. Ita Pitsæus, & alij citati suprà. Præter hæc, in Cœnobio S. Amandi, Ord. S. Benedicti, asseruâtur in antiquo M.S. *Expositio super Psalmum, Afferte Domino*, &c. huic B. Ailredo adscripta. Notat autem rectè Pitsæus diuersa scripta huius *Ailredi* confundi cum scriptis Adilredi, seu *Edilredi Abbatis VVardensis*, & è contra, licet diuersis temporibus vixerint. Nam Wardensis floruisse legitur (teste Pitsæo) circa annū 1220. cum B. *Ailredus Rhieuallensis* diem suum obierit anno 1166. pridiè Idus Ianuarij, vt post Pitsæū notat etiā Henriquez in Phœnice, licet in Menologio (sibi ipsi contrarius) perperam scribat hunc obijsse 1220. Hinc immeritò *Richardus Gibbonus* Societatis Iesu reprehendit *Eisegrenium*, quod eosdem distinxerit. Quanquā hoc verum sit, quod opera quæ Eisegrenius adscribit *Edilredo VVardensi*, sint ipsius *Ailredi Rhieuallensis*; aliaque sint quæ scripsit *Edilredus*, vt videre licebit infrà. *Eius Sermo de Sampsone*, sic incipiens, Qui stat ait Apostolus, &c solebat scoriari in Sancto Bertino. Idem *disputatio contra Nouitium*, apud Carthusianos Gandenses, teste Bunderio, in Indice libb. M.S.

Ex operibus huius Ailredi nostri prodierunt nuper Duaci anno 1616. operâ & studio iam dicti R. Patris Richardi Gibboni, Societ. Iesu, *Sermones 31. de Onere Babylonis, in cap. 13. Isaiæ Speculum Charitatis, Lib. 3. Compendium Speculi, De Spirituali Amicitiâ, Lib. 3. Et sermo de Puero duodenni*. Quæ omnia etiam posteà inserta fuerunt Bibliothecæ Patrum Coloniæ excusæ anno 1618.

Porrò, circà Elenchum vniuersalem operum *B. Ailredi*, iam ex Pitsæo recensitum, operæ pretium

pretium duxi quædam hîc annotare, ex tomo 2. Annalium Cisterc. R. D. Angeli Manriquez, ad annum Christi 1166. cap. 3. scilicet

1. In memorato Elencho, prætermissum esse *Compendium Speculi.* Quod diuersum est opus à *Speculo*, & quasi præuium, eiusdem mox scribendi occasio fuit, vt pluribus docet Manriquez suprà. Continet autem *Compendium* hoc 37. capita, quorum prioris hic est titulus. Vt Creator ametur à suâ Creaturâ. Videantur exemplaria impressa.

2. Notandum, initium Speculi à Pitsæo allatum scilicet: Verè Sanctorum vera est &c. esse solum initium Prologi operis verò initium est tale: Extendisti Domine sicut pellem, &c.

3. *Libros de vera Amicitia*, & *de Amicitia Spirituali*, non esse duo opera, sed vnum, tribus libris contentum, cum vno Prologo, cuius initium est, Quod libro, *de vera amicitia*, Pitsæus adscribit; Cum adhuc puer essem, &c. Librorum verò qui sequuntur, idipsum quod Pitsæus notauit præposterè, nimirum: Ecce ego & tu. &c.

4. *Homilias quoque in caput 13. Isaiæ*, & *Librum de vndecim Oneribus*, atque alium, *de Aduentu Domini*, quos Pitsæus distinguit, esse vnum prorsus opus; nam Liber de Aduentu Domini, nihil aliud est quam vna ex his homilijs: sequuntur illæ sub initio ibi præfixo: Tempus est Fratres, &c. Sed, quem appellat *Librum de Oneribus Isaiæ &c.* incipientem; Audiens te Pater Beatissime &c. nihil aliud est, quam Epistola quædam familiaris, quâ eædem homiliæ G. Londoneni Episcopo ab authore offeruntur corrigendæ. Homilias autem has declamatas esse in capitulo ad Monachos, dum iam Abbatem ageret, contextus earum manifestat. Non tamen extant 33. (vt vult Pitsæus) neque totidem ab authore scriptæ fuerunt, sed vna minus, nimirū Sermo vnus in Aduentu, de vndecim oneribus (qui ab aliquibus S. Bernardo tribuitur) dein vnus & triginta, quos ipse Ailredus numerat in vltimis verbis Epistolæ prænotatæ, vbi sic ait: *Eo igitur sermone præmisso, qui nobis occasionem præbuit cætera conscribendi de Onere Babylonis, decem & nouem; de Onere Phylistijm, tres; de Onere Moab, nouem homilias subscripsimus: pro vestro arbitrio, vel hic subsistere, vel vltra procedere parati.* Hactenus ipse Ailredus.

Deeius scriptis generaliter leguntur hi versus apud Gibbonem, & Henriquez in Menologio, locis citatis.

Bernardo propè par fuit, & dulcedine certat,
Mirè mellitos condit vterque fauos.
Bernardo primas demus, ferat ille secundas,
Proximus à primo iure legendus eat.
Par vtrique ætas, Ambos eademque tulere
Tempora, par ordo, par pietatis amor.
Gallia Bernardum, nostrum tulit Anglia, sed tum
Discolor, heu! nostris Anglia temporibus.

Item apud Manriquez, cap. 2. supra:

Ecquis Aelredum Bernardo inuidit? & vno
Tam similes calamo, credidit esse duos?
Legerit incautus si quis monumenta duorum
Lactea, non ausit dicere, scripsit vter.
Bernardus ne ab hoc hausit, vel noster ab illo,
Vel simul ex vno flumina fonte trahunt?
Fouit vtrumque, reor, mellita MARIA *clientem,*
Mel de Virgineo suxit vterque sinu.

Cæterum Ailredum hunc Sanctorum numero adscriptum esse, adseuerant omnes Angliæ scriptores, (quamuis neque annum, neque Pontificē notent) fateturque ipse Balæus, omnium Romano-Catholicorum, sed præcipuè Monachorū hostis iniquissimus. Vide Manriquez supra, cap. 4. num. 6. Henriquez in Menologio, & Ioannem Bollandum 12. Ianuarij, vbi vitam S. Doctoris exhibet conscriptam per Anonymū, sed contractam. Thomas Demsterus historiā

gentis Scotorum, num. 457. hunc Sanctum ad scribit Scotis eo quod (vt ait) Northumbria in quâ fundata est Rhieuallis à Sancto Macolmo, tunc erat Regni Scotici.

B AYMO, *Monachus Sauigniacensis* Cœnobij, natus in villâ Britanniæ Armoricæ, quæ vocatur Landacob, vir (teste Seguino, lib. 3. c. 67. de viris illustribus Ord. Cister.) scientiâ scripturarum celebris, & vitæ conuersatione sanctissimus. *Plura scripsit praclara opera, quæ 12. voluminibus digesta, etiamnum in Sauigniaco asseruantur.* Vide Angelum Manriquez tom. 2 Annalium, ad annum 1148. cap. 7. num. 6. & 7. vbi refert illum obijsse anno 1174.

Alanus, Antisiodorensis Episcopus (alijs Almanus dictus) Insulis Gallo-Flandriæ oppido, oriundus, primum Monachus Claræuallis sub sancto Bernardo, deindè primus Abbas Ripatorij, in Diœcesi Trecensi, ac demum anno 1151. Episcopus Antisiodorensis; postquam annis 14. (aut iuxta alios 16.) Cathedram tenuisset, veteris solitudinis desiderio tactus, Alexandro 3. Pontifice permittente, Episcopatum dimisit, & reliquum vitæ in Claravalle pijssimè transegit, vbi hodièque monumentum eius sepulchrale visitur, seruaturque (teste Nicolâo Camuzeo in notis marginalibus ad Roberti Chronicon Antisiodorense) eiusdem Alani testamentum, anno 1182. conditum. Scripsit verò Alanus *vitam Sancti Bernardi*, quam dedicauit B. Petro Monoculo, Abbati Claræuallensi. Extat M.S. apud Vedastinos Atrebati, teste Valerio Andreâ, in Bibliothecâ Belgicâ. Item in Vallelucente. De hâc vita agens Manriquez, tom. 2. Annalium, ad annum 1153. asserit eam extare impressam in antiquissimis exemplaribus operum Sancti Bernardi. Id quod etiam confirmat eximi D. Claudius Chalemot Abbas de Columbâ, in relatione manuscriptâ ad me missâ ex Regali monte, anno 1647.

Sed & Iongelinus in purpurâ Sancti Bernardi, scribit, se asseruare diploma huius Alani, quo anno 1163 confirmauit fundationem Monasterij Sancti Mariani, Canonicorum Præmonstratensium, factam à Prædecessore suo Hugone de Montagu, quondam Abbate Pontigniacensi, Ord. Cisterciensis.

Extat quoque tomo 12. Bibliothecæ Patrum, parte 2. pagina 251. insignis Epistola Petri Cellensis ad hunc Alanum, quâ mire virum colit & reueretur. Alanum hunc Menologio Cisterciensi adscripsit Henriquez, ad 14. Octobris, vti etiam Hagiologio suo Sanctorum Flandriæ Ant. Sanderus, eodem die. Alani huius Testamentum vulgauit Nicolaus Camuzatius in suis miscellaneis, & post eum, Manriquez, tom. 3. Annalium Cisterc. anno 1182. cap. 3. ubi plura Lector inueniet quæ in commendationem Alani faciunt.

Alanus conuersus, seu frater laicus, Cisterciensis Monasterij (quem communiter etiam Insulensem vocant grauissimi quique Authores; vt Guil Eisegrenius, in Catalogo scriptorum, Posseuinus in Apparatu, Sixtus Senensis in Bibliothecâ, Robertus Holcot, Henricus à Gandauo lib. de scriptoribus, Aubertus Miræus in Scholijs ad eundem librum, Ant. Verdrier in Bibliothecâ Gallicâ, Ant. Sanderus lib. de scriptoribus Flandriæ, & passim plures manuscripti Codices: Manriquez tamen, & Iongelinus alterius volunt esse nationis:) Orator, Philosophus, & Theologus, inter omnes sui temporis excellentissimus, Sacræ Parisiensis Academiæ Moderator; qui ob omnigenarum rerum eruditionem, *Doctoris Vniuersalis* cognomen promeruit: tandem, diuinâ reuelatione excitatus, Cistercium adiens, habitum ibidem Conuersorum, seu Laicorum Fratrum induit, oues pauit alijsque abiectissimis occupationibus se exercens, diu ignotus mansit, donec in Generali Concilio tempore

tempore Innocentij tertij, anno 1215. Romæ celebrato fuit generale 12. Lateranense 14) divina dispositione cognitus fuit. Historiam referunt, Buzelinus, in Gallo flandria, & (ex Matthia Bonhomio) Henriquez in Menologio, 3. Ianuarii ac alij plures. Porrò, inter multa laborum suorum illustria monumenta, posteritati reliquit, quæ adhuc (pro majori saltem parte) in antiquis Bibliothecis, hinc indè reperiuntur.

Commentaria in universum Pentateuchum, lib. 5.

In Cantica Canticorũ, ad laudem B. Virginis. Inc. Cum multi ad ornandũ &c. Prodijt hoc opus Parisijs, anno 1540. in 8. Publicavi & ego illud denuò anno 1653 collatum & correctum, ad duo antiquissima M.SS. exemplaria, videlicet, Villariense, & S. Martini Tornaci. Antuerpiæ, typis Guil. Lesteenij, in fol. una cum pluribus alijs operibus ipsius Alani.

Super 4. Libros Sententiarum, Opus quadripartitum, ut illud indigetat Waldensis, tom. 2. cap. penultimo. apud Prædicatores Parisijs.

Oculum Sacræ Scripturæ, sive. *Compendium utriusque Testamenti.* Princ. Reverendissimo Patri ac Domino &c. M.S. in Cœnobio nostro de Dunis.

Quodlibeta. lib. 1. Trithemius, Seguinus, & alij.

Summam Virtutum, & Vitiorum. Trithemius.

Terminos Sacræ Scripturæ. M.S. in Bibliothecâ Ultrajectinâ.

De Maximis Theologiæ, lib. 1. qui aliter dicitur, *Doctrinale altum.* Inc. Omnis scientia suis utitur Regulis &c.

Reperitur, apud nos *Dunis, Camberona,* & Tornaci ad Sanctum Martinum.

Summam de Arte prædicandi. Princ Vidit Scalam Iacob &c. Hanc ego quoque publicavi anno 1653. ex duobus M.SS. Monasterij nostri Dunensis, in fol.

De doctrina, lib. 1. Credo esse, *doctrinale altum,* de quo suprà.

De Articulis fidei, lib. 1. Apud Canonicos Regulares, Tungris.

De Æquivocis Mysticis, lib. 1.

Libros 4. de Pœnitentiâ ad Bituricenses, Inc. Dei gratiâ, Bituricensi &c.

Pœnitentiale, librum alium, qui dicitur etiam *Corrector,* hunc librum etiam ego edidi, ex duobus exemplaribus, M.SS. nimirum, Monasterij nostri Dunensis, & S. Gisleni.

De Intelligentijs. Camberonæ, & in S. Martino Tornaci.

Distinctiones Terminorum Theologorum. lib. 5. Solebant asservari apud Martinianos Lovanij in rubro claustro, apud Prædicatores Gandenses, & Brugenses, teste Ioanne Bunderio in Indice libb. M.S.S. Belgij.

Ternarium de Euangelijs, Principium: de tribus causis primi Adventus. Olim montibus S. Gertrudis.

Ternarium de Epistolis, ibidem.

Super orationem Dominicam. Inc. Cum esset Rex noster Christus in accubitu suo. &c. Leodij ad S. Laurentium.

De Contempto Mundi, & sumptibus. Inc. Si Prædicator &c Leodij, suprà.

De unica celebratione in die. In Cœnobio de Mello.

De septem artibus liberalibus, quomodò subserviunt Theologiæ. Inc. Exceptivam acceptionem, &c. Olim in Baudeloo in Ninoviâ, & apud Prædicatores Gandenses. Ita Bunderius suprà.

De triplici mundo. Metricè. Inc. Expugnans hyemem Vernal apud Martinianos Lovanij.

De Oculo morali, metricè.

Anti-Claudianum, seu de Viro optimo, & in omni virtute perfecto. libros novem. Carmine.

Impressum fuit hoc opus Basileæ anno 1536. & iterum Antuerpiæ 1621. typis Ioachimi Trognesij,

gnesij sed semper sine nomine Authoris, & mutilum. Extant exemplaria M.SS pluribus in locis, vidi ego duo diversa in Collegio PP. Societatis Iesu Lovanij, & totidem apud Clarissimum virum Balthasarē Moretum Antuerpiæ, quæ longo tempore apud me habui, ad quæ etiam impressum exemplar conferendo, illud integritati & nitori restitui, ac denuo recudi feci una cùm alijs Alani operibus. Antuerpiæ, 1653. addito etiam Authoris nomine, quod passim præterunt exemplaria M.SS. insuper, & notis marginalibus &c. Porro, Opus est curiosissimū, & doctissimum, adeò ut vulgo vocari soleat, Ecyclopædia, sive, omnium scientiarum orbis. Undè, tanti etiam illud fecit olim Venerabilis Adam de Basseyâ, Canonicus Insulensis (vir doctissimus, qui circa annum Domini 1400, vixisse putatur) ut ipsum opus tersis & politis versibus in compendium redegerit, & hinc indè digressionibus moralibus doctissimis, ac diversis odis spiritualibus illustraverit: Quod opus Author ipse indigitavit; *Ludus Adæ de Basseyâ, in Anticlaudianum Magistri Alani de Insulâ.* Extat M.S. Tornaci in Monasterio S. Martini, in duobus exemplaribus, quorum alterum aliquamdiu apud me habui. In cuius prologo ita loquitur Author: *Recreationis cuiusuis solatio indigens, pratum famosissimi quondam viri, & gratia excellentis, Magistri Alani de Insulâ, adij, ut in eo colligerem flores odoriferos, & prædulces, &c.*

Extat etiam Anticlaudianus translatus in linguam gallicam, Parisijs, in Bibliothecâ Regiâ, teste Philippo Labbeo, Soc. Iesu, in Bibliothecâ novâ, librorum M.SS. Supplemento 8. n. 970. Cur autem vocetur Anticlaudianus, resolvi in præfatione quam præfixi ipsi Operi impresso 1653.

De parabolis, sive *Doctrinale minus* versu elegiaco: Inc. à Phœbo Phebe &c. Prodijt Daventriæ 1492. Lipsiæ 1516. in 4. & alibi sæpius, novissimè, publicavi & ego 1653. Antuerpiæ, suprà Translatus est etiam hic liber in rythmos gallicos, & illustratus commentarijs gallicis & imaginibus, impressus Parisijs, 1492.

Contra Valdenses, Albigenses, Iudæos, & Paganos, quorum duo primi libri impressi fuerunt Parisijs ex Bibliothecâ Papirij Massoni, sed mutuli & incorrectissimi, quos proindè collatione facta ad antiquissimum M.S. integritati restitui, & imprimi curavi, ubi suprà, addito & 3. libro. quartum reperire non potui.

De Planctu naturæ contra Sodomiæ vitium, partim metro, partim solutâ oratione. Hoc opus, cum alijs, etiam publicavi, 1653. ex duobus M. SS. exemplaribus, Abbatiæ Cysoniensis, & Abbatiæ Parcensis, in Belgio.

Librum Sententiarum, & dictorum memorabilium hunc etiam publicavi, Antuerpiæ, suprà ex M.SS. nostro Dunensi.

De Naturis Animalium, lib. 1.

Sermones varios, & præclaros, ex quibus publicavi undecim ex diversis M. SS. codicibus collectos.

Dicitur etiam scripsisse (testibus Trithemio, Gesnero, Sandero, & alijs) *Commentarios in plures alios libros S. Scripturæ*, nimirum, *in Prophetas, In Evangelia, in Epistolas Pauli, & in Apocalipsin.* Scripsit etiam Alanus, *Librum de sex alis Cherubim*, illum ipsum, qui (tertiâ licet parte truncatus) impressus extat in Appendice ad tomum 7. Operum S. Bonaventuræ. Quia nimirum idem S. Doctor legebatur scripsisse *librum de 6. alis Seraphin*, hinc factum est, ut liber de 6. alis Cherubim repertus sine Authoris inscriptione (prout in antiquis codicibus frequenter contingit) eidem quoque attributus fuerit, ab ijs qui verum Authorem ignorabant. Attamen, fœtum esse Alani nostri, testantur, *Trithemius*, lib. de Scriptoribus, *Valerius Andreas* in Bibliothecâ Belgicâ, *Sanderus*, & plures alij: imò, & clarè convincunt plura

plura antiquissima M.S S. exemplaria, quorum unum apud me habui, ex illustri Bibliothecâ (p.m.) nobilis viri Toussani Desbarbieus, Insulensis, Toparchæ despretæ, &c. mihi communicatum, opera clarissimi viri Claudij Doresmieulx, Attrebatij, veterum Authorum cognitione doctissimi, qui in epistolâ suâ ad me datâ 18. Maij anni 1650. apertè etiam scribebat, se hunc librum semper attribuisse Alano de Insulis. Et sanè in correctissimâ Romanâ Vaticanâ editione Operum S. Bonaventuræ, iussu Sixti 5. Papæ anno 1587. adornata (& postmodum etiam in Moguntinâ anni 1609.) Liber hic *de 6. alis Cherubim*, redactus est ad classem operum, de quibus dubitatur utrum sint S. Bonaventuræ nec ne editus est sub inscriptione sequenti.

De sex alis Cherubim, Tractatus, qui tamen ab aliquibus Alano adscriptus fuit. hoc modo prænotatur opusculum istud in omnibus impressis Alanum autem de Insulis Ioannes Trithemius in suo de Scriptoribus Ecclesiasticis catalogo, eius Authorem agnoscit. & opusculum de 6. alis Cherubim, inscribit. &c. Hæc ibi. Postmodum tamen, cum nemo causam Alani assumeret, libellus hic in Gallicam linguam translatus, absolutè, sub nomine S. Bonaventuræ in lucem protrusus fuit. Verum ego etiam nuper anno 1655 illum recognoscens, ex antiquo M S. memorato, in integritati & Authori suo restitui, imprimi curans cum cæteris Alani operibus.

Eiusdem Alani *Rythmum elegantem, de Christi incarnatione, quo divinum illud opus omnes artium liberalium regulas aspernatum fuisse perquam ingeniose cecinit.* Item *alium, in quo graphicè fluxa & caduca hominis naturâ depingitur*, publicavi etiam ubi suprà.

Alano quoque tribuuntur, *Commentaria in Prophetias Merlini Angli*, sub cuius etiam nomine impressa fuerunt Francofurti anno 1608. typis Ioannis Spiessij, in 8. hoc titulo: *Prophetia Merlini Ambrosij &c. una cum septem libris explanationum in eandem Prophetiam, excellentissimi sui temporis Oratoris, Polyhistoris & Theologi, Alani de Insulis, Germani, Doctoris Universalis, & Academ. Parisiensis ante annos 300. Rectoris amplissimi.* Porrò in his Commentarijs, Alanus de seipso loquens, fatetur se fuisse Religiosum, aut saltem Conversum, ex lib. 2. folio 61, dicit: *Abbas quidam de Ordine nostro, vir litteratus*, &c. Deindè, expressè dicit se oriundum fuisse Insulis in Flandria, folio 198. his verbis: *Vidi & ego in Flandriâ, cum puerulus adhuc essem, apud Insulam (undè oriundus fui) fœminam quandam maleficam, quæ in maleficio suo comprehensa* &c Et post pauca: *Tempus illud fuit, quo Comes Theodoricus ab Insulanis hominibus, Gandensibus quoque atque Brugensibus advocatus erat à terrâ suâ in Flandriam, tanquam legitimus Flandriæ hæres, &c.* Verum, ratione horum verborum, gravis orta est controversia inter Scriptores, de tempore vitæ & obitus B. Alani; nam cum passim Annales Belgici referant Theodoricum de Alsatiâ, à Flandris fuisse electum in Comitem, circa annum Domini 1128. Si Alanus tunc fuerit puerulus, non potuit floruisse anno 1200. ut cum Trithemio plures scribunt Authores; imò, nec supervixisse usque ad annum 1294. quo anno illum obijsse perhibet Epitaphium, quod Cistercij ad tumulum eius legitur, & nos infrà exhibebimus. Accedit, quod etiam conformiter Commentarijs citatis, *Albericus Monachus trium fontium*, Author antiquus & gravis, in Chronico suo scripserit, Alanum obijsse anno 1203, his verbis: *Apud Cistercium, mortuus est hoc anno (XII. C. II.) Magister Alanus de Insulis, Doctor famosus, & Scriptor ille Anticlaudiani, qui in Theologiâ fecit quandam artem prædicandi; Et contra Albigenses, Waldenses, Iudæos, & Saracenos, libellum edidit succinctum, ad Guillielmum Monspessulani Dominum: & alia quædam ipsius habentur opuscula.* hucusque Albericus, qui Chronicon suum non

præ-

produxit nisi usque ad annum 1241. Hinc sequitur, vel erroneum esse Epitaphium sepulchrale Alani, graviterque errare Trithemium aliosque omnes Doctores eidem consentientes; vel certa, vitiatum Alberici chronicon, & *Commentaria in Merlinum* memorata, alterius esse Authoris; id quod etiam tanquam probabilius, secuti fuimus, in *Relatione Historicâ*, quam Operibus Alani nuper impressis præfiximus: eidem cætera omnia conformiter applicantes. Quanquam etiam in aliâ sententiâ, dici posset, Concilium cui Alanus legitur interfuisse Romæ (ubi & agnitus fuit) fuisse Lateranense 3. anno 1180. sub Alexandro 3. celebratum. de hac difficultate, scripsi Cistercium, & ad alios diversos viros doctos, sed resolutionē habere nequivi; Quare, donec certius aliquid habuero, Epitaphio credendum censui.

Cæterum, *Alani Philosophi dicta de lapide Philosophico* extant edita à Justo Balbiano, Lugduni Batavorum, typis Raphelengij 1600. una cum secreto Jodoci Greneri. &c.

Liber de Calamitate Regni Franciæ, quem in primâ editione huius Bibliothecæ (secutus Catalogum Bibliothecæ Parcensis Cœnobij, ab Antonio Sandero publicatum) Alano nostro attribui, non est ipsius, sed Alani Aurigæ, seu, Chartier, qui floruit in aula Regis Galliæ anno 1452. temporibus Caroli 7. Regis Francorum.

Tandem, Venerabilis hic Alanus quanquam per universum orbem Christianum, scriptis suis clarissimus esset, nunquam tamen induci potuit; ad dignitatem aliquam admittendam; sed in humili Conversorum statu ad obitum usque perseveravit. Cujus marmoreus tumulus adhuc conspicitur Cistercij in claustro, iuxta templi ingressum, cum sequenti epitaphio:

Alanum brevis hora, brevi tumulo sepelivit,
Qui duo, qui septem, qui totum scibile scivit,
Scire suum moriens dare, vel retinere nequivit,
Labentis sæcli contemptis rebus egens fit;
Intus Conversus, gregibus commissus alendus,
Mille duceteno, nonageno quoque quarto,
Christo devotus, mortales exuit artus.

Mira à diversis authoribus referuntur de hoc Alano, præsertim de conversione eiusdem ad Religionem; quæ (inter alios) etiam narrat Buzelinus suprà, verbis ipsius interpretis Alani, desumptis ex proœmio Parabolis eius præfixo. Vide etiam Valerium, in Bibliotheca Belgica: & Henriquez suprà. 30. Ianuarij quo die memoria illius in Ordine nostro recolitur. Vide & illa quæ nos diximus in Relatione Historica, iam memoratâ, & Elogijs virorum illustrium de Alano, eiusque doctrinā quæ pariter operibus eius præfixi; Inter quæ elogia, non infimum videtur, quo illum honorat R. P. Ludovicus Jacob à Sancto Carolo, Carmelita Cabilonensis, Regius Consiliarius, & Eleemosynarius ordinarius, lib. 3. de claris Scriptoribus Cabilonensibus, his verbis: *Alanus de Insulis, Monachus, Natione Belga, Doctor Theologus Parisiensis, cognomēto, Universalis, deindè, Conversus Monasterij Cisterciensis, vir ad miraculum eruditus, firmißimum Ecclesiæ Catholicæ propugnaculum, magnum humilitatis exemplum, immortalis Monachorum gloria, fulgentißimum Pieridum Sydus, hæreticorum Malleus; qui interfuit Concilio Lateranensi œcumenico, sub Innocentio 3. anno 1215. celebrato, in comitatu Abbatis Cisterciensis; in quo vehementißimè & solertißime adversus quendam hæreticum, Almarici Carnotensis discipulum, disputavit, magno ecclesiæ bono.* &c. Hic Author adscribit etiam Alano nostro, *Speculum Ecclesiæ*, quod extare dicit M.S. apud Matthæum Dresserum.

S. Albe-

S. Albericus, Sanctissimi Patriarchæ Roberti Fundatoris Ordinis Cisterciensis, in Abbatiali dignitate successor; qui cum eodem Roberto, & sancto Stephano, in dicti Ordinis fundatione plurimum laborauit; eundemque iam fundatum, beatissimæ Cælorum Reginæ specialiter consecrauit; à qua vicissim cucullam ipse accepit, prout in vita illius refertur, anno 1101. *Primas Cistercij constitutiones, ab Apostolicâ Sede approbatas, publicauit.* Quas tamen, non tam ipse composuit, quam à Diua Virgine cęlitus accepit, vt ex diuersis probatis authoribus refert Henriquez. 26. Ianuarij, in Menologio. Obijt miraculis clarus anno 1109. Quorum intuitu Sanctis adscriptus fuit communi populi acclamatione, & consensu Ecclesiæ: quæ tunc pro Canone erant. De hoc viro nouissimè agit fuse Angelus Manriquez, Annalium Cisterc. tomo 1. ad annum Domini, 1100. & sequentes.

Albericus, Monasterij nostri de *Capellâ Thosan*, in Flandriâ monachus, vulgo, *Albericus Thosanus*, conscripsit, (seu potius, à quodam Religioso Dunensi Gallicè conscriptum, transtulit in linguam latinam) *Chronicon terræ Sanctæ*, siue, *Expeditiones Principum & Baronum Catholicorum, in terram sanctam*, primò excitatas per Sanctum Patrem nostrum Bernardum, & continuatas postea per centum annos aut circiter: Cui operi Albericus sequentem apposuit inscriptionem: *Vox de cælo, per os boni Patris nostri Sancti Bernardi, facta in cordibus Principum & Baronum Christianorum. Scripta anno 1272. ex antiquo quodam libro matris nostrâ Abbatiæ de Dunis, per fratrem Albericum Religiosum indignum sacri Ordinis Cisterciensis, in nostra domo Deirin Doest.* Porrò, quia in Chronico hoc tam exactè recensentur nomina & cognomina præcipuorum quorumcunque Virorum nobilium Flandriæ, qui Comites suos secuti sunt in dictis expeditionibus transmarinis, ideò solet illud familiare esse Nobilibus eiusdem Patriæ, qui familiarum suarum antiquitatem & Nobilitatem ex eo comprobare solent: pro vt nuper adhuc factum fuit in probationibus Domus de Bette, *preuues de la maison de Bette,* quas anno 1646. publicauit Ioannes Henricus Gobelinus, Canonicus Collegiatæ ecclesiæ Sanctæ Gudulæ, Bruxellis: in quibus aliquoties citatur hoc Alberici Thosani Chronicon. Extat illud M.S.S. pluribus in locis, nominatim Antuerpiæ apud Nobilem Virum Alexandrum Buthens.

Albericus, Monachus Cænobij trium fontium in Diœcesi Catalaunensi, scripsit insigne *Chronicon ab exordio mundi, quod in gestis anni millesimi ducentesimi quadragesimi primi desinit*, eius initium est: *Anni 1656. qui sunt à creatione Adæ, vsque ad diluuium*, &c. *Philippus L'abbeus* S. Iesu, p. 1. nouæ Bibliothecæ librorum M. SS. asserit Chronicon hoc digerendis Nobilium Galliæ ac Germaniæ familiarum genealogicis tabulis perquam vtile esse, vsque ad S. Ludouici 9. Francorum regis ætatem deductū. Chi Chronico ipse Labbeus lucem promittit, Autographum huius Chronici solebat extare Attrebati apud Capucinos. Extant & exemplaria, Antuerpiæ in Cænobio S. Saluatoris, & Cameraci apud Franciscanos. Scripsit etiam Albericus, *Poëticam quandam, quæ sic incipit: Multa viui veteres.* &c. Apud Prædicatores Coloniæ.

Alexander, Monachus Abbatiæ, Casæ nouæ, Ord. Cisterc. in Diœcesi Pennensi, in Aprutio, Scripsit *Insigne Chronicon eiusdem Monasterij, in 4. libros distinctum, historiographis Italiæ valdè familiare.* Extat Romæ apud Reuerendissimum Ferdinandum Vghellum, Abbatem SS. Vincentij & Anastasij. Vixit Alexander circa annum Domini, 1300.

Alexander de Pieris, Florentinus, Monachus Sanctæ Mariæ Magdalenæ Cistelli, de Florentiâ, Vir in omni scientiarum genere doctus, Scripsit,

Commentarium in Symbolum Apostolicum, Mutinæ impressum. Reliquit & alia ingenij sui monumenta, quæ extant M.SS. in dicto Monasterio. Obijt anno 1636.

S. Almus, Cisterciensis, seu Bernardinus, Sancti Benedicti Regulam professus in *Mailros*, & primus Abbas in celebratissimo Cænobio, quod Emergarda Regina Regis Wilhelmi uxor, & Regis Alexādri mater fundauerat, quod à nomine ipsius, *Almurenoch*, diu vocatum, postea corruptâ voce, *Balmurenoch* cæpit vocari; vir fuit, sine controuersia, suâ ætate doctissimus, & pientissimus; ideò vocatus è Melrosensi Cænobio, ipso die Sanctæ Luciæ, suscepit noui Monasterij curam. Scripsit:

De perfectione Religiosa, lib. 1.

Acta Reginæ Emergardæ. lib. 1.

Fuit hæc, filia Comitis de Bellomonte, qui erat filius senioris filiæ Wilhelmi Normanni Regis. Abbas creatus est anno 1229. obijt, anno 1270. Ita Demsterus in historia gentis Scotorum, ex actis (vt dicit) illius Monasterij, & Hectore Boëthio, lib. 13. cap. 10.

Alnensis Monasterij (in ditione Leodiensi) Religiosi diuersi, suppressis nominibus suis, scripserunt plura egregia opera, quæ in eodem Monasterio M. S. asseruantur. inter quæ recensentur.

Vita B. Eulaliæ Virginis, & Monialis, Ordinis Cisterc. de qua Henriquez in Menologio, 11. Maij.

Vita B. VValteri, 2. ibidem Prioris: de quo Arnoldus de Raisse, in Auctario ad Molanum 5. Decembris. Et,

Vita B. VVerrici Prioris carmine, & prosa. Vide verbo Wertricus.

Alphonsus D'elbene, ex Abbate Altæcumbæ in Sabaudia, Episcopus Albiensis 63. vir vndique præstantissimus, & Henrico 4. Galliarum Regia secretiore consilio, sedit in Episcopatu ab anno 1588. vsque ad annum 1608. Scripsit autem

Libros 3. de Regno Burgundiæ Transiurana, & Arelatis. In quibus continentur etiam pleræque res gestæ vicinarum gentium. Extant typis impressi in 4to. Lugduni, apud Iacobum Roussinum, 1602.

Librum item de gente ac familia Hugonis Capeti, deque progressu eiusdem ad dignitatem Regiam; impressum Lugduni anno 1595. apud Theobaldum Ancelin. in 8°.

Edidit & circa idem tempus *Thesaurum Cisterciensem*. Librum quoque *de gente & familia Marchionum Gothiæ, qui postea Comites Sancti Ægidij, & Tholosates dicti sunt.* Lugduni. 1607. in 8°.

Item, *Historiam Prædecessorum suorum Episcoporum Albiensium*, quam anno 1608. 8. Februarij, morte præuentus. Nepoti suo Alphonso d'Elbene, tunc Archidiacono, virtutis ac dignitatis hæredi & successori reliquit. Iongelinus in Purpura sancti Bernardi, de Episcopis Galliæ: & Andreas à Quercu, lib. de ijs qui Historiam Galliæ scripserunt.

Scripsit etiam versibus Gallicis *Prosopopœiam Adriani Turnebi, & vxoris eius, ad imitationem Propertij*: Parisijs 1565. per Fredericum Morel.

Item linguâ Sabaudicâ, Poëma quoddam intitulatum, *Amedeide non pas, d'Amedeus, Comte de Sauoye.* Hæc autem scripserat adhuc iuuenis Antonius Verdier, in Bibliotheca Gallica. Legitur & ipsius historia Monasteriorum Altæcumbæ & Stamedij. Angelus Manriquez, tom. 1. Annalium, ann. 11. 8. c. 5. num. 7.

Alvarus de Luria, & Mendoza. Eques Calatrauensis, Ord. Cisterc. *Constitutiones militum Montesiæ in scriptum redegit.* iubente Iacobo 2. Aragoniæ & Valentiæ Rege. Aubertus Miræus de scriptoribus Ecclesiasticis, cap. 383.

Aloysius de Capitaneis Mediolanensis, Religiosus

ſus Monaſterij Claræ-vallis iuxta Mediolanum, vir doctrinâ & virtutibus celeberrimus, tria reliquit volumina M. S. luce digniſsimâ. Primum continens *homilias in Euangelia.*

2. *Sermones de diuerſis materijs.*

3. *Varias orationes diuerſi argumenti.*

In aduerſarijs quoque multa præclara, & curioſa reperta fuerunt. Quæ vtinam in ordinem redigantur, & publicentur, vixit adhuc hoc noſtro ſæculo. Cuius meminit Robertus Ruſca, lib. de Viris Illuſtribus.

S. Amedeus, Epiſcopus Lauſannenſis, natus in Caſtro-coſta, iuxta Viennam Alobrogorum, parẽtibus nobilibus: quam tamen ſtirpis generoſitatem, integritate morum, inſtitutione litterarum, atque virtutum decore longè ſuperauit. Iuuenis, Ciſtercienſe inſtitutum in Cœnobio Altæ-cumbæ profeſſus, eidem poſteà Abbas præfectus fuit; ac tandem circa annum 1144. Lauſannenſis Eccleſiæ ordinatus Epiſcopus, cui Eccleſiæ multa beneficia impẽdit, & priuilegia varia procurauit; partim ab Eugenio 3. Pontifice, partim à Conrado 2. & Frederico 2. Imperatoribus. De hoc refert Miræus, in auctario de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, quod Amedeũ Gebennenſem Comitem, qui arcem munitiſsimã, ad expugnandam vrbem Lauſannenſem, in eminentiori prope vrbis mœnia loco, per longã obſidionem erexerat, nõ tam armis, quam prudentia deuictum, machinam ipſam funditus euertere compulit. Præterea, famam eſſe, illum in die S. Agnetis natum, imbuendum litteris traditum, Monaſticem profeſſum, & Abbatem ordinatum; quodque propterea eidem Virgini deuotior ſacra illius duplici feſto inſtituerit, per totã Lauſannenſem Diœceſim peragenda. Hoc ſanè conſtat, quod Deiparæ Virgini addictiſsimus fuerit, in cuius laudem, *octo miræ ſuauitatis homilias conſcripſit.* Quibus (vt rectè ait Geruaſius Sophenus Briſacenſis, apud Henriquez in Menologio 7. Ianuarij; & Manriquez tomo 2. Annalium an. 1158. c. 5.) tantum ineſt energiæ, tantum feruoris, quantum nemo niſi ſaxeus planè lector, ſurda poteſt aure tranſmiſiſſe, quin potius, ardentiſsimas cõtinuò diiudicabit, ſentietque in Deiparam Virginem, ignei amoris faces cordi ſuo admotas, &c. hæc Geruaſius, in Elogio homilijs præfixo, anno 1517. homilias has, anno 1633. Lugduni publicauit Theophilus Rainandus, cum operibus Leonis Papæ I. Taurinenſis &c. Et anteà ſeorſim, Audomari anno 1613. Richardus Gibbonus Societ. Ieſu cũ Apologia, qua bene refellit Henricum Willotium, qui in Athenis ſuis Franciſcanis, eaſdẽ homilias alteri cuidam Amedeo attribuit. Eaſdem homilias anno 1517. Baſileæ impreſſas per Adamum Petri, unâ cum compendio vitæ, vidi Brugis in Collegio Societ. Ieſu, in 4. Præfuit autem Lauſannenſi Eccleſiæ annis 14. mortuuſque ibidem, ſepultus fuit in æde B. Mariæ Virginis, ante altare S. Crucis. Eundem Catalogo Sanctorum adſcriptum eſſe ex pluribus authoribus refert Henriquez ſuprà. Vitã ipſius extare M. S. in Rubea valle, ſcribit Miræus in Chronico Ciſtercienſi, vbi eiuſdẽ compendiũ profert, quod etiam legitur poſt finem homiliarum impreſſarum. Videtur vitam hanc etiam habuiſſe Petrus Caniſius; quippè, opus quod texuit Marianum elegans, & ſublime, pluribus in locis illuſtrauit illius floribus: ſcilicet, lib. 1. cap. 3. lib. 4. cap. 28. & lib. 5. à cap. 4. vſque ad 7. In qua vita hoc ſanè legitur memorabile, quod cum homilias ſuas nulli adhuc mortaliũ manifeſtaſſet, ſolicitatus tamen à ſorore Sanctimoniali Virgine religioſa, quatenus cum ea, iucundum illud munuſculum communicaret; annuit Frater ſororis deſiderio, ea conditione, vt illa iucundum quoque munuſculum, quod à glorioſa Virgine accepiſſet, viciſsim impertiret. Miſit continuo

soror laneam Chirothecam, quæ in præsentem diem Lausannæ, in Reliquiario Sacro-sanctæ Virginis Mariæ visitur, quam plurimis laudata miraculis. Vndè, coniectura facilis, quantum vtrique viuenti adhuc, &c. hæc ex Miræo ad litteram Manriquez, suprà. Vide de hoc Amedeo, etiam Andream du Saussay, in supplemento ad Martyrologium Gallicanum 27. Septembris. Et Hippolitum Maraccium in Bibliotheca Marianâ, ubi singulas has homilias recenset.

Ambrosius à Gandavo, natione quidem Flander, at Monasticâ professione Hispanus, Religiosus de Spinâ in veteri Castellâ. Vir fuit subtilis ingenij, & studij indefessi; quibus se totum Mathematicis scientijs applicans, tantus in ijs euasit, vt vix vllum, suâ ætate, parem habere censeretur. Quibus cum accessissent sermonis elegantia, & in arduis quibuscumque negotijs expediendis dexteritas, nominis sui famam longè latèque in breui dispersit; in tantùm, vt etiam inuictissimus Imperator, Carolus 5. eum ad se vocatum, perquam familiarem habuerit. Imperatori vitâ functo, in Hispaniarum Regnis succedens Philippus filius, eundem quoque Monachum in magno habuit pretio, cuius studia etiam promouit. Varia ingenij sui monumenta Ambrosius posteritati reliquit, quorum tamen pleraque adhuc M. S. in Bibliothecis Hispaniæ latent; impressa tamen adhuc extant sequentia: *De supputatione temporum, lib. 1. lingua Hispanica. Repertorio, de los tiempos.* Excusus est Brugis, Vallisoleti, & Compluti. *De varijs Astrorum influxibus, lib. 1.* Excusus Vallisoleti, & Compluti. Henriquez in Phœnice reuiuiscente. Vide etiam Valerium Andream, in Bibliothecâ Belgicâ.

Ambrosius de Molina, Monasterij de Caracero, in Hispaniâ Monachus Philosophicis & Theologicis studijs, non sine raræ doctrinæ opinione (in Collegijs Ordinis nostri) absolutis, Concionibus habendis, & scribendis, vt plurimùm se exercuit. Extat eius *insigne opus Concionum Quadragesimalium, Barchinonæ impressum, in 4°.*

Anastasius Vallinus, Romanus, Monachus (& anno 1651. Prior) Monasterij Sanctorum Vincentij & Anastasij, de vrbe, Viri clarissimi Ferdinandi Vghelli quondam discipulus, ætate quidem iuuenis, sed eximiè eruditus, & venerandæ præsertim antiquitatis amator, anno 1651. cæperat scribere *historiam Monasterij sui*, quæ ob loci celebritatem, ac styli suauitatem, omnibus fuisset acceptissima, si compleri potuisset, sed immaturè nimis superueniens mors, illam posteris inuidit, uti etiam & alia plura curiosa monumenta, quæ imperfecta reliquit: Speramus tamen quandoque ab alijs complenda. Obijt, magno doctorum luctu, in flore ætatis, 1653. vt litteris suis me monuit memoratus Vghellus.

Andreas Azorites, Religiosus B. Mariæ Vallis Ecclesiarum, in Regno Toletano. Vir singularis ingenij maturique iudicij, quorum adminiculo, Philosophus & Theologus excellens euasit, vt sufficienter scripta eius testantur:

Theologiæ Symbolicæ, seu Hieroglyphicæ, decades decem: excusæ Salmanticæ, apud Didacum de Cussio, anno 1598.

Vita Sancti Patris nostri Bernardi, eleganti carmine conscripta.

Theologia item Symbolica alij septem tomi.

Quos tamen, morte præuentus, edere non potuit. Seruantur Manuscripti in Valle Ecclesiarum Obijt Author anno Domini, 1599. Henriquez in Phœnice.

Andreas à Sancto Ioseph, alias Rosettus, Congregationis Fuliensis Alumnus, natione Italus, ex Monte Regali, vir eloquens & disertus, nec non & Nobilis litteraturæ; inter alios mentis suæ partus, Italico sermone elaborauit opusculum quoddam inscriptum: *Maria virgo*

constans

constans & animosa, quod Romæ euulgauit, anno Christianæ redemptionis 1641. quo clarebat. Hoc opusculum tãti fecit doctissimus Hippolytus Maraccius, vt eius intuitu, Authorem adscripserit Illustribus Scriptoribus Marianis, seu, qui de BB. Virgine Mariâ quidpiam scripserunt, Bibliothecæ suæ Marianæ parte 1. pagina 91. & 92. Scripsit præterea, & vulgauit librum alium inscriptum.

La cadutta di Dauid.

Item tertium,

Giacobbe repatriante.

Catalogus Illustrium Scriptorum Congregationis Fuliensium, ex Vrbe (anno 1651.) mihi transmissus.

Andreas, *Abbas Schonaugiæ*, Diœcesis Wormatiensis, iuxta Heydelbergam, scriptis suis per Germaniam celeberrimus, floruit circa annum 1512. sub Maximiliano Imperatore. Quorum tamen scriptorum pleraque perierunt, dum per hæreticos Monasterium vastatum fuit: *Ascetica* solum quædam adhuc in nonnullis Germaniæ Bibliothecis reperiuntur, prout intellexi dum in illis partibus habitarem. Uide notitiam Abbatiarum Gasparus Iongelini, Coloniæ editam 1640. In hoc Cœnobio Schonaugiæ, olim in habitu virili vixit Beata Hildegundis, de quâ videndus Henriquez in Menologio.

Angelus Manriquez, nobilissimâ *Manrique* familiâ, Burgis in Hispaniâ natus, acuto, facili, promptoque ad omnia ingenio à naturâ donatus fuit, adeò vt iuuenis Ordinem Cisterciensem in Horrẽsi Cœnobio ingressus, studijsque mox Philosophicis, ac deindè Theologicis applicatus, tantos in vtrisque progressus fecerit, vt profundissimis quibuscunque Theologis, & Vniuersitatũ Professoribus, admirationi esset. In concionibus etiam, ad populum verborum copiâ & elegantiâ retinendũ, & ad quemcunq; vellet affectum inclinandum à naturâ quasi formatus pariter videbatur Hinc, vndèquaque, etiam ab externis Regnis & Prouincijs, ad verbi Dei prædicationem inuitatus, tanto hoc ipsum concursu & plausu populi præstitit, vt famã de se celeberrimam longè etiam superaret: de quo in hodiernũ vsque diem gloriantur Baremo Catalauniæ, & Compostella Galetiæ, famosissimæ Ciuitates. Sed maiorẽ longè fidem faciunt præclarissima scripta iam typis vulgata: in tantum, vt etiam potentissimus Hispaniarũ Monarcha Philippus IV. illum à sacris sibi voluerit esse cõcionibus, 1638. quo munere, annis pluribus sũmâ cum laude functus est. Magnates plurimi, in rebus grauissimis, consilium ab eo requirentes, passim profitentur, prudentissima consilia ei quodammodò sub manu nasci. Quod ipsum Cisterciensis per Hispaniam congregatio, satis compertũ habens, illũ iam tertio Salmanticensi Collegio præfecit; vbi prudentiæ & industriæ suæ tale edidit specimen, vt vniuersæ Congregationis habenæ ei fuerint commissæ: quas pari quoque prudentiâ moderatus, rarissimum successoribus suis se præbuit exemplum, Salmanticensis Academia, scientiarũ omnium princeps, illum sibi sociare satagens primum Scoti, ac deindè S. Thomæ Aquinatis Cathedræ Theologicæ præfecit. Quam spartam per annos plurimos egregiè exornauit, tantâ nominis celebritate, vt florẽtissimi huius ætatis scriptores quoties eius incidit mentio, nunquam sine titulo laudis eum appellent. Quidam, *Theologum vndequaque perfectum*, *& ætatis huius communem magistrum*: Alij, *Doctorem Angelicum*, *& Salmanticensis Academiæ veneratione, plausu, consensu omnium*, *Atlantem indigetantes.* (Vide Censuras tomi 1. Annalium Cisterc.) nec immeritò, nihil enim in eo, quod non Magistro dignum, quod non magnum, & rarum; quod denique non omnibus sit in voto, & à paucis adeptum; in quo vtique pro palmâ, pari quodammodò contentione decertare videntur,

dentur, inveniendi facilitas, cum eligendi, disponendique dexteritate; dicendi dulcedo, cum acri ratiocinationis efficaciâ, tali semper suavitate; quod omnibus sit pro delicijs ex ore eius mellis favos libare, & ex lucubrationibus tam prælo datis quam privato calamo scriptis, sacræ Doctrinæ thesauros, omnigenæque scientiæ divitias depromere. Scripsit plurima, in omni ferè scientiâ, quibus clarissimè ostendit, se totum singulis disciplinis ita deditum, & in quâlibet ita perfectum, vt illi soli incubuisse videatur. Ex ijs, quæ iam præli beneficio, publici iuris effecta sunt, sequentia assecutus sum:

Lauream Euangelicam, siue, de laudibus Sancti Patris nostri Bernardi, libros 3. Quibus admiranda doctrinæ profunditate, & elegantiâ, diversis orationibus, eidem Sancto Patri applicat illud, quo Christus in Euangelio discipulos suos honoravit; *Vos estis Sal terræ* &c. Opus est elegantissimum, quod excusum fuit 1. Salmanticæ apud Arturum Taberniel, anno 1604. Iterumque anno 1614. Postmodum autem recusum Barchinonæ, Olissiponæ, Cordubæ, & alibi plusquam decies teste Henriquez in Phœnice. Qui etiam asserit, se illud quoque vidisse diversis in locis, in Gallicam linguâ translatum.

Sanctorale Cisterciense, libros 3. Excusos Burgis apud Ioannem Baptistam Barellium anno 1610. Barchinonæ 1615, Vallisoleti 1614. & alibi sæpius.

Sanctorale Cisterciense, tomum alterum. 3. *etiam libris divisum*. Prodijt Salmanticæ apud Susannam Munnoz anno 1620.

Quadragesimalium concionum tomum unum in 4to. Salmanticæ apud Franciscum Dezia, anno 1612. Valentiæ, 1613. Cæsar Augustæ 1614.

Librum Apologeticum, ad obiectiones contra mulierem fortem (id est, D. Mariam Vela, Ordinis Cisterc. sanctimonialem) pro libro, quem de Vita ipsius scripsit. Doctor Michael Vaquerius, de verâ illius Virginis virtute, & sanctitate. Salmanticæ apud Antonium Vasquez anno 1620.

Kalendarium Sanctorum Ordinis Cisterc. Salmanticæ excusum.

De obitu Philippi III. Hispaniarum Regis, de eius exequiis, & pompa funerali, historiam, Salmanticæ, iussu Academiæ, in lucem editam, apud Antonium Vasquez anno 1621.

De Laudibus Sancti Ignatii Fundatoris Societatis Iesu, Orationē in eius Beatificatione Salmanticæ habitam, anno 1610. & ibidē excusam eodem anno.

Pontificale Hispano-Cisterciense, quod citatur à Reverendissimo Ioanne Caramuele, parte 1. Theologiæ Regularis, disp. 124. art. 110.

Tomos quatuor amplissimos in folio, Cisterciensium, seu verius, Ecclesiasticorum Annalium, ex in iis omnimodæ sanctitatis, omniumque virtutum exemplis fæcundos, nec non rarissimi venerandæ antiquitatis monumentis, & posteritatis documentis refertissimos. Quorum prior complectitur annos à condito Cistercio, id est, 1098. usque ad annum 1144. inclusivè; secundus, ab anno 1145. usque ad annum 117?. tomus 3. ab anno 1174. usque ad annum 1212, inclusivè. Tomus 4. adhuc sub prælo est.

Hippolytus Maraccius, Bibliothecæ suæ Marianæ illum adscribens, testatur quoque scripsisse, *Discursum prædicabilium in omnibus Deiparæ Virginis festivitatibus, lib.* 1. anno 1620. impressum Augusto Brigæ. typis Ioannis Baptistæ Barresii, in 4to. Itē, *de Martyrio spirituali BB. Virginis, in passione filij, meditationes*. Impr. Hispali 1612. typis Francisci de Coâ in 4. scripsit præterea, linguâ Hispanicâ stylo eleganti, ad petitionem Serenissimæ Infantis Isabellæ, Claræ Eugeniæ, Belgarum Principis, *Vitam Venerabilis matris, Annæ de Iesu, Carmelitæ Excalceatæ*. Quæ vita iussu & sumptibus ipsius Principis impressa fuit Bruxellis anno 1631. apud Lucam Anerbetie in fol. denique conscripsit, præloqu adap

adaptavit,(ſeipſo teſte,præfatione ad Tomum primum Annalium.)

Commentaria, & diſputationes, in univerſam Summam Diui Thomæ Aquinatis, per duos & triginta annos elaborata,& in florentiſſimo Salmantino Licæo, Auditoribus ſuis prælecta. Demum,cum anno 16,0. Salmanticæ obtinuiſſet Cathedram Theologiæ veſpertinam, & anno 16 6 primariam totius univerſitatis,ab hac ad Cathedram Epiſcopalem, *Pacis Iuliæ, vel Auguſtæ* (Badoxos) à potentiſſimo Hiſpaniarum Rege Philippo IV. provectus fuit 1644. Vbi ſui ſemper ſimilis,ſapientiæ laudem paribus virtutum incrementis ornans. Religioſæ vitæ, & Sacræ dignitatis munia in unum aptiſſimè coniungi, exemplo ſuo clariſſime demonſtrauit; vir verè digniſſimus elogio,quod ei nuper adſcripſit doctiſſimus Magiſter Don Ioannes de Eſchalaz, Salmantinæ Eccleſiæ Canonicus Magiſtralis, & in Academia eiuſdem urbis,Logicæ magnæ proprietarius Anteceſſor, dum in approbatione Annalium Ciſtercienſium iam memoratorum, eundem appellat; *Virum in Theologia, tum Scholaſtica,tum morali,ſummum: Oraculum ad maiores quaſque difficultates regni, Regis,ac ſupremæ fidei Tribunalis aſſiduè conſultum: Regiam ſimul Eccleſiaſticam,Sacrarum literarum peritia prædivitem: vulgatis quoque in illis,iam olim ſelectiſſimis illuſtrationibus celebrem; pietatis in omnium animis incentorem,vigilantiſſimum totius Ordinis ſui Præſulem, tot denique curis undique circumcinctum,quarum ſingula,magnorum quorumvis hominum integras vires inſumerent.*&c. Et infra: *Vltra mortalitatis metas præcellentem, magni Ordinis Ciſtercienſis ingens decus; Religioſorum Ordinum exemplar; Eccleſiæ Catholicæ ſolamen.& fulcrum.* Hæc ibi, Cæterum,huius viri beneficentiæ & humanitati debeo Libellum Philippi Seguini de ſcriptoribus Ordinis noſtri, quem ille ad Autographum fideliter deſcriptum,mihi in Belgium tranſmiſit; adiunctis egregiis annotationibus, vel reflexionibus, ad plures Authores ibidem contentos. Huius etiam ſtudiosè aſſeruo humaniſſimas aliquot epiſtolas, quibus me honorare dignatus eſt. Obiit(heu)magno totius Eccleſiæ damno.

Anibaldus, Monachus Ciſtercienſis Ordinis, in quodam Italiæ Monaſterio, vir Religionis & doctrinæ famâ celebris,ſcripſit:

Commentaria in 4 Libros ſententiarum. Et, *alia plura*,teſtibus Sylveſtro Manrolyco. lib. 2. Maris Oceani, & Barnaba de Montalbo, parte 1. Chronicorum,lib 2 cap. 32. Citat hunc etiam Vincentius Bandellus, tract. de Conceptione B. Virginis. Prout etiã Gabriel de Varlete Apulus,Sermone de Conceptione B. Virginis. apud Seguinum in Bibliotheca Ciſtercienſi, literâ A, n. 16. hunc,eundẽ eſſe credo,cum illo quæ Iacobus Philippus,Bergomenſis, in Supplemento Chronicorũ,vocat *Hannibaldum* natione Romanum, S.Theologiæ Profeſſorem &c.licet ibi nullam faciat mentionem Monachatus.

Anonymus, vide *Monachus Anonymus.*

Anſelmus Baptiſta Hortenſis Cœnobij in Hiſpania Monachus, verum pietatis exemplar, & regularis obſervantiæ zelator eximius, *Libellum aureum F. Ioannis à Cruce Carmelitæ Diſcalceati, ex Italico Hiſpanicum fecit*, edíditque Salmanticæ, apud Antonium Ramirez anno Domini, 1621. ſcripſit & *Librum quendam,de Miraculis B. Virginis Mariæ Lauretanæ.* Excuſum ibidem. Chryſoſtomus Henriquez, in Phœnice reviviſcente.

Antonius de Albizis, Nobiliſſimâ Florentinorum familia natus, Monachus & Abbas S. Salvatoris de Septimio, propè Florentiã, vir omni eruditione illuſtris, Philoſophus præſertim & Mathematicus inſignis, Leoni X. Pontifici maximo charus,ſcripſit *Commentaria in Euclidem.* Et *alia quadam ad Mathematicam ſpectantia,* quæ M.SS. aſſervantur in Bibliotheca Septimiana. Obiit anno 15,2. Præſes Congregationis ſuæ: cum

cum aliquoties oblatum sibi Episcopatum recusasset *Relatio Vghelli ex urbe transmissa.*

Antonius Brandaonius, Religiosus Regalis Cœnobij de Alcobacia, in Regno Portugalliæ, S. Theologiæ Doctor, Philippi IV. Regis Catholici, in eodem Portugalliæ Regno, Archi-historiographus, publicavit Vlissiponæ anno 1632. *Tomos duos Monarchia Lusitanica*, plenâ fide, & industriâ à se conscriptos, Bernardum Britum excipiendo. Fuit Brandaonius anno 1627. electus Abbas Alcobatiæ, & etiam totius Congregationis Lusitanicæ Generalis. Plura ab eodem adhuc expectantur, quia adhuc in vivis esse intelligo.

Antonius Carisetus (vulgo Charisel) natione Picardus, ex Ambianensi Civitate oriundus, Academiæ Parisiensis Doctor Theologus, & Monasterij Chalisiensis, seu Caroli loci, Prior, vir in divinis scripturis studiosus, & eruditus, edidit librum.

De dignitate & authoritate Cardinalium Romanæ Ecclesiæ: Ad Aloysium Estensem. Cardinalem. Excusus est Parisijs, apud Michaëlem Iuliani. Claruit anno 1567. Sepultus jacet in capitulo Caroli loci.

Philippus Seguinus, eiusdem Cœnobij Prior, in libello de scriptoribus Ord. nostri, Lit. A. num. 5.

Antonius Libanorius, nobili oriundus prosapiâ, monachus & Abbas Sancti Bartholomæi Ferrariẽsis, sive, propè Ferrariam, antiquitatis studiosissimus, scripsit, *Vitam Sancti Sixti Papæ & Martyris, Ferrariæ excusam.*

Vitam quoque Sancti Edmundi Episcopi, ibidem excusam.

Vitã Sancti Galgani Confessoris, Senis excusam.

Vitam etiam Davidis Bandini, Monachi Cisterciensis, & Episcopi Suanensis, in Tusciâ, excusam Ferrariæ, typis Petri Francisci Sozzi, in 8.

Ferdinandus Vghellus, in epistolâ ad me datâ Romæ, 4. Nonas Augusti, 1654.

Porrò, David noster oriundus fuit ex antiquâ & Nobili Bandinorum familiâ, Senensi, quæ deinceps in Cæsenatensem civitatem traducta, inter cæteros clarissimos viros, protulit Hieronymum Bandinum, S.R.E. Cardinalem & Marcum Agrippam Ælinum Episcopum. Sed David, spretis, pro Deo, gentilitiis stemmatibus, aliisque mundi blandientis favoribus, Religiosam paupertatem inter Cistercienses, in Sancti Galgani cænobio amplexus est: ubi mox tam probitate morum quam doctrina ita effulsit, ut Clerus Suanensis anno 1270. eum in Episcopum elegerit; quam electionem etiam Gregorius X. Romanus Pontifex approbavit, anno 1272. die 15. Octobris prout habetur in Registro Vaticano, epist. 69. fol. 22. Vghellus, tom. 3. Italiæ sacræ, inter Episcopos Suanenses, n. 18. fol. 822.

Antonius Muldrac, Cœnobij de Longo ponte in Diæcesi Suessionensi, dignissimus Prior, ex antiquis Monasterij sui monumentis composuit, *Insigne Chronicon ipsius Longipontis*, in quo plura referuntur lectu digna, Comitatum Suessionensem concernentia, nominatim, *Fundationem Prioratus Sancti Lazari, Ord. nostri, in suburbiis Firmitatis milonis, Vitam B. Ioannis de monte mirabili, Conversionem, & obitum Petri Cantoris, &c.* Scripsit etiam *Speculum Historicum Suessionense*: Utrum tamen hoc ultimum impressum sit, nescio, prius vero prodiit anno 1652. Parisiis, typis Ioannis Bessin propè Collegium Rhemense, dum Author adhuc esset Subprior. Vivit adhuc hoc anno 1655. à quo plura expectamus.

Antonius à Sancto Petro, Religiosus congregationis Fuliensium, conscripsit gallicè opus insigne, quod vocavit, diem Religiosam, seu, Instructiones spirituales. pro animabus devotis & Religiosis, ad sanctè transigendum singulas diei horas. *La journeè Religieuse, ou, Instructions spirituelles aux ames devotes & Religieuses, pour*

saincte

sainctement pratiquer tous leurs exercices de la iourné. A Paris, 1649. in 8 *par George Iosse.* Volumen est satis magnum, crassitudinis facilè trium Alphaberorum.

Antonius de Bubeis, Mediolanensis Monachus & Abbas, *Septimi*, & Congregationis Italicæ olim Præses, Prouinciæ Thusciæ Nobilis Alumnus, vir sanctimonia vitæ spectabilis, & in sacris Scripturis optimè eruditus, scripsit:

In diui Benedicti Regulam erudita commentaria; quæ tametsi nondum impressa sint, à multis tamen viris doctis studiosè describuntur.

Alia item diuersa pia opuscula, de laudibus Deiparæ Virginis, cuius erat deuotissimus. Obijt in Monasterio S. Bartholomæi Ferrariæ Abbas, anno 1628. Vghellus, in Relatione Illustrium Scriptorum Italiæ anno 1648. mihi transmissa.

Antonius le VVaitte, ex Priore Camberonensi in Hannoniâ Abbas Molinensis, in Comitatu Namurcensi, Sac. Theologiæ Baccalaureus, (quondam Duaci in Seminario Regio Collega meus) vir non minus pietate & Religionis zelo, quam doctrinâ conspicuus, edidit.

Orationem doctam Panegyricam, in inauguratione R. D. Ioannis Coene, Abbatis Camberonensis. Quæ oratio, iam secundò prælum passa, extat in 4. & in 8.

Scripsit & *Iudæo Iconomachiam librorum* 5. Quorum primus, Iudæorum odium exhibet, in viuas Iesu imagines, id est, diuos, ab illo denato, ad natam (Iudæo parturiente) sub Leone Isaurico Imperatore, Iconomachiam. 2. Natam iam, crescentem, & adultam repræsentat sub reliquis Imperatoribus perdurantem, maximè apud Iudæos. 3. Guillielmi Iudæi, diuæ Camberonensis Antagonistæ blasphemias, scurrilia, truciaque acta recitat. 4. Miracula eiusdem diuæ, ac beneficia: ècontra, Iudæorum maleficia per Orbem, ab illo æuo, ad hoc vsque, recenset. 5. Præcedentes claudit, Camberona pugnæ palæstra, & cruenti agonis. In eo, Abbates Camberonenses deducti à B. Fastredo, S. Bernardi discipulo, ad modernum vsque: Insuper, magnatum sepulchra, & aliæ antiquitates plurimæ. Opus vastum est, & curiosum, breui (vti speratur) typis mandandum, nisi temporis iniquitas editionem differri cogat.

Habet & prælo paratum, *Opus insigne, quod vocauit, Vallem Lacbrymarum*, in 3. libros subdiuisum: quorum primo agitur de causis, colonisque Terræ-vallis. 2. de Fontibus, Fructibusque Lacrymarum. 3. de modo, methodoque Lacrymas proliciendi, &c. Quæ omnia, ex Sacris libris, pijsque Authoribus collecta, piorum recollectioni, & consolationi vtilissima sunt.

Viuit adhuc Author, hoc anno 1654. mihi litteris familiaris; cuius fœcùndum ingenium plura adhuc parturiet.

Armenteria, in Galleciâ, Monachus Anonymus, conscripsit olim *Vitam admirabilem B. Eronis, eiusdem loci Abbatis*; quæ (inter alia) continet historiam similem illi, quæ vulgò narratur, de Monacho Affligemiensi, qui per annos 200. ad cantum cuiusdam auiculæ, in extasi permansit. Vitam hanc in antiquo codice repertam, nuper publicauit Reuerendissimus Malachias d'Assus, parentibus nobilibus in Aragonia natus; tunc quidem Armenteriæ Abbas; postmodum verò, anno 1595. Iacensis in Aragoniâ creatus Episcopus; vbi mirâ sanctitatis opinione floruit vsque ad annum Domini 1606. quo obijt 28. Augusti. De quo vide Menologium Chrysostomi, Henriquez eodem die qui etiam compendiosam Eronis vitam inseruit fasciculo suo lib. 2. distinct. 26. capite 6.

Arnoldus cognomento Carnotensis (Henrico Gandauensi, cap. 11. de scriptoribus, & alijs, *Ernaldus*, alijs verò, *Bernardus*) Abbas Bonæ-vallis in Diœcesi Viennensi (vt volunt Miræus in Scho-

tijs ad Henricum Gandavensem, suprà, & iterum in Auctario de scriptoribus cap. 376. Ac Iongelinus in notitijs suis, & iterum posteà in libro de originibus,) quem Guillielmus Eisegrenius vocat virum incomparabilis doctrinæ, Trithemius verò, eloquio clarum, ingenio promptum, nec minus conversatione & doctrinâ conspicuum. Scripsit *Librum 2. Vitæ Sancti Bernardi Abbatis*, qui extat in operibus Sancti Patris impressis. Eidem communiter Doctores attribuunt, 1. *Librum de 7. verbis novißimis, à Christo in Cruce prolatis*, qui impressus est Tomo 12. Bibliothecæ Patrum, editionis Coloniensis, unà cum Schotijs Titelmanni, & recognitione Andreæ Schotti. Extatque M.S. in Bibliothecâ Cœnobii Camberonensis in Hannonia, ubi etiam eidem tribuitur alius quidam tractatus huius tituli: *Narratio, de quodam Episcopo Religioso.*

2. *Librum de laudibus Deiparæ Virginis* & 3. *Tractatum de opere 6. dierum.* Quæ opuscula etiam iunctim edita sunt in Bibliothecâ Patrum, suprà, ex recognitione Dyonisij Perroneti, Melodunensis, Clerici Antissiodorensis &c. Floruit circa annum 1160. aut (iuxta Bellarminum) 1177. Specialiter autem quoad librum de Laudibus B. Virginis, testatur Hippolytus Maraccius, esse eloquentia clarum, sententiis ubique gravissimum, & cælesti quodam igne calefactum, dignumque qui piorum omnium manibus versatur

Porrò. Authorem hunc Ordinis fuisse Cisterciensis testantur unanimiter scriptores gravissimi, Sixtus Senensis, in Bibliotheca sanctâ; Trithemius, & Bellarminus de Scriptoribus; Possevinus in apparatu; Guil. Eisegrenius de scriptoribus Orthodoxis; Conradus Gesnerus in Bibliotheca; Philippus Seguinus in Bibliotheca Cisterciensi M.S. Henricus Gandavensis. Miræus Hippolytus Maraccius, in Bibliothecâ Mariana, pag. 144. & 145. & Iongelinus suprà. Qui omnes, scribunt illum fuisse discipulum Sancti Bernardi. Quibus etiam consentit Dionysius Peronetus, iam citatus, in Epistolâ ad Cardinalem Peronetum, præfixâ Tractatui ipsius Arnoldi Carnotensis, de operibus 6. dierum, in Bibliothecâ Patrum, supra. Ubi expresse scribit, illum fuisse alumnum Ordinis Cisterciensis. Et paulò infrà: illum fuisse eiusdem Ordinis cum Monachis Rigniacensibus, Diœcesis Antisiodorensis, quos constat esse Cistercienses. Nihilominus, authoritate omnium horum Doctorum non obstante, Reverendissimus & Per-illustris Dominus, Angelus Manriquez, tomo 2. Annalium Cisterc. ad annum 1153 cap. 11. scribit, crassum esse errorem, asserere hunc Arnoldum, seu Bernardum Bonæ-vallis Abbatem, fuisse Ordinis Cisterciensis; sed fuisse Benedictinum nigri habitus, cuius nimirum Ordinis est Monasterium Bonæ-vallis Carnotensis. Idem, in relatione M.S. nuper ex Regali monte ad me transmissa, asserit Reverendus & Eximius Dominus Claudius Chalemot, S. Theologiæ Doctor Parisiensis ex Priore Regalis-Montis, iam ordinatus Abbas de Columbâ. Et reverà si constaret, eundem Arnoldum, seu Bernardum fuisse, & ad obitum usque mansisse, Abbatem Bonæ-vallis Carnotensis Diœcesis, certissimum esset, illum fuisse Benedictinum nigrum, & non Cisterciensem: At, cum de hoc non constet, & gravissimi Authores contrarium asserant; insigni dubio locus relinquitur: quo stante, in fide, & authoritate Authorum iam initio relatorum, suffultus Arnoldum Carnotensem (alias Bernardum) à Cisterciensium Choro non divellam. Non possum tamen hic non adducere Iacobum Merlonum Horstium, S. Theol. Licentiatum, & Ecclesiæ B. Mariæ in Pasculo, apud Ubios, Pastorem; qui opera S.P. nostri Bernardi, insigni curâ ad plures M.S. codices recensita, &

in 5. Tomos digesta, cũ annotationibus ad singulos tomos, recudi fecit, vt infrà iterùm dicemus. Hic, controversiæ huic, de Arnoldo Carnotensi, finem se imponere credens, eundem diversum facit à Bernardo Bonæ-vallis Abbate, & Bernardum quidem Cisterciensem fuisse asserit, utpotè, Abbatem Bonæ vallis Viennensis, illumque Authorem esse libri 2. Vitæ Sancti Bernardi; reprehendit autem Sixtum Senensem, quod hunc Arnoldum vocet, quem à Bernardo diversum, vult esse Benedictinum nigrum, cui etiam attribuit reliqua opuscula quæ iam recensuimus. Ad quem pariter directa fuit Epistola 310. Sancti Bernardi Vide hunc Iacobum in Annot. ad eandem Epistolam 310. Sancti Patris.

Arnoldus Bonifontis Monachus, Scripto reliquit, *Librum sermonum, à se compositorum*, qui extat in Cœnobio Longi Pontis, Diœcesis Suessionensis. Philippus l'Abbeus in Bibliotheca novâ libb. M SS. supplemento 10.

Arnoldus Veteris-montis Abbas, cognomento Munckendam, S. Theologiæ Doctor, ex Abbate de Lenyn, in Marchiâ Brandenburgensi, anno 1467. creatus Abbas celeberrimi Monasterij de Veteri-monte. vir in divinis & sæcularibus litteris egregiè doctus, ingenio præstans, sermone facundus, vitâ & conversatione religiosus & pius. Scripsit quædam nobilis ingenij sui, & zelosæ religionis monumenta, quibus nominis sui memoriam apud posteros constituit; de quibus exstant, *Quædam ad fratres suos exhortationes*. Et, *Oratio elegans*, dudum impressa quam Romæ habuit coram Sixto IV. Pontifice contra commendas Cœnobiorum, illuc à Capitulo Generali Cisterciensi specialiter missus, pro defensione libertatis Ordinis, contra dictas Commendas. Philippus Seguinus in libello suo M.S. de scriptoribus Ord. Cisterc. agens de hoc Arnoldo, ingens profert fragmentum huius Orationis, omninò elegans. Huius quoque Arnoldi mentionem faciens Liber M.S. Monasterij Sancti Viti in Gladbach, de scriptoribus Benedictinis, præter iam recensita, dicit illum & *alia quædam scripsisse* (Teste Iongelino, in Notitijs) quæ tamen non specificantur. Scribitur præterea *ex universis Germaniæ Academiis relegasse Nominales*. Vide Manriquez in Gerardo 35. Abbate Cisterc ij, ad calcem tomi 1. Annalium Cisterc. Cæterum, hæc omnia confirmavit Reverendissimus & Eximius D. Ioannes Blanckenbergh Abbas Veteris-montis meritissimus, in relatione M.S. ad me nuper transmissa. Obiit Arnoldus in Veter-monte, anno 23. regiminis sui, Christi verò 1490. solus, ex omnibus Abbatibus, in templo sepultus. Iacet ante altare Apostolorum Petri & Pauli.

Arnoldus vel Arnaldus, (*Seguino*, *Arnulphus*) ex Abbate Grandisylvæ, Cisterciensis Cœnobij Antistes, ac tandem, anno 1211. vel 1212. Narbonensis creatus Archiepiscopus, vir fuit, non minus sanctitate, quam sacrarum litterarum notitiâ clarus, & ob id Innocentio III. Pontifici charus, à quo, cum potestate Legati à latere adhuc Cistercij Abbas existens, missus fuit in Aquitaniam ad pestiferam Albigensium hæresim profligandam. Quam commissionem, ut maiori cum fructu exequeretur apud Montem Pessulanum, Synodum Episcoporum, Abbatum, aliorumque Sacerdotum collegit, in quâ excellentis suæ doctrinæ egregium edidit specimen. Hinc assumptis secum (de mandato Pontificis) 11. Abbatibus Ordinis Cisterciensis (quibus posteà adiunxit Sanctum Dominicum) operi sese accinxit, non sine eximio fructu. Hic est ille Arnoldus, qui (de consilio Sancti Dominici) sacrum inquisitionis tribunal primus erexit, assumpto in primum inquisitorem, B. Petro de Castro

nouo, Fontis frigidi Monacho, vt clarè referunt Ludouicus Paramus, lib.2. de Origine inquisitionis, Aubertus Miræus, in suis Originibus Monasticis, lib.5. cap.19. Angelus Manriquez, Laurea Euangelica lib.3 disc. 7. & 8. & fusius tomo 3. Annalium, annis infrà citandis. Et alij plures, apud Henriquez in Menologio, 14. Martij. Hunc denique tanti fecit Innocentius iam dictus, Pontifex Romanus, vt sermones, quos ad Clerum, & populum, in templo Lateranensi Romæ habuerat, in vnū volumen collectos, & impressos, eidem dicauerit. Ad quem Arnoldus, pro gratiarum actione, *Orationem (cum adiuncta epistola,) eleganti stylo à se elaboratam;* remisit. Extat & *alia eiusdem, tunc Narbonensis Archiepiscopi Oratio*, ad eundem Pontificem, *de Albigensium hæreticorum proteruiā comprimendā.* In quā asserit, se, suosque Cistercienses, eosdem hæreticos exterminare non posse.

Legitur & 3. *quam, nomine Episcoporum & Abbatum, scripsit ad Petrum Aragoniorum Regem*, hæreticorum Albigensium fautorem: in quā ei minatur diuinæ gratiæ abdicationem, nisi ab iniquā suā sententiā discedat. Claruit sub Henrico VI. Cæsare, anno Domini 1212. Seguinus in Bibliotheca M.S. Cisterciensi, ex monumentis (vt ait) Cistercij, & historia Albigensium.

Cæterum, Angelus Manriquez, in Annotationibus ad hanc Seguini Bibliothecam, nuper ad me missis, scribit, hunc Arnoldum, antequā fieret Abbas Grandissyluæ, fuisse Abbatem Populeti, esseque eundem, quem Cæsarius in Dialogis vocat Abbatem de Pomane, &c. Tandemque promittit multa egregia de illo, in 3. tomo Annalium suorum, id quod etiam præstitit. vide illum ad annos 1196. 1199. 1202. 1203. & 1204.

Arnulphus de Louanio, Monachus de Boherijs, seu. Bocherijs, in antiquo valdè codice M. S. Villariensi, scribitur Author. *Speculi Monachorum Sancto Bernardo communiter adtributi.*

Arnulphus, aliàs Ernaldus, Melrosensis Abbas clarissimus, ob pietatem & doctrinæ eminentiam, non solum in Scotiā apud Regem & vniuersum populum gratiā & authoritate pollebat, verum etiam à Clemente. 3. Pontifice, grauissimus Ecclesiæ negotijs peragendis, & difficultatibus decidendis adhibitus fuit: vt videre est apud Angelum Marique, tom. 3. Annalium Cisterc. ad annum 1183. ex Annalibus Anglicanis Rogerij Houedenij, ad eundem annum, & sequentes. Hunc Thomas Demsterus, lib. 3. Illustribus Scotiæ Scriptoribus adnumerans, ait scripsisse, *Librum Epistolarum ad Clementem Papam 3.* Ex quo licet conjectari, plurima à Pontifice illi fuisse iniuncta, quorum rationes librum implere possent; aut, Virum doctum (quod tunc multis in vsu) epistolari stylo librum quendam scripsisse graui, haud dubiè, argumento, quem Summo Pontifici dedicauit.

Athanasius de Cucho, vide infra Collegium Compartense.

Athanasius de Lobera, S. Theol. Doctor eximius, antiquissimi Cœnobij, Montis Ramorum in Galetiæ Regno Monachus, Philosophicis & Theologicis scientijs non mediocriter excultus, præ cæteris tamen, curiosissimus antiquitatis indagator, diuersa præclarorum virorum, quos præcedentia sæculo dederunt, heroica facta, ab interitu vindicauit, quorum memoria, temporum iniuria, penè in obliuione abierat. Quo tantam nominis celebritatem consecutus est, vt etiam Philippus 2. Hispaniarum Monarcha, verè prudens, illum historiæ suæ præfecerit: cui muneri valdè laudabiliter satisfecit. Scripsit itaque,

Chronicon magnum Regni Galetiæ, quod M. S. asseruatur ab Excellentissimo Domino, Comite de Gondomar.

Epistolam historialem, ad Philippum 2. Hispaniarum

rum Regem; excusam Matriti, in folio, an 1601.

Chronologiam Regum Hispaniæ: eidem inscriptam, Vallisoleti impressam, apud Carduuas, anno 1602.

Scripsit quoque stylo eleganti, *vitas Sanctorum Froilani Legionensis, & Atilani Zamorrensis Episcoporum, Religiosorum Monasterij de Moreruela*. Vallisoleti apud Corduuas 1598.

Item, *Vitam B. Benedicti de Salamantica, Monachi Moreruolæ*; typis expressam in fasciculo Chrysostomi, Henriquez, Lib. 2. dist. 31. & seorsim in Hispania. Vide Menologium 30. Septembris.

Vitam etiam B. Ignatij, Monachi Moreruolæ: de quo Henriquez in Menologio, 2. Februarij. Henriquez in Phœnice, & locis citatis.

Athanasius Perez. Ursariæ monachus, pius & doctus, scripsit tomum grandem illustrium exemplorum, quem cum iam approbatum, & censuris requisitis munitum haberet, & prælo subijcere decreuisset, mors superveniens, impressionem impediuit Seruatur M.S. in Bibliothecâ eiusdem Monasterij.

Obijt Author anno 1645. Relato. Ildefonsi Perez, ex Hispanijs transmissa.

Augustinus Iasaugatus, Florentinus, Monachus S. Saluatoris de Septimio, vir insignis, & eruditione præclarus, scripsit,

Chronicon de gestis Monachorum Ordinis Cisterciensis, in 6. magna volumina distinctam, quam Angelo de Blondis, Abbati suo Septimiano inscripsit. Asservatur M.S. in Bibliothecâ eiusdem Monasterij. Item scripsit,

De vitis diuersorum Sanctorum Ord. nostri. Lib. 1.

Speculum Monachorum. Lib. 1.

Mariale. Lib. 1. Obijt anno 1499. iacet in Cæmiterio Septimiano.

Relatio Ferdin. Vghelli.

Augustinus Lopez, Vallis Bonæ in Castella Religiosus, vir singularis pietatis, & in humanioribus litteris apprimè versatus, ac in diuinis quoque nō mediocriter excultus. Quā tamē scientiā monasticæ obseruantiæ ita coniunxit, vt sacram Cisterciensem familiam hoc nostro æuo non parum illustrauerit. Siquidem, monialibus quibusdam Cœnobij de Perales, Reformationem Sanctimonialium Cisterciensium meditantibus, Augustinus hic assignatus fuit, vt eas in sancto hoc proposito confirmaret, dirigeret, & salutaribus admonitionibus præmuniret. Hanc sibi demandatam prouinciam tam strenuè obiuit, vt Superiorum voluntati, & sponsarum Christi intentioni abundè satisfaceret.

Constitutiones antiquo Ordinis feruori conformes, ipsemet (non sine singulari Spiritûs Sancti instinctu) *condidit*. Quarum confirmationem cum ab Apostolica sede impetrasset, solida reformationis fundamenta iecit, in Ciuitate Vallisoletana, in Monasterio S. Annæ; vndè posteà plurima per vniuersam Hispaniam profluxerunt, in quibus primæuus regularis obseruantiæ rigor à B. Humbelina olim obseruatus, sed iam pridem emortuus, denuò resuscitatus, mirè florescit. Seruat hæc Congregatio clausuram strictissimam, silentium perpetuum, cæterasque omnes obseruantias, & mortificationes perquā rigidas. Obijt autem Augustinus, non sine magna sanctitatis opinione, in Monasterio Oliuæ, anno 1614. Scripta posteritati reliquit sequentia. *Constitutiones iam dictas Monialium Reformatarum*, impressas Vallisoleti, in 4°. anno 1595. & postmodum, Duaci, anno 1653. apud Bellerum, in Lilijs Cistercij. in folio. Ac paulò antè (Flandricè redditas) Bruxellæ, in 8. apud Gouardum Schoevaerdts.

Boëtium etiam de Consolatione, ex Latino, Hispanicum fecit, & eruditis annotationibus illustrauit. Vallisoleti, in folio, anno 1598. Henriquez in Phœnice.

B.

BALDVINVS DE Bossu, Abbas Camberonensis, in Hannoniâ, num. 11. S. Theologiæ Doctor, scripsit *in quatuor libros Sententiarum Commentaria*. Scriptum in 2um. sic incipit: *Creatorem rerum, &c.* In 3um. sic, *Secundum quod Magister*. In 4um. *Secundum ea quæ dicuntur.*

Sermones item de Tempore, & de Sanctis. Necnon, & *plures alios ad Monachos, & Moniales.* Quæ omnia studiosè asseruantur M. S. in Bibliotheca Camberonensi. Obijt Balduinus anno 1293. postquam rexisset annis 5. Catalogus Bibliothecæ Camberonensis, apud Sanderum in Bibliotheca M. S. Belgica. Et Iongelinus, in Notitijs Abbatiarum Ordinis Cisterciensis.

Balduinus Deuonius, natione Anglus, plebeis parentibus in ciuitate Exoniensi natus, & ibidem in studijs educatus, tantos in ijs fecit progressus, vt adhuc iuuenis publicas scholas aperiret, & iuuentutem docêdam & instituendam susciperet. Quod munus magno cum honore, & omnium plausu præstitit. Postmodum in clerum adoptatus, cum virtutum exemplis, omnibus præluceret, in Archidiaconum Exoniensem fuit electus; sed ille magis amans quietis, & contemplationis, quam dignitatis & honoris, in tanto negotiorum strepitu, hoc officio se abdicauit, & Ordinem Cisterciensem assumpsit in Fordensi Monasterio, in Deuonia, vbi breui, doctrinæ, & virtutum radijs ita effulsit, vt primum Monasterij sui Abbas, ac deinde Wigornensis Episcopus, & tandem Cantuariensis Archiepiscopus (anno 1184.) creatus fuerit. In qua dignitate constitutus, sequenti mox anno, id est, 1189.3. Nonas Septembris, Richardum primum Angliæ Regem solemniter consecrauit, adstantibus Waltero Rhotomagensi Archiepiscopo, ac omnibus ferè Angliæ proceribus; eundemque Regem paulò post magnis cum copijs in subsidium terræ Sanctæ proficiscentem, comitatus est; vbi milites nostros magnopere iuuit, concionibus, consilijs & ingentibus pecuniarum summis, donec tandem anno 1193. in obsidione Ptolemaidis, morbo correptus, occubuit (quanquam alij velint, occubuisse Tyri, ibidemque sepultum.) Quidquid habuit pecuniarum, id totum in usus sacræ militiæ distribui curauit, per manus Huberti Satisberiensis Episcopi: cuius ille voluntati supremæ per sanctè satisfecit. Balduini huius meminerunt passim omnes Historiographi Angli, nominatim Giraldus Cambrensis, ipsius, tã in peragranda Wallia, quam in expeditione Hierosolymitana, comes indiuiduus; qui sequenti illum honorat elogio: Vir fuit modestus, ac sobrius, abstinentiæ magnæ, vt vix vnquam in ipsum quidquam sinistrum ausa fuerit fama præsumere; sermone parcus, ad iram tardus, Litterarum studijs à pueritia imbutus, ore facundus, exactus Philosophus, & ad omne studiorum genus aptissimus, iugum Domini ab adolescentia portans &c. Hoc solum in eo reprehendit, quod ob morum facilitatem, delictorum alienorum non esset satis seuerus & acris castigator. Cæterum, plurima excellentis suæ doctrinæ monumenta reliquit; ex quibus sequentia refert Ioannes Pitsæus, de Scriptoribus Britanniæ: & de illo Henriquez in Phœnice:

De Corpore & Sanguine Domini Lib 1. qui sic incipit: Magnum & profundum noui, verique, &c. M. S. Oxonij, in Collegio Lincolniensi: hunc librum scripsit, dum adhuc esset Abbas, ad Bartholomæum Exoniensem Episcopum.

De Sacramento Altaris, *Lib.* 1. Quem Pitsæus putat asseruari Louanij in Collegio Societatis Iesu. Certè ego ipse anno 1651. in dicto Collegio librum hunc vidi, sub titulo; *Libri Balduini Monachi & Abbatis de Fordâ, Ordinis Cisterciensis, & post-*

& posteà Archiepiscopi Cantuariensis, de Eucharistiâ. In margine verò, propriâ, vt dicebatur, manu Antonij Posseuini, adscriptum legitur; *Liber hic doctus & peracutus est, & scriptus videtur contra reliquias Berengarij, idcòque benè seruandus.* atque hinc fit, vt liber seruetur in particulari scrinio.

De Sacramentis Ecclesiæ, Lib. 1. Reuerenda nomina magistri, &c.

De Commendatione Fidei, Lib. 1. Omnia fœdera Societatis humanæ, &c.

De Orthodoxis dogmatibus, Lib. 1. Doctrina Sanctorum Conciliorum, &c.

De Sectis hæreticorum, Libros duos. Mysterium fidei Christianæ, &c.

De unitate Charitatis, Lib. 1. Institutio vitæ communis, &c.

De Amore, Lib. 1. Fortis est vt mors, dilectio, &c.

De Sacerdotio Ioannis Hircani, Lib. 1. Genus Magni Herodis, &c.

De Eruditione Giraldi, Lib. 1. Opus tuum Archidiacone, &c.

Sermonum, 3. *Lib.* 1. Candidiores niue, nitidiores lacte, &c.

Super historijs Regum, Libros quatuor.

Contra Henricum VVintoniensem, Lib. 1.

De Commendatione Virginitatis, Lib. 1.

De Angeli nuncio Lib. 1.

De Cruce, Librum vnum.

De Mythologia, Librum vnum.

Carmen Deuotionis, Librum vnum.

Epistolarum Librum vnum. Et alia plura.

Vide Pitsæum supra, Ioannem Hagustaldensem, Bostonum, & alios Angliæ Scriptores. Compẽdium vitæ huius Balduini refert Harpsfeldius, hist. Ecclesiasticæ Anglicanæ. centuria. 12. cap. 18. fol. 359.

Balduinus Moreanus, vulgo, Moreau, Religiosus Camberonensis, S. Theologiæ Baccalaureus Duacensis, *edidit Regulam S. Benedicti ad* 30. *M. S. codicum censuram, fidemque reuocatam.* Cum *alijs eiusdem Sancti Opusculis, vita, & Historia,* variè illustrata. Quibus præfixit *Prologum satis prolixum,* Duaci, anno 1611. & Coloniæ 1620. in 12.

Scripsit & *Historiam Cisterciensem*, à diuersis Authoribus satis laudatam. Quam tamen (morte præuentus) publicare nequiuit. Obijt anno 1622. Procurator Generalis Ordinis Cisterciensis, in Curia Romana, nec non & Abbas Cœnobij de Roserijs, in Comitatu Burgundiæ. Claudius Robertus (teste Manriquez tomo 1. Annalium. ad an. 1132. cap. 10. num. 5.) scribit se vidisse historiam hanc Balduini nostri.

Balthazar de Lipsa (melius forte Lipsia) Prouisor Collegij S. Bernardi Parisijs, scripsit *contra Ioannem Hus, pro vna specie Sacramenti.* Eximius D. Chalemot, Abbas de Columbâ, S. Theologiæ Doctor, in relatione M. S. ad me anno 1647. transmissa. Reuerendissimus tamen Morimundensis Abbas in relatione pariter M. S. quam anno 1648. 28. Ianuarij, ex Morimundo mihi transmisit, scribit, inter alios, asseruari in Bibliotheca Monasterij sui, codicem M S. continentem insignem quendam *Tractatum de esu carnium, & de hospitalitate in Ordine Cisterciensi,* conscriptum, per *Fratrem Baltazarem, Collegij Sancti Bernardi Lipsiensis Prouisorem* Suspicor autem hunc eundem esse cum Baltazare de Lipsâ.

Barnabas, de Mont-aldo, Ordinem nostrum professus in Monasterio Montis Syon, propè Toletanam Ciuitatem, & (iuxta laudabilem consuetudinem Congregationis nostræ Hispanicæ) litteris optimè excultus, omni studio se antiquitatum Ordinis lectioni applicuit: cumque plurima reperiret omnibus eiusdem Ordinis professoribus vtilissima, sed, hinc indè, sine

sine ordine legitimo plerumque disposita, & conscripta, Annales, seu, Chronicon Cisterciense exorsus est, in quo præclariora quæque, quæ sparsim in M.S. alijsque impressis codicibus reperire poterat, debito ordine distribuens, quinque libros compleuit, quos prælo subijciens, publici iuris fecit. Adiecit postmodum & alios decem, quos tamen, morte præuentus, vulgare non potuit, haud exiguâ Ordinis iactura. Scripsit itaque *Chronicorum Cisterciensium, libros 5.* editos Madriti in folio 1602. apud Ludouicum Sanchez.

Chronicorum continuationem, libros decem. Qui adhuc M.S. extant.

De Viris Illustribus, Ordinis Sancti Patris nostri Benedicti, lib. 1.

Henriquez in Phœnice reuiuiscente.

Bartholomæus de Beca, S. Theologiæ Baccalaureus Parisiensis, Religiosus Dunensis, *Amplissimum Chronicon Ioannis Brandonis prosecutus est, ab anno* 1414. *vsque ad annum* 1431. Dicitur & alias quasdam historias continuasse, vt etiam antiqua monumenta domûs nostræ innuere videntur, dum illum vocant, *Chronicorum continuatorem assiduum*, Modò tamen in Bibliothecâ nostrâ Dunensi, nihil horum reperitur, præter Supplementum iam dictum, Brandonis. Obijt anno Domini, 1463.

Huius tempore floruit Parisijs ex eodem Dunensi Cœnobio, *Ioannes Vale, S.Theologiæ Licentiatus*, & per annos plures ibidem Lector Biblicus, donec postmodum domum reuocatus, constitutus fuit Confessarius Sanctimonialium *Portûs B. Virginis*, vulgò, de Bilocâ, Gandaui: vbi etiam obijt anno 1459. Cuius sepulchro adpensum fuit insigne epitaphium Flandricum, quod adhuc penes me habeo.

Bartholomæus, 17. *Abbas Monasterij* Ebracensis, in Franconiâ Diœcesis Herbipolensis, S. Theologiæ Doctor, Concilij Constantiensis Assessor, & vnus ex decem, quorum sententiâ & iudicio, Ioannes Hus combustus fuit, teste Bruschio, de Monasterijs Germaniæ, Centuriâ primâ. Scripsit:

Contra Hussitas: & alia plura. Obijt anno 1630. habuit hic Abbas sub se Religiosum quendam, Albertum Kirsenlooher, virum prudentia & eloquentia præstantissimum, qui interfuit Cõcilio Basiliensi, referente Bruschio, supra. Porrò, in hoc Ebracensi Cænobio sepeliri solent corda Episcoporum Herbipolensium, Ducum Franciæ Orientalis.

Bartholomæus Iolij, natione Burgundus, Patriâ Diuionensis, Abbas B.Mariæ de Charitate, in Diœcesi Bisuntinensi, vir doctus, multarumque virtutum ornatissimâ supellectile instructus, inter alia litteraria monumenta, edidit *Insignem libellum de laudibus Virginis Deiparæ, carmine conscriptum*, impressum Diuioni, anno 1617. Ita Hippolitus Maraccius in Bibliothecâ Mariana, parte 1. pag. 191. ex relatione (vt ait) Ludouici Iacob à Sancto Carolo, Carmelitæ Lugdunensis. Floruit Bartholomæus nostra ætate.

Bartholomæus Gomez, Vallis Paradisi in Hispania, Monachus, vir fuit acuto ingenio, & ad disciplinas quaslibet capessendas quodammodò natus. Hinc primum Philosophicis, ac deindè, etiam Theologicis adhibitis studiis, tam vberes ex vtrisque fructus retulit, vt mox ad Meyrense, celeberrimum Ordinis Philosophicum Collegium, destinatus, summo cum honore & applausu Philosophiam docuerit. Imò, pari quoque profectu & fama, postmodum etiam Theologiam professus, Monasterij sui, Vallis Paradisi Prior, ac tandem etiam Abbas, & Congregationis vniuersæ Diffinitor creari promeruerit.

Scripsit, *In Logicam, Physicam, & Metaphysicam, Commentaria docta, & solida.*

Item, *De prædestinatione, tractatum insignem.*

Aliaque

Aliaque plura non contemnenda opera.

Quorum tamen nihil adhuc impressum fuit, sed in Bibliothecis omnia studiosè asservantur.

Bartholomaus à Sancto Fausto, alias, Pirrhus, Siculus, Platiensis, Monachus Cisterciensis, Congregationis B. Mariæ Fuliensis, edidit *Speculum Confessariorum & Pœnitentium*. In quo, mirâ brevitate & facilitate resolvuntur omnes ferè difficultates, ad restitutionem, & materiam contractuum pertinentes, quæ sparsim à Doctoribus, tum Theologis, tum iure peritissimis, prolixè pertractantur. Prodijt Lugduni 1621. & alibi sæpius in 4to. *Libellum, de vitio proprietatis.* Lugduni, *Thesaurum Religiosorum*. In quo, de 3. votis solemnibus, obedientiæ, castitatis, & paupertatis, ac curatissimè disputatur. Lugduni anno 1621. in 4°.

Librum de horis Canonicis, in quo, non solùm de officijs divinis, verum etiam, de Oratione in communi, & de quotidianis distributionibus, accuratissimè disputatur. Lugduni, 1627. in 8°.

Librum, de Iubilæo. Denique

Vniversam Theologiam Moralem.

Quibus omnibus libris, Anton. Diana fatetur se usum fuisse in Resolutionibus suis moralibus. Vide indicem præfixum tomo 1. Resolutionum ipsius Dianæ, in quo recensentur opera, & nomina Auctorum recentiorum, quæ in toto illo volumine citantur, ad construendam optimam casuum Conscientiæ Bibliothecam.

Bartholomaus Madaver Abbas 35. Monasterij Aldersp acensis, in Bavariâ electus anno 1552. Philosophus & Mathematicus excellens, *Opus quoddam accuratum, observationum Mathematicarum; ac in eo, divitem Astronomicorum instrumentorum supellectilem ari incisam, posteritati consecravit*: labore planè gantæo, asserente Caramuele, teste oculato, hisque scientiis instructissimo; in Epistolâ Dedicatoriâ, 1. partis suæ Theologiæ Regularis; ubi etiam subiungit plures adhuc alios eiusdem Cœnobij Religiosos, scripto reliquisse *diversas Lucubrationes Mathematicas, subtili eloquentiâ concinnatas*, quæ M.S. ibidem asservantur. Obijt verò venerabilis Bartholomæus Abbas, anno à partu Virgineo, millesimo, quingentesimo, septuagesimo nono.

Bartholomaus, Mortui Maris, in Normanniâ, Monachus, scripsit *Docta Commentaria in 4. Evangelia.* Quæ ibidem asservantur.

Exim. Dominus Claudius Chalemot, Abbas de Columba, S. Theol. Doctor, in Relatione M.S. ad me missâ, 1647.

Bartholomaus Ponze, Religiosus pijssimi Cœnobij S. Fidei, in Arragonia, iuxta Cæsar-Augustam, vir fuit egregiè doctus; sed pietate, zeloque honoris divini, multo adhuc celebrior. Hinc, cum intellexisset, multorum (maximè iuvenum) manibus teri Librum quendam, amoribus prophanis, aliisque ineptiis, & fabulis refertum, Oratione tum vincta, tum soluta editum à Georgio de Monte Maiori, sub titulo, Amorum Dianæ; omninò theriacam veneno huic opponendam iudicavit; moxque alium conscripsit Librum, cui titulum dedit:

Clara Diana. Vbi in B. Virginis laudes excurrens, pro amore prophano, divinum, & cælestem; & pro fabulis & ineptiis, veras historias, ac pietatem proponit.

Opere hoc feliciter completo, sciens, ad homines in virtute continendos, & à vitiis retrahendos, efficacissimam esse mortis memoriam, alium huius argumenti Librum luci dedit, Vlteriora paranti mors supervenit, circa annum 1582. Lucubrationes itaque eius, typis expressæ, hæ sunt:

Clara Diana, excusa Cæsar-Augustæ, anno 1581.

Ostium patens inexcusabilis mortis, Cæsar-Augustæ, anno 1577. Et iterùm, Salamanticæ sub insigni Cucurbitæ. Henriquez in Phœnice.

Basilius Lopezius, Vallis Ecclesiarum, in nouæ Castellæ regno, Monachus, Doctrinæ, & pietatis laude clarus, scripsit Librum satis elegantem, *de mysterijs S. Crucis, & de via, quam vocant, Sacram*: Madriti excusum, anno 1621. quo conatur populi deuotionem promouere, ad frequentandum stationes diuersis locis ordinatas, cum repræsentatione mysteriorum Passionis Christi. Henriquez in Phœnice parte 2.

Basilius de Molina, Religiosus Monasterij Hortensis, S. Theologiæ Doctor subtilis: Religione & doctrina conspicuus, tantaque cum cuiusuis conditionis hominibus, conuersandi gratia præditus, vt omnium animos mirè sibi deuinciret, iisque, quidquid vellet, facilè persuaderet. In Italiam à Superioribus directus, Ferrariæ diu Theologiam docuit, magno Auditorum concursu. Romæ, Summo Pontifici, alijsque magnatibus in honore habitus fuit, qui varias ei dignitates obtulerunt, quas humilitatis amator, constanter recusauit. In Hispaniam reuocatus. Philippo III. ob consiliorum maturitatem, doctrinæque excellentiam, in amore fuit; à quo etiam diuersas immunitates, & priuilegiorum obsoletorum confirmationes, Ordini vniuerso, sed præcipuè Monasterio professionis suæ, obtinuit. Scripto autem reliquit:

De immunitate Ecclesiastica, lib. vnum, excusum Madriti, in folio, anno 1607.

Historiam Hortensis Monasterij, quam tamen morte præuentus, non vulgauit. Obijt anno 1617. in Hortensi suo Monasterio.

Henriquez, in fasciculo, & in Phœnice.

Benedictus de Alarcon, Religiosus, & postmodum Abbas antiquissimi Monasterij de Morerola; vir, prudentiæ laude, & in rebus agendis dexteritate conspicuus, qui Monasterium suum tam in spiritualibus, quam temporalibus insigniter promouit.

Sermones Paque, Lusitano conscriptos idiomate, Hispanos fecit, & multis locis auctos, in lucem emisit, typis Ludouici Sanchez, Madriti anno 1617.

Scripsit & *Theatrum virtutum, in diuersos tomos diuisum*; quorum primum vulgauit Vallisoleti, in 8°. apud Viduam Francisci de Corduâ; anno 1622. Utrum reliqui etiam prodierint, mihi certò non constat. Henriquez in Phœnice, vix dubitandum putat.

Benedictus Alvarez, Monasterij Vallis Ecclesiarum Monachus, *Libros Beatissimi Patris nostri Bernardi, de diligendo Deo, & de interiori domo*, ex Latinis Hispanos fecit, & imprimi curauit Matriti, 1616.

Benedictus D'auure, Religiosus strictioris obseruantiæ, in Regali Monte, scripsit vitas aliquot Sanctorum Ordinis nostri, quas nondum publici iuris fecit. Viuit adhuc hoc anno 1648. in flore ætatis constitutus, cuius viuax ingenium, plura egregia, nobis, cum tempore promittit.

Relatio Eximij Domini Claudij Chalemot, tunc Prioris Regalis Montis, nunc verò, Abbatis de Columbâ.

Benedictus de Bacquere, Teneræ-mondanus, Belga, Religiosus Monasterij de Dunis, Poëta venustus, Orator disertus, & Theologus solidus. Quorum omnium, certissima specimina sunt, lucubrationes eius sequentes:

Admiranda, morum & nominis Norberti Metamorphosis, in duas partes diuisa; quarum prior continet insignem Orationem habitam Louanij, in eiusdem Sanctissimi Norberti festo, in Collegio Florentiensi: posterior continet 25. fluida anagrammata nominis Diui Norberti, carmine & prosâ, moraliter exposita; Antuerpiæ typis Iacobi Vanoghelen, anno 1647. cum insigni epistolâ dedicatoriâ, ad Reuerendissimum, & Amplissimum Dominum, Chrysostomum vander Sterre, Abbatem S. Michaëlis, Ordinis

Ordinis Præmonstratensis, Antuerpiæ.

Orationes Sacræ, Louanij diuersis in locis habitæ, Liber. 1.

Honorarium funebre, in obitum Reuerendissimi Domini, Bernardi Campmans, Dunensium Abbatis 4. & totius Ordinis Cisterciensis, per Belgium, summi Pontificis authoritate, atque Ordinis commissione, Visitatoris generalis.

Oratio singularis in Politices huius temporis, Anagrammata, Diuinæ & humanæ Trinitatis, concionatorie per sacræ Scripturæ arcana, Patrum sententias, Philosophorum placita, & Poëtarum flosculos elucidata. Per humanam autem Trinitatem intelligit, S Virginem Deiparam, Sanctam Annam, & Sanctum Ioseph. Quorum nominum inuersio, conceptibus concionatorijs subtiliter illustratur. Opus est curiosum, & (vt spero) breui luce donandum. Horum operum intuitu, Benedictum nostrum Sciptoribus Ecclesiasticis adscripsit Aubertus vanden Oede. parte 2. Bibliothecæ Ecclesiasticæ Auberti Miræi, cap. 236. quam post obitum Miræi ipse publicauit Antuerpiæ, anno 1649. typis Iacobi Mesij. Porrò Benedictus ipse, Theologiam quondam docuit in Cænobio Sti. Saluatoris Ordinis nostri, in ciuitate Antverpiensi, modò tamen (anno 1654.) apud nos, Dunis, moratur, ubi Ecclesiasten agit, cum frequenti populi concursu, *publicauitque anno 1649. duas insignes orationes*, 1.am *in laudem SS. Virginis Deiparæ*, quam habuit Louanij in templo RR. PP. Prædicatorum, in festo Annuntiationis. 2.am *de Sancto Benedicto*, typis Christophori Ieghers, Antuerpiæ.

Anno item 1653. in lucem emisit ex M.S. codice Bibliothecæ nostræ, *Sacrorum Consolationum pharmaca*, libellum plenum spiritualibus consolationibus, in omni afflictione, olim compositum à quodam Dunensis nostri Monasterij Religioso Anonymo.

Prodijt Brugis, typis Alexãdri Michiels, in 12.

Cæterum, vividum Benedicti ingenium, & florens ætas plura adhuc nobis egregia spondent opera.

Benedictus Martinez, Vallis Ecclesiarum monachus, eiusdemque postea cænobij, Iunqueræ Abbas.

Discursus morales pro Concionatoribus texuit, Volumen grande iam à supremo senatu revisum & approbatum; quod tamen Author, morte præventus publicare non potuit: at studiose asservatur in Bibliothecâ Vallis Ecclesiarum.

Relatio R.mi, & Eximij Domini Ildefonsi Perez anno 1649. transmissa.

Benedictus Papa 12. anteà dictus, Iacobus Fournerius, Gallus, S. Theologiæ Doctor, Religionem Cisterciensem primum professus in Bolbonâ, Monasterio Diœcesis Mirapicensis, in Provinciâ Tholosanâ; tum, Abbas Fontis Frigidi, in Diœcesi Narbonensi; hinc, Episcopus Apamiensis, & Mirapicensis; postmodum, ab avunculo suo, Ioanne 22. Pontifice (Avenione residente) anno 1327. in 4 creatione, creatus fuit S. R. E. Cardinalis, titulo Sanctæ Priscæ. Tandem, anno 1335. Ad Summi Pontificatus apicem evectus, assumpsit nomen Benedicti 12. Scripsit autem *Commentaria erudita, & prolixa, in Evangelium Sancti Matthæi.* Quæ studiosè asservantur in Clarâ-valle; testibus, Sylvestro Maurolyco, in suo mari Oceano suprà. & Philippo Seguino, in Bibliothecâ suâ M.S. quam apud me habeo.

Expositionem Regulæ S. Benedicti referente Guilielmo Eisegrenio, in Catalogo scriptorum Orthodoxorum.

Registrum item magnum Epistolarum, & constitutionum à se editarum, quod 10. *tomis distinctum, extat in Bibliotheca Vaticana, in folio Regali*, ut refert Miræus, in Chronico Cisterciensi. Repositum verò custoditur in secretiori cubiculo, ad sinistram ipsius Bibliothecæ partem.

E 2 Edidit

Edidit insuper *Constitutionem particularem, pro Reformatione Benedictinorum nigrorum*; quæ, cum Commentarijs Petri Boerij Abbatis S. Aniani, extat manuscripta, in Bibliothecâ Monasterij S. Benedicti, in vrbe Mantuâ.

Diuiditur autem Ordo sic reformatus in 36. Prouincias, quas recenset Miræus, suprà folio 275. editionis Coloniensis: Et Henriquez lib. 2. Fasciculi, dist. 4. Scripsit præterea *de Statu Animarum, ante generale iudicium, tomos duos. Quæstiones vndecim, eiusdem argumenti.* (Vghellus, in epistolâ suâ, asserit scriptas esse in Durandum.)

Decretum de Sanctorum animabus separatis, post mortem clarâ & intuitiuâ visione Deum intuentibus. Incipit Benedictus Deus in donis suis, &c. Extat apud Laertium Cherubinum, tomo 1. Bullarij.

Contra errores Fratricellorum, Lib. 1.

Sermones super omnes anni festiuitates. Hæc omnia etiam asseruantur M.S. in Bibliotheca Vaticana, teste Ludouico Iacobâ S. Carolo, Carmelita, in Bibliotheca Pontificia, Lugduni, anno 1643. impressa. Vbi eidem Benedicto attribuit etiam sequentia: *Commentaria in Psalmos.*

De Statu Canonicorum, Lib. 1.

Decretale Religiosorum, Librum vnum.

Vitam S. Ioannis Gualberti, Florentini, Ordinis Vallis Vmbrosæ Fundatoris. Extat apud Surium.

Sententias varias, ab Hermanno Schedelio in Chronico Norimbergæ excuso, relatas. *Carmina quædam Prophetica.*

Extrauagantium, & constitutionum libros duos, Parisijs editos anno 1517. in 4°. & 8°. Quædam etiam leguntur in collectione Romanâ. 1579. editâ. Extant etiam in Bibliotheca Bobleiana, Anglicana.

Epistolas aliquot ad Eduardum 3. Angliæ Regem, quas habes apud Walsinghamum. Vide Bibliothecam Pontificiam, suprà & Nomenclatorem S.R.E. Cardinalium, qui ab anno Christi millesimo quidpiam commentati sunt, impressum Tolosæ, apud Dominicum de la Casa, 1614.

Extat denique etiam in Bibliothecâ Vaticanâ (teste Reuerendissimo Domino, Ferdinando Vghello, in speciali epistolâ ad me data, 4. Nonas Augusti, 1654.) Liber amplissimus in sex tractatus dispositus, à Benedicto nostro compositus, *De Visione Beatificâ, & alijs controuersijs Theologicis.* Verum utrum hæc diuersa sint ab ijs quæ suprà commemorauimus, de statu animarum, &c. me latet. de hoc Pontifice specialiter legitur apud historicos, quod viros doctos, aliosque subtili ingenio præditos impensè coluerit. Quos, vt in Ordine suo Cisterciensi melius foueret & nutriret, Bernarditarum Collegium in Academia Parisiensi circa annũ 1240. leui schemate ædificatũ, augustius reddidit nouo ibidem constructo templo, 1336. Cuius Collegij Bibliothecam postmodum Guillielmus S. R.E. Cardinalis, Benedicti nepos, optimis codicibus exornauit, & 16. alumnos, operam Theologiæ daturos perpetuò instituit. Vide Ionghelinum in Purpura; & Seguinum in Bibliotheca Cisterciensi.

Obijt hic Pontifex anno 1372. 7. Kal. Maij, Auinione; ibidemque sepultus est in Cathedrali Ecclesia S. Mariæ de Donis. Eius vitã scripserunt, quotquot de Pontificibus scripserunt. Specialiter autem Chrysostomus Henriquez, in Fasciculo Sanctorum Ordinis Cist. qui etiam in Menologio suo, de eodem agens, clarissimè demonstrat, illum fuisse Ordinis Cisterciensis, contra quendam Carmelitam, qui eundem Ordini suo adserere conatus fuerat, ratiunculis aliquot tam friuolis, vt mirum sit viros doctos voluisse tempus impendere ad eas rationibus côuincendas, quod tamen solidissimè fecerunt Henriquez iam citatus in Menologio, & postmodum etiam doctissimus *Ferdinandus Vghellus*, in

in opere suo nunquam satis laudato, quod *Italiam Sacram* nuncupauit, in quo, tom. 10. de Romanis agens Pontificibus fol. 42. & sequentibus, ex ipsius Benedicti testimonijs, euidentissimè demonstrat, illum ab initio iuuentutis suæ, Ordinem nostrum fuisse professum, omniaque etiam iuuentutis tempora in eodem ordine peregisse. Hoc ipsum in diuersis epistolis & constitutionibus, quæ adhuc in Registro ipsius in Vaticanâ Bibliothecâ asseruantur, & hîc citantur, apertè profitetur Pontifex, nominatim in illâ quæ in dicto Registro habetur omnium prima, tom. 1. fol. 2. quam statim initio Pontificatus sui scripsit Abbati Cisterciensi, cæterisque Abbatibus Ordinis Cisterciensis, hanc verbotenus, ex eodem Registro desumptam profert ipse Vghellus; verum quia codex ipsius diuersis in locis rarus est, operæ pretium visum fuit eandem hîc etiam inserere, ad verbum:

Benedictus Episcopus Seruus Seruorum Dei:

Dilectis filijs, Abbati Monasterij Cistercij, cæterisque Coabbatibus, & eorum Conuentibus, Cisterciensis Ordinis, salutem, & Apostolicam benedictionem.

Altitudo cælestis Concilij, supra cuncta tenens in excelsis imperium, sic dat esse rebus, & dispensat ineffabili prouidentiâ munera gratiarum; sic creaturarum conditiones, & status ordinat, ac pro vt vult, variat & disponit, quod sensus humanus eius secreta consilij perscrutari non valens, in horum consideratione potius hebetatur; cum sint inuestigabiles viæ Domini, & sapientiæ suæ magnitudinem humani non capiant intellectus: facit enim fortem ex debili, balbutientibus eloquium tribuit, & ponit nonnunquam humiles in sublimi, plenam & perfectam habens ad singula tanquam palma concludens omnia, potestatem.

Sanè fel. rec. Ioanne Papa xxij. Prædecessore nostro nuper, sicut Domino placuit, ab hac luce subtracto, & ad cælestem patriam ab huius mundi miseriâ, sicut piè credimus, euocato; eiusque corpore cum exequiarum solemnitate debitâ tumulato, Ven. Fratres nostri, Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, S. R. E. Cardinales, de quorum numero tunc eramus, pro futuri substitutione Pastoris conuenientes in unum, sub deliberatione Concilij, quam tanti negotij qualitas exigebat, habito super electionis futuri Papæ celebratione tractatu, licet condescendere potuissent in alios maiorum meritorum claritate conspicuos, & plurium virtutum titulis insignitos, tandem ad personam nostram dirigentes unanimiter vota sua, Nos ad summi Pontificatus apicem, diuinæ dignationis clementiâ, euocarunt.

Nos igitur nostrarum insufficientiam virium, & administrationis tam arduæ sarcinam, tantique oneris grauitatem intentâ consideratione pensantes intra nostra præcordia, quod inter tot diuersas, & varias sæculi fluctuationes & pugnas agendum, quidque tenendum, quidue pensandum extiterit, animo duximus trepido reuoluendum: demum verò spiritus virtute recassumptâ in illo qui assurgit in occursum timentium, & implorantium humiliter nomen suum; quique clementer in semitis suis gressus hominis perficit inter huiusmodi cogitationum fremitus anchoram spei nostræ fiximus, ad ferendum sub eius fiduciâ iugum seruitutis Apostolicæ imbecilles humeros humiliter submittentes, ac subsequenter benedictionis, & coronationis solemnia & cætera recepimus, secundum morem eiusdem Romanæ Ecclesiæ in Personis Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum hactenus obseruatum, anxiato & humiliato spiritu Domino supplicando, vt ipse qui nos iugum huiusmodi subire concessit, sic ad ipsum portandum debilitatem nostram suæ virtutis robore fulciat, sicque illud faciat sua benignitate portabile, quod sub eo non contingat nos ex nostra debilitate deficere, sed ita sua omnipotentia nobis & gregi dominico vigilantiæ nostræ commisso, potius proficere, quod de talento nobis credito dignam valeamus in extremo iudicio reddere rationem.

Nos igitur qui iuuentutis nostræ tempora in Ordine

vestro peregimus sub sancta obedientia imperio, & obseruantia regulari, ac in eo effecti alumni, in dignitatis & administrationis statu fuimus operosi; nec non, de illo, per Apostolica Sedis prouidentiam, ad Pontificalis eminentia titulum, & deinde ad apicem Cardinalatus peruenimus; ac demum, sicut ex præmissis colligitur, nos quanquam immeritos in summi Pontificatus Cathedram suprema dignatio collocauit, eo affectuosius & deuotius Charitatis vestra precum nostrarum primitias destinamus, quo spiritualius, & firmius credimus & tenemus, quod illa apud vos locum sibi præcipuum vindicabunt. Considerantes itaque nos tanquam homines inter mundanos conflictus & turbines constitutos, ac veluti imperfectos diligentius attendentes, ad deuotionem vestram Deo gratam, nostra mentis leuamus oculos, ad vestrarum orationum suffragia feruentius aspirantes: ea propter Vniuersitatem vestram rogamus, precamur, & obsecramus attentius per viscera misericordia Iesu Christi, quatenus pro persona nostra, statuque salubri & felici Vniuersalis Ecclesiæ, orationes deuotas, & sedulas ad superna Maiestatis clementiam effundatis, & etiam effundi faciatis, in vestris generalibus Capitulis celebrandis, vt omnipotens Dominus, qui humeris nostris imbecillibus molem imposuit Apostolica seruitutis, nobis sua omnipotentia dexteram porrigat, defectumque nostrum sua virtutis robore fulciat, vt dum nauigabimus in huius vita salo, tempestuosis fluctibus & procellis, sciamus, & possumus dispersa colligere, fracta conuertere, deperdita restaurare, custodire pinguia, manuducere fortia, & humilia confouere, aliásq, Sponsa nostra nobis diuinitus copulata, Romana prafata, ac generali Ecclesia præesse pariter & prodesse: Nos enim eundem Ordinem deuotè, interne charitatis affectu zelantes, ipsius optamus salutis & prosperitatis plenis desiderijs, incrementum; ad quod, Deo fauente, Apostolici fauoris oportunum præsidium proponimus iuxta diuinum beneplacitum adhibere.

Cum autem, sicut intelleximus, portitores huiusmodi litterarum interdum consueuerint esse, contra intentionem mittentium, exactores, nunc importunè petitionis instantia, nunc etiam murmurationum susurrijs, ac detractionum ac querelarum comminationibus exigendo, scire vos volumus, quod nostra intentionis existit, latoresque præsentium iurare volumus, quod ad exigendum vel obtinendum aliquid, præter ea qua ad victum, vel ob infirmitates, ac alios casus necessaria, per alias eis sub certa formâ litteras, quas vobis exhiberi mandamus, ministrari præcipimus talibus instantijs, murmurationibus, detractionibus, seu comminationibus non utantur, nec recipere oblata præsumant, ideoque vt nostris in hoc intentioni & beneplacito concurratis, præfatis eorum abusionibus, cæterisque similibus si forsan eis, quod non est verisimile, uti præsumerent contra proprium iuramentum, contemptis, omninò vos vltra præmissa sibi vestro ministranda mandato, tribuendo aliquid non grauetis, cum non per extorsiones huiusmodi, sed ab retributione congrua intendamus ipsorum laboribus respondere.

Datum Auenione, 5. Idus Ianuarij, Pontificatus nostri anno primo.

Hæc epistola vel sola sufficeret, ad Carmelitas confundendos, ex abundanti tamen, addam & antiquissimum Epitaphium, quod in tabella etiamnum extat ad Pontificis sepulchrũ, in Cathedrali Aueniensi, nuper ab ipso Præposito eiusdem Ecclesiæ Romam transmissum ad Venerandum Sti. Anastasii Abbatem, memoratum, qui eiusdem mihi communicauit copiam, tenoris sequentis.

Hic subsunt ossa & cineres Benedicti duodecimi Pontificis maximi, qui fuit oriundus ex oppido Sauarduno, Diœcesis Apamiensis, in Comitatu Fuxensi, & appellabatur Frater, Iacobus Furnerius, Monachus Cisterciensis, Theologia Doctor eximius. Fuit primum Abbas Montis frigidi, indè Episcopus Miripicensis, demum presbyter Cardinalis, titulo Sancta Prisca, à Ioanne vigesimo secundo (cui immediatè in Pontificatu successit) creatus; vulgò Cardinalis albus dicebatus

batur, quem ob rei familiaris angustiam, Cardinalium penè infimum, in summum Pontificem, ob eius vitæ integritatem, elegerunt; in vigilia Sancti Thomæ Apostoli, in Conuentu Fratrum Prædicatorum huius Vrbis, ubi etiam Calendis Ianuarij, per Neapoleonem de Vrsinis, Diaconum Cardinalem, coronationis insignia suscepit, anno 1335. Vir fuit, doctrinâ & vitæ integritate præstantissimus, Virorum bonorum, & doctorum valdè studiosus. Multa præclara statuit, ferè ad morum, & præcipuè, Cleri, reformationem, & Ecclesiasticam disciplinam instaurandam spectantia.

Sedit in Pontificatu annos septem, menses quatuor, dies sex, unica tantum habita sex Cardinalium virorum præstantissimorum creatione. Decessit in Auinienfi Palatio (quod ipse fabricari iusserat) & tibiæ dolore, septimo Calendas Maij, 1342. Funus in præsenti ecclesia magnificè, curatum fuit, omnibus qui aderant ob tanti Pontificis necem collachrymantibus. Hactenus Epitaphium. Atque hæc de Benedicto 12. modò sufficiant, plura desiderans, consulat, *Menologium*, & *Italiam Sacram*, suprà citata: aliaque expectet quæ breui hîc de re, ex professo tractando, dabit ipse Reuerendissimus Ughellus.

Benedictus Pontigniacensis Monachus, scripsit insigne *Volumen, Piarum considerationum, in plura loca Sacræ Scripturæ.*

Extat ibidem, Relatio Reuerendissimi & Eximij Domini Matthæi Abbatis eiusdem Cœnobij, S.Theol. Doctoris, &c. scripto ad me missa.

Bernardinus Buchinger, ex Religioso Lucellensi in Elsatia superiori, nunc Abbas celleberrimi Monasterij Mulbrunnensis in Ducatu Wirtembergensi, stylo eleganti conscripsit, præloque aptat *Chronicon Monasterij sui Lucellensis. Historiam item Monasterij Mulbrunnensis.* In quibus, multa habebit rara, & curiosa, quæ historias Alsatiæ, Ducatûs Wittenbergensis, & aliarum vicinarum Prouinciarum, non parum illustrabunt. Huic viro Reuerendissimus D. Caramuel dedicauit suum Bernardum triumphantem. Viuit adhuc hoc anno 1648.

Relatio Domini Iongeli, Abbatis Eusserthalensis, scripto mihi transmissa 1647.

Bernardinus de Sylnâ, Religiosus regalis Cænobij de Alcobaciâ, in Portugalliâ, Sacræ Theologiæ doctor, eiusdemque in Cænobio suo Professor, conscripsit Opus insigne, & amplum, in duas partes diuisum, lingua Portugallica, quod inscripsit:

Monarchia Lusitana defensa. Primam partem vulgauit author, dum adhuc solummodò esset Baccalaureus S.Theologiæ, anno 1620. Conimbricæ, typis Nicolai Caualho. in 4. Secundam partem edidit iam S. Theol. Doctor, eamque dedicauit Marchioni de Castel-Rodrigo, anno 1627. Ulyssiponæ, typis Petri Crasbeeck.

Sanctissimus Pater Bernardus. 1. Claræ vallis Abbas, natione Burgundus, nobili exortus familia; in Fontanensi Castro, iuxta Diuionem, natus (quod Castrum nuper fauore Ludouici 13. Galliarum Regis, conuersum est in Cœnobium Religiosorum Cisterciensium, Congregationis B. Mariæ Fuliensis, vt latius refert Henriquez in Menologio, 20. Augusti:) adolescens. Monasticem professus est in Archi cœnobio Cisterciensi, sub Sanctissimo Abbate Stephano: à quo, adhuc iuuenis, ordinatus fuit fundator, & 1. Abbas monasterij Claræ vallensis in Diœcesi Lingonensi, & comitatu Campaniæ. Hic, vita sua planè Apostolica, miraculorum gloria, & sapientiæ splendore, tam illustris fuit, vt minus ad eius laudem sit quidquid ab homine dici potest: ne tamen, cum alios passim laudem, de illo solum sileam, pauca hic dicam, quę ex grauissimorum doctorum censuris & iudicijs desumpsi, doctrinam, & scripta eius concernentia,

cernentia, de quibus hic solum agere, per se, intendo: Itaque, disputator fuit tam subtilis, & Orator tam vehemens, vt ad quamcunque materiam verteret ingenium, verba haberet apta negotio, quod contenderat, persuadendo. Specialiter autem, ab infantiâ, sacras litteras ita imbibit, & per omnem ætatem retinuit, vt quoties aliquid loqui, aut scribere tentaret, toties in verba, & sententias Sanctarum Scripturarum prorumpere cogeretur. Vndè & vniuersa scripta eius (quæ nihil aliud quam Centones diuinorum voluminum dici queunt) vndequaque, noui ac veteris Testamenti sententijs distincta sunt, ceu gemmeis emblematibus, hisque adeò commodè & aptè insertis, vt ibi nata esse credantur. Modus docendi eius, in sensibus mysticis indagandis, & in moribus formandis, ferè semper versatur. Oratio vbique dulcis, & ardens, ita delectat, & ardenter incendit, vt ex suauissimâ linguâ eius, mel & lac verborum fluere, & ex ardentissimo eius pectore, ignitorum affectuum incendia erumpere videantur. Eius autem exetica in diuinas litteras monumenta (quæ tunc impressa extabant) hoc ordine recenset, in Bibliothecâ Sanctâ, Sixtus Senensis.

In Geneseos caput 1. *de sopore Adam*, *Sermo*. 1.

In 1. *Regū* 17. *De Dauidis Monomachia*. *Sermo*. 1.

In 3. *Regum* 19. *De fuga Heliæ*, *Sermo*. 1.

In 4. *Regum*. 5. *De Naaman Syro*, *Sermo*. 1.

In Principium Psalmi 83. *Sermo*. 1.

In Psalmum 84. *Sermones duo*.

In Psalmum 90. *Sermones* 17.

In Psalmum 132. *Sermo vnus*.

In varia loca Cantici Canticorum, *Sermones* 8.

In Isaia cap. 6. *De visione Sedentis super Solium*, *Sermones* 5.

In Isaia cap. 7. *De verbis Isaiæ an Achaz*, *Sermo*. 1.

In Isaia cap. 9. *De nomine Pueri admirando*, *Sermo vnus*.

In Isaia cap. 11. *Sermo*. 1.

In Matthæi 5. *De Beatitudinibus*, *Sermo*. 1.

In Matthæi 6. *De Oratione Dominica*, *Sermo*. 1.

In Matthæi 15. *De* 7. *Panibus*, *Sermo*. 1.

In Marci 16. *Sermones duo*.

In Luca cap. 1. *De Annunciatione Dominica*, *Sermones* 4.

In Salutationem Angelicam, *ex eodem capite*, *Sermones duo*.

In Luca caput 10. *De Martha*, *& Magdalena*, *Sermo*. 1.

In Luca caput 16. *De Villico iniquitatis*, *Tractatus vnus*.

In Luca 24. *De* 2. *Discipulis euntibus in Emaus*, *Sermo*. 1.

In illud Ioannis 10. *Qui ex Deo est*, *verba Dei audit*, *&c*. *Sermo*. 1.

In 1. *Thess*. 5. *De Oratione*, *Petitione*, *Obsecratione*, *& gratiarum Actione*, *Sermo*. 1.

In Apocal. 7. *De* 7. *Sigillis*, *Sermo*. 1.

In Apocal. 12. *De Muliere amicta Sole*, *Sermo*. 1.

Extat & insigne Authoris huius opus, quod eruditi omnes, cæteris ipsius operibus præferunt, hoc est: *In* 3. *prima capita Cantica Canticorum*. *Explanationes Mysticæ*, *atque continuæ*, *Sermones* 86. quos vltimo vitæ suæ tempore, coram Monachis suis in solatium quotidiani laboris, viua voce, & ex imo corde profudit: in quibus tanta facundia Diuinæ Charitatis vim atque sublimitatem expressit, vt appareat, illum omnes in seipso cælestis amoris affectus, motus, & aculeos, vero ac viuo spiritûs sui experimento sensisse, &c. Hæc omnia Sixtus Senensis. Porrò, præter Opera hîc recensita, plures nunc extant Tractatus & Sermones S. huic Bernardo adscripta, ex quibus tamen aliquot, non esse ipsius genuinos, benè declarauit Cardinalis Bellarminus (libro de Scriptoribus Ecclesiasticis) vt, *ad Fratres*, *de Monte Dei*. *Meditationes de interiori domo*. *Scalam Claustralium*, *Formulam honestæ vitæ*. *Specu-*

Speculum Monachorum. Librum de Conscientia. De Amore Dei.

De Passione Domini. Et, *Lamentationem B. Virginis.* Quem ultimum tractatum etiam indignum putat, qui SanctoBernardo tribuatur, eo quod ineptias, & falsa nonnulla contineat. At verò, germana viri Sancti Opera esse, quæ Gaufridus Claræ-vallensis, lib. 3. cap. ultimo vitæ eiusdem patris recenset, indubitatum est, scilicet:

Tractatum de gradibus humilitatis.

Homilias super missus est.

Librum de diligendo Deo.

Apologeticum ad Guillielmum Abbatem Sancti Theodorici.

Librum de præcepto & dispensatione.

Tractatum exhortatorium ad milites Templi.

Librum de gratia, & libero arbitrio.

Libros 5. De consideratione, ad Eugenium Papam.

Vitam Sancti Malachiæ.

Sermones omnes super Cantica Canticorum. Et Epistolas. His ita a Gaufrido enumeratis, addit ipse Bellarminus, pro indubitatis, *Sermones centum, & vndecim, de Dominicis & f. stu.* Item, *alios 55. de diversis Argumentis. De Altitudine cordis 4. De conversione ad Clericos; vnum.*

Sermones parvos 66. in Psalmum 9017. De donis Spiritus Sancti vnum. Et, *Declamationem in illud Euangelicum: Ecce nos reliquimus omnia &c.* Vide latius ipsum Bellarminum, loco citato, & præfationem Iacobi Pamelij, in appendicem ad eiusdem Sancti Opera. Item Angelum Manriquez Annalium Cisterc. tomo 2. ad annum Domini 1153 cap. 10. Vbi præter hæc omnia Opera ab Authoribus iam citatis commemorata, duo insuper adnotat alia, quæ ipse omninò genuina putat viri Sancti Opera: Quorum *primum, carmine heroico eleganter conscriptum, nomine, Floreti,* postmodum à viro Doctissimo Ioanne Gersone, commento illustratum fuit, & anno 1520. Lugduni impressum, apud Ionnē Marion, in folio, sub titulo sequenti: *Liber, nomine Floretus, Sancto Bernardo Clara-vallis Abbate, metrice accumulatus, cum commento M. Ioannis Gersonis, tract ans de virtutibus, & vitiis, secundum præcepta Dei, & Ecclesiæ, ad fugam peccatorum, & electionem illorum operum, quæ hominem perducunt ad Deum:* hactenus titulus. Tractat verò hic liber, de articulis fidei, de peccatis in genere, & in specie, de Sacramentis in genere, & in particulari; de Virtutibus, de Donis, de Beatitudinibus, de Pœnis inferni, & Purgatorij, de gaudiis Paradisi, & de Aureolis Beatorum. *Et hæc quidem Manriquez, mihi tamen Floretus nunquam visus fuit Sancto Bernardo tribuendus: Et certè, Parisijs in codice antiquo M.SS. Bibliotheca Regia, dicitur Floretus esse compilatus à Clemente Papa,* teste Philippo Labbeo Soc. Iesu, in novâ Bibliothecâ M. SS. *Librorum, Supplemento 8. n. 1505. Extat idem liber in diversis Bibliothecis M.SS. Belgij, sed semper sine nomine Authoris, ut videre est in catalogis dictarum Bibliothecarum ab Antonio Sandero publicatis.*

Alterum opus ante 50. annos vulgatum fuit Venetiis, in 4to apud Fabium, & Augustinum Zoppinos, fratres, & Eminentissimo S.R.E. Cardinali, Augustino Valerio consecratum: cuius hic est titulus:

Aurea Psalmorum septem pœnitentialium expositio, Divi Bernardi Abbatis Clara-vallensis, Doctoris Mellistui, nunc primum in lucem edita. Continet autem Prologum, & singulas singulorum Psalmorum expositiones.

Extat insuper in Monasterio Alnensi, Ord. nostri Cisterc. Scriptum quoddam eiusdem Patris, *De conversatione Laicorum fratrum Ordinis Cisterciensis.* Item in Bibliothecâ Monasterij nostri Dunensis *Regula Templariorum,* ab eodem concinnata, hortatu Patrum Concilij Trecensis, & Balduini Regis Hierosolymitani. Quæ duo scripta iam publicavit Henriquez, in Menologio.

In Monasterio Parcensi, Ord. Præmonstrat. iuxta Lovanium, servatur liber huius tituli: Sancti Bernardi *Tractatus de visitatione infirmi.* Teste Sandero in Bibliotheca M.S. Belgicâ.

Vidi etiam ego ipse, in Bibliothecâ Veteris Campi, Diœcesis Coloniensis, Tractatum M.S. *Super Psalmum, Afferte Domino Filij Dei,* &c. ab eodem Divo Bernardo conscriptum, in gratiam novitiorum.

In Bibliotheca Lætiensi, Ord. Sancti Benedicti, extat *Liber, de Statu Virtutum*; cuius inscriptio Sanctum Patrem Bernardum Authorem facit. Verum, vtrum hic non sit idem liber cum Floreto (de quo suprà) mihi incompertum. In Monasterio Laudensi, in Flandriâ, servatur eiusdem *Epistola, de Oratione cantus,* nondum edita, cuius initium est: Bernardus humilis Abbas Claræ-vallis, &c.

In catalogo lib. M.SS. Collegij Soc. Iesu, Brugis (apud Sanderum in Bibliothecâ M.SS. Belgicâ) dicitur haberi, *Scriptum S. Bernardi contra Waldenses,* sed non est Bernardi nostri, at, Bernardi Abbatis Fontis calidi, incipitq;: *Sancta Romana Ecclesia Præsidente Domino Lucio.* &c. Librum ego ipse diligenter examinavi, qui nullatenus refert Spiritum S. Bernardi.

Similiter, *Liber Aromatum, seu Speculum cordis,* qui dicitur extare in Collegio Societatis Lovanij, extat quidem ibidem, sed sub nomine S. Augustini, in margine tamen habetur annotatum, non esse S. Augustini, eo quod S. Augustinus in eo citetur an verò sit S. Bernardi, ibidem non dicitur, nec ex stylo apparet, librum ipsemet examinavi, 1651.

Cæterum, prodeunt continuò paulatim, plura & plura huius Sanctissimi Patris opuscula, quorum tamen pleraque etiam nec spiritum nec mellifluum eius stylum exhibent.

Iacobus Gretserus, Societatis Iesu Theologus, scriptis variis clarissimus, & Antiquitatum omnium indagator studiosissimus, anno 1617. publicavit 4. alia opuscula, sub nomine Sancti Bernardi Claræ-vallensis, ex Bibliothecâ Patrum Carthusianorum Erfordensium, eatenus nondum edita (quæ tamen nec stylum nec spiritum Bernardi habent)

1. Scilicet, *Librum, de Reductione pueri Iesu,* sive (ut in alio vetustiore codice inscribitur) *Sermonem B. Bernardi de filio prodigo.* Habetur litera D. 19. in folio, in Bibliotheca Carthusian.

2. *Librum de Charitate,* continentem 48. capita, quorum 12. primis, inscriptiones adiunctæ sunt in Autographo; reliquis verò (claritatis causâ) adiunctæ sunt ab ipso Iacobo Gretsero. Reperitur in codice membranaceo, in 8. scripto ante 300 annos, sub littera L. 84.

3. *Soliloquium,* incipiens: *Cor meum, rogo te, ne sis cor fatuũ,* &c. Estque diversum ab eo, quod impressum legitur inter opera Sancti Bernardi. Ex codice membranaceo, in folio, litera L. 26.

4. *Devotam meditationem de Passione Domini.* Ex codice, litera E. 21. in 8°.

Prodierunt hæc dicto an. 1617. Ingolstadij, ex Typographia Ederianæ, apud Elizabetham Angermariã, viduam, in 4. dedicata admodũ Reverendo, Amplissimoque Domino, Ioanni Monasterij Cæsariensis Abbati dignissimo.

Operibus S. Bernardi impressis Antuerpiæ, anno 1620. apud Petrum & Ioannem Belleros, addita sunt sequentia:

Officium S. Victoris, à S. Bernardo compositum, cum 8. Lectionibus, continentibus vitam eiusdem sancti Victoris, editum opera Ioannis Picardi, Religiosi sancti Victoris Parisiensis.

Miracula à sancto Bernardo in Germania patrata: sed incorrectè. De quibus sæpius infrà.

Opuscula 4. iam memorata, per Iacobum Gretserum edita.

Opusculum, ad quid venisti?

Denique, *Sermones duo,* ex codice Grandisprati,

prati, 1. *Ad Patres Congregatos in Concilio generali.* 2. *De Munditia corporis & animæ procuranda, super illud: sint lumbi vestri præcincti.*

Ludovicus Iacob à Sancto Carolo, in Bibliotheca Pontificia, Lugduni anno 1634. edita, refert sanctum hunc Patrem scripsisse, *vitam S. Melchiadis Papæ*, quæ extat M.S. Cantabrigiæ, in Bibliotheca S. Benedicti, volum. 363 nu. 2. Credo tamen ego, esse vitam B. Melchiadis Scoti, Religiosi Claræ vallensis, de quo infrà, lit. M. verbo Melchiades.

Quidam D. Malachias, Religiosus Campi Liliorum, S. Theologiæ Professor, plusquam 500. folia collegit ex diversis M.S. codicibus, nondum impressa, quæ inferet novæ editioni operum S. Bernardi, quam adornat, ut scribit ad me, ex urbe Pragensi, Reverendissimus & Eximius D. Caramuelius.

An. 1641. Colon. denuò recusa opera Sanctissimi Patris nostri, ad plures Manuscriptos codices recensita, opera & studio Iacobi Merloni, S. Theol. Licẽtiati, &c diversis iterũ opusculis auctiora prodierunt: quorũ hæc est series:

Epistola 367. ad Alphonsum Regem Portugalliæ.

Epistola 368 Ad B. Ioannem Ciritam, Abbatem.

Epistola ad Beatam Hildegardem Abbatissam.

Septendecim aliæ Epistolæ, ad diversos scriptæ, ex Bibliotheca Oxoniensi in Anglia, ad ipsum Merlonem transmissæ.

Sermo S. Bernardi, in Dominica Palmarum, cuius initiũ est: *Redemptor noster Fratres Charissimi &c.* inuentus in Bibliotheca Marchianensi, ab Eximio Dño, Guillielmo Estio Doctore Duacensi.

Sermo eiusdem Panegyricus. ad B. Virginem Deiparam, ita incipiens: *Mentẽ & oculos pariter ad te, Regina mundi attollimus. &c.* Atque, hæc quidem Opuscula, germana esse sancti Bernardi, autumat ipse Merlonus. Quibus subjungit duos alios Sermones, sancto quidem Patri adscriptos, in quibusdã antiquis codicibus M.S. quos tamen ipse certo non audet asserere, esse Bernardi, ideoque eos apposuit alijs tractatibus dubijs. Nimirum,

Sermo, de 12. Portis Ierusalem. Ex antiquo M.S. codice Carthusiæ Coloniensis.

Sermo, in Canticum B. Virginis, Magnificat anima mea Dominum. &c. Ex M.S. codice horti B. Mariæ, Sanctimonialiũ Ord. Cisterc. Coloniæ.

Idem Merlonus, in præfatione operum Sancti Bernardi, ad Lectorem, plura adhuc alia recenset opera eidem Sancto Patri adscripta, quæ adhuc M. S. in diversis Bibliothecis latent. Nimirum:

In Monte Cassino, *Liber in Hexameron*: teste Draudio, in Bibliothecâ classicâ.

In Epistolas Pauli, Ferrariæ, in Bibliotheca Sancti Andreæ, teste eodem.

Tractatus de vitâ Prælatorum. Et de triplici adscensione ad perfectionem. Romæ, in Bibliothecâ Sfortianâ, teste Posseuino, in indice Bibliothecæ Sfortianæ, ad finem apparatus Sacri. Notat tamen Merlonus, hanc Bibliothecam esse dispersam, adeoque incertum, vbi modò hi tractatus lateant

In Angliæ verò Bibliothecis, latêre dicit Tractatus hos:

De dignitate B. Mariæ Virginis.

De conflictu vitiorum, & virtutum.

De deiectione Adæ ex Paradiso.

De Passione Christi. De 10. Præceptis, & 10. plagis.

De tentationum periculis.

Ad Sanctimonialem fluctuantem, &c.

De peruersis Clericis, & claustralibus.

De 15. Signis iudicij. Elogium Castitatis.

De 4. Beneficijs specialiter à Deo concessis.

Meditationes diversæ ab editis. Hæc ita Merlonus. Qui sub finem etiam notat, 1. Librum Soliloquiorum Sancti Bernardi, ann. 1566. ex Thosanâ Bibliothecâ editum, per Iacobum Pamelium, esse eundem librum, cum libro, de amore Dei, præter sequens initium: *In lacu miseriæ*, &c.

&c.usque ad, *in pace in id ipsum dormiat & requiescat anima mea, quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.*

2. *Tractatum, de Colloquio Simonis & Iesu*, esse eundem, cum *declamatione, ecce nos reliquimus omnia* &c.

3. Tractatum, de vitâ & moribus Clericorum, esse eundem, cum exhortatione de contemptu mundi.

Insuper, dum nuper (ad petitionem Reverendissimi Eximij Domini Ioannis Caramuelis, Mysiensis Episcopi, &c.) excuterem Bibliothecam M.S. Monasterij nostri de Dunis, reperi ibidem sub inscriptione Sancti Patris nostri Bernardi, tractatus sequentes, hactenus ineditos:

1. *Expositionem Orationis Dominicæ.* Cuius initium est: Pater noster: septem sunt petitiones, sicut 7. dona Spiritus Sancti, & 7. virtutes. Per petitiones venitur ad dona, & per dona ad virtutes, per virtutes ad beatitudines &c.

2. *Librum Sententiarum*, alium ab edito, constantem 31. §§. Quorum primus incipit: Templum Dei Sanctum est, quòd estis vos. Templum Dei, est claustrum Religiosorum &c. ultimi paragraphi finis est: Vndè Apostolus, sive mẽte excedimus Deo, siue sobrij sumus, vobis.

3. Librum satis prolixum, *de 3. statibus amoris in animâ Christiana.* Qui liber, subiungebatur duobus alijs libris iã impressis, scilicet, de amore Dei; & de arte, naturâ, & dignitate amoris.

Tertij autem huius libri initium est: Tres sunt status amoris Dei, in animâ Christianâ: primus, sensualis, seu animalis; secundus rationalis: tertius spiritualis, siue, intellectualis. Finis verò libri est: Vos instate, vt viuatis (tu videlicet, & filij tui) ego tempore suo, de vnctione delitiarum vestrarum prouidebo.

Ad hæc, in eadem Dunensi Bibliotheca, *Meditationes Sancto Bernardo vulgo adscriptæ* in operibus impressis, quarum initium est; *Multi multa sciunt* &c. habentur (ad verbum) sub hoc titulo: *Tractatus vtilis, ex verbis Beati Bernardi Abbatis Claræ-vallensis & aliorum Patrum, de interiori homine, quomodò Deum inueniat.* Vndè patet, non esse Sancti Bernardi.

Sermones quoque 3. qui in codicibus impressis inscribuntur, exhortatorij ad fratres, & subijciuntur immediatè Sermoni, de Altitudine, & bassitudine cordis; extant ibidem sub inscriptione sequenti: *Sermones 3. de labore messis.* Primus incipit: Hæc est generatio. &c. 2. Pauperes quidẽ videmur. &c. 3. Labor iste, fratres, exilii & paupertatis nostræ nos admonet. &c. Extat denique in eadem Bibliothecâ nostra in codice valdè antiquo, in pergameno exarato, epistola quædam prolixa, huius tituli: *Epistola Beatissimi Bernardi Clara-vallensis Abbatis, ad specialissimum suum socium, & fratrem spiritualem*: Incipit: *Sanctus amor qui nos mutuo mentium nexu devinxit, non differt ulterius reddere, quod promittere non neglexit.* &c. Verum, licet pia sit hæc epistola, non habet stylum Bernardi.

Spiræ, ad Antiphonam, *Salve Regina* adiecit Pater Sanctus ultima verba, *O Clemens, O Pia, O Dulcis Maria.* In cuius rei memoriam, extant etiamnum in pavimento templi Cathedralis, tres circuli ænei (*prout anno 1631. ipsemet vidi*) ijsdem locis, quibus Sanctus Pater B. Virginem salutavit, cum inscriptione verborum iam memoratorum. Caniturque ibidem, in laudem eiusdem Sancti Bernardi, tale hypercatalecticum:

Nardus in Spirâ spiravit;
Sensit hoc virginea
Stans imago, salutavit
Hunc voce fæmineâ.
O quam latè tunc gustavit
Cælesti de vineâ.

Vide Guillielmum Eisegreinium, libro de scriptoribus Orthodoxis.

Præ-

Præterea, circumferuntur passim, nomine Sancti Bernardi, impressi *varij Rythmi, & hymni Sacri*; nominatim, hymnus, *Aue Maris Stella, &c.* Et alius, de vanitate mundi. *Cur mundus militat* &c. Quorum posteriorem iam etiam sub eodem nomine publicauit Bernardus Bauhusius, Societatis Iesu, vir, doctrinâ, & vitæ sanctimoniâ clarissimus, in Pergulâ spiritualis melodiæ, seu, libro spiritualium cantionum, impresso Antuerpiæ, anno 1617. Et iterum anno 1620. ibidem, apud Hieronymum Verdussen. Extatque etiam in Bibliothecâ nostrâ Dunensi, sub eodem Bernardi nomine excusus Parisijs anno 1496. (charactere antiquo) per Felicem Baligault. 10. Nouemb. Estque tamen hîc multo fusior, quam à Bauhusio, & alijs soleat referri. Vbi, specialiter notandum venit, Beatum Iacoponum, Ordinis S. Francisci Religiosum, ex eodem Rythmo, aliquando collegisse versus magis fluidos, quos frequenter decantare solebat, scriptoque alijs communicabat; atque hinc factum esse, vt ipse Author putaretur eorundem versuum. Quia autem antiqua exemplaria integri huius Rythmi, valdè rara sunt, operæ pretium duxi illum hic apponere, vnà cum 3. alijs eiusdem Argumenti Rythmis, Sancto quoque Bernardo adscriptis, in iam dicto antiquo codice impresso Bibliothecæ nostræ Dunensis.

SANCTVS BERNARDVS,

DE COMTEMPTV MVNDI.

O Miranda vanitas! O diuitiarum
Amor lamentabilis! O virus amarum!
Cur tot viros inficis, faciendo carum,
Quod transit citius quam flamma stupparum.
Homo miser, cogita; mors omnia compescit;
Quis est ab initio, qui morti non cessit?
Quando moriturus est, omnis homo nescit:
Hic qui viuit hodie, cras fortè putrescit.
Qui de morte cogitat, miror quod lætatur;
Cum sic genus hominum morti deputatur,
Quo post mortem transeat homo, nesciatur:
Vnde quidam Sapiens ita de se fatur:
Dum de morte cogito, contristor, & ploro,
Verum est quod moriar, & tempus ignoro,
Vltimum quod nescio, cui iungar choro:
Vt cum Sanctis merear iungi, Deum oro.
Cur mundus militat sub vana gloria?
Cuius prosperitas est transitoria:
Tam citò labitur eius potentia,
Quam vasa figuli, quæ sunt fragilia.
Plus fide litteris, scriptis in glacie,
Quam mundi miseri vanæ fallaciæ,
Fallax in præmijs, virtutis specie,
Qui nunquam habuit tempus fiduciæ.
Credendum magis est viris veracibus,
Quam mundi miseris prosperitatibus:
Falsis insomnijs, & vanitatibus,
Falsis in studijs, & voluptatibus.
Dic vbi Salomon, olim tam nobilis?
Vel vbi Samson est, dux inuincibilis?
Vel pulcher Absalon, vultu mirabilis?
Vel dulcis Ionathas, multum amabilis?
Quo Cæsar abijt, celsus imperio?
Vel diues splendidus, totus in prandio?
Dic, vbi Tullius, clarus eloquio?
Vel Aristoteles, summus ingenio?
Tot clari Proceres, tot retrò spatia,
Tot ora Præsulum, tot Regna fortia;
Tot mundi Principes, tantâ potentiâ,
In ictu oculi clauduntur omnia.
Quam breue festum est, hæc mundi gloria!
Vt vmbra hominis, sunt eius gaudia,
Quæ semper subtrahunt æterna præmia,
Et ducunt homines ad dura deuia.
O, esca vermium! O, massa pulueris!
O, roris vanitas, cur sic extolleris?

Ignorans penitus, vtrum cras vixeris!
Fac bonum omnibus quamdiu poteris.
Hæc carnis gloria, quæ magni penditur,
Sacris in litteris flos fœni dicitur;
Vt leuè folium, quod vento rapitur,
Sic vita hominis, luci subtrahitur.
Nil tuum dixeris, quod potes perdere,
Quod mundus tribuit, intendit rapere,
Superna cogita, cor sit in æthere,
Felix qui potuit mundum contemnere.

IDEM BERNARDUS.

Dic homo, cur abuteris
Discretionis gratia;
Cum vita viam deseris,
Et tendis ad supplicia?
Salut præfers ocia,
Et pretiosis vilia,
Nec metu pœnæ flecteris,
Nec spe salutis traheris,
Vt summa quæras gaudia.
Dic homo cur abuteris
Discretionis gratia?
Quid valet mundi gloria,
Vide, quam sic amplecteris!
Multa vides indicia
Quod scienter deciperis:
Mundum qui fugit sequeris,
Et cum labente laberis,
Sequendo transitoria.
Sic bona permanentia
Sub aure surda præteris.
Dic homo, cur abuteris
Discretionis gratia?
Certè, non excusaberis
Dissimulando talia,
Nam si sic subterfugeris,
Post restat conscientia,
Quæ non tacet latentia:
Et diuina iudicia
Declinare non poteris;
Sed, si conuictus fueris,
Patet mortis sententia.
Dic homo, cur abuteris
Discretionis gratia.
Non confidas de venia,
Si serò pœnitueris,
Dies est peremptoria;
Quam nisi tu præueneris
Fructu condigni operis,
Et reatum purgaueris,
Erit tibi miseria
Absque misericordia,
In æternum cum miseris
Dic homo, cur abuteris
Discretionis gratia?
Ergo, vide, cum veneris
In iudicis præsentiâ,
Qui tibi prout egeris
Reddet ipse stipendia:
Ne gloriosâ patriâ
Tua te priuent vitia.
Nam si mundus occureris,
Cum iustis sociaberis
In æterna lætitia.
Dic homo, cur abuteris
Discretionis gratia?

IDEM BERNARDUS.

O, Christi longanimitas,
Et longa expectatio!
O, mira Christi bonitas,
O, quanta miseratio!
O, Cordis induratio,
Et mortis festinatio!
Quid differs, cur non cogitas
Homo, quæ vitæ breuitas!
Cernat hoc meditatio,

Quid

Quid nos primò fuerimus.
O, vanitatum vanitas,
Curarum occupatio!
O, cur ambitur dignitas,
Cur opum cumulatio?
Quo tendit congregatio,
Aut quid valet cupiditas;
Est in sepulchro fœditas,
Et extra dealbatio.
Cernat hoc meditatio,
Quid nos primò fuerimus.
O, quæ mortis acerbitas,
Et quanta trepidatio!
Cum iam cogit mortalitas,
Vt fiat separatio.
Quid prodest delectatio,
Quid festiua iucunditas?
Quid nunc pro vita flagitas,
O, sera recordatio?
Cernat hoc meditatio,
Quid nos primò fuerimus.
O, Seruitus, quid cogitas.
Apparens in iudicio!
O, arguens crudelitas
Hostis, & accusatio!
O, dolor & confusio!
O horror! ô, obscuritas!
O, pœnarum æternitas,
Et ignis conflagratio!
Cernat hoc meditatio,
Quid nos primo fuerimus.
O, homo, cur non festinas
Vt detur tibi mansio,
Qua felix immortalitas,
Et nulla trepidatio:
Sed, perpes exultatio,
Et Sanctorum societas,
Ac permanens felicitas,
Et læta Dei visio.
Cernat hoc meditatio,
Quid nos primò fuerimus.

IDEM BERNARDUS.

Cum sit omnis homo fœnum.
Et post fœnum fiat cœnum,
Vt quid homo extolleris?
Cerne, quid es, & quid eris?
Modò flos es, & verteris
In fauillam cineris.
Per ætatum incrementa,
Imò magis detrimenta,
Ad non esse traheris.
Velut vmbra, cum declinat,
Vita surgit, & festinat,
Claudit meta funeris.
Homo dictus es ab humo,
Citò transis, quia fumo
Similis efficeris.
Nunquam in eodem statu
Permanes, dum sub rotatu
Huius vitæ volueris.
O, sors grauis! ô sors dura!
O, lex dira, quam natura
Promulgauit miseris?
Homo nascens cum mœrore,
Vitam ducis cum labore,
Et cum metu mœreris.
Ergo, si scis qualitatem
Tuæ sortis, voluptatem
Carnis quare sequeris?
Memento te moriturum,
Et post mortem id messurum,
Quod hic seminaueris.
Terram teris, terram geris,
Et in terram reuerteris,
Qui de terrâ sumeris!
Cerne, quid es, & quid eris,
Modo flos es, & verteris
In fauillam cineris.

FINIS.

Bartholo-

Barrholomæus Gauantus in Thesauro sacrorum rituum, Antuerpiæ anno 1634. edito, plures alios Rythmos Sanctissimo Patri nostri Bernardo adscribit, aut saltem, ab alijs adscribi refert, quod tametsi iudicem (non omnes saltem) ab eodem S. Patre compositos, referam nihilominus ipsius Gauanti verba, iudicium prudentibus Lectoribus relinquens. 1.° itaque, tom. 2. sec. 5. cap. 6. sic ait: Hymnus, *Aue Maris stella, Sancto Bernardo tribuitur à Costero.* 2. ibidem fol. 70. *Amor Iesu dulcissime, Sancto Bernardo tribuit Michael Timotheus. In Breuiario non fuit in usu antè annum* 1550. 3. ibidem, col. 2. *hymnum, Quicunque Christum quæritis, Prudentio quidem tribuit Timotheus, sed nota Marginalis in aliâ editione, tribuit Sancto Bernardo. Non ante annum* 1550 *fuit in Breuiario.* Item tom. 1. parte 4. tit. 18. n. 5. fol. 300. *Sanctus Bernardus pijs commentarijs antiphonam* Salue Reginâ, *illustrauit, quæ habentur in operam eius tomo 2. & eandem auxit vltimis ijs verbis:* O clemens, ô Eia, ô dulcis virgo Maria, *vt habetur in lib.* 12. *Chronic. de Vrbe Spirensi.*

Quis Author sequentiæ quæ legitur in Missis defunctorum, Dies iræ, &c. *Ex Authore ligni vitæ, lib.* 1. *cap.* 70. *Sanctus Gregorius est. Ex Stephano Proyslbinio, lib. 1. de 4. Nouissimis, cap. 5. Sanctus Bernardus, cuius initium est, inquit ille:*

Cum recordor moriturus
Quid post mortem sim futurus,
Terror terret me venturus,
Quem expecto non securus.

Terret dies me terroris
Dies iræ ac furoris,
Dies luctus ac mæroris,
Dies vltrix peccatoris.

Dies iræ, dies illa, &c.

At, hi quaterni sunt versus, reliqui terni. Sed Bzouius, anno 1294. n. 37. & 38. ex Leandro Alberto, eam tribuit, Latino Cardinali Vrsino, seu, Frangipanio, & idem est. Et infra: *Cui ego credam nescio. mentio Sybillæ in 3. versu, indicat recentiorem esse hanc Prosam Sancto Gregorio, qui in suo Sacramentorum libro, nihil prorsus gentilitatis habet.* huc vsque Gauantus,

Finaliter, circa Opera Sācti Bernardi notandum duxi, ex Philippo Labbeo, suprà, Supplemento 5. declamationem de verbis Euangelij, *Ecce nos reliquimus omnia. &c.* quæ in impressis hactenus continuo sermonis ductu procedit, in antiquo codice M.SS. Naudæano, Parisijs, in sexaginta diuidi capita, suis instructa titulis, hoc lemmate: *Liber de colloquio Symonis ad Iesum, missus Henrico Romanæ Ecclesiæ Subdiacono, qui postea Monachus factus est apud Monasterium Sancti Anastasij de Vrbe.*

Atque hæc de operibus Sanctissimi Patris nostri Bernardi, quæ studiosâ inquisitione assequi potui, *Quæ nuper etiam anno 16 2. prodierunt Parisijs, omnia ferè iunctim in gallicā linguam translata*, typis Michaelis Sollij. Proindè, narrationem concludam, insigni Encomio, quo tam ipsum Authorem, quam Opera ipsius commendat, doctissimus Hippolytus Maraccius in Bibliothecâ Marianâ, pag. 227. & sequent. Bernardus, *Orthodoxorum Mellifluus Doctor, Ecclesiæ Catholicæ ornamentum, simul & fulcimentum, totius decoris & sanctitatis lucidissimus Sol: Sedis Apostolicæ contra Schismaticos & hereticos firmissima columna, potens opere & sermone, à Deo missus Apostolus. Ordinis sui summum decus, summa gloria, summa felicitas à vindicata Sedis Apostolicæ libertate, asserta unitate ecclesiæ, Galliâ sanctitate repletâ, Orbe christiano signis admirabilibus, scriptisque pijssimis, eruditissimis, imo planè cœlestibus ac diuinis illustrato fundatis centum sexaginta Ordinis sui monasterijs, alijsque incredibilibus diuinè prorsus patratis, æternum prædicandis, in laudem Beatissimæ Virginis Mariæ, cuius fuit tubarius a, Sacellanus, Alumnus, Actuarius, Cultor, Incomiastesque præcipuus, Mellifluos tractatus plures nobilissimo ac deuotissimo stylo composuit, dignosque omninò vt ab*

omni

omni posteritate legantur, amentur, adorentur,

Obijt hic Sanctissimus Pater, & mellifluus Catholicæ Ecclesiæ Doctor, in suâ Clarâ-valle, Anno Domini 1153. Ætatis verò 63. Vitam eius plures scripserunt, tam metro, quam oratione solutâ, quos suis locis in hac Bibliothecâ recensebimus; & videri possunt iunctim apud Angelum Manriquez tomo 2. Annalium, suprà ad annum 1153. c. 11. Seruantur etiam (teste Miræo, in Chronico Cisterciensi) in Monasterio Sacri Portus, id est, de Barbello, haud procul à Meloduno, libri 3. nondum editi, de miraculis à viro Dei in Germania & Belgio patratis; de quibus etiam agit Angelus Manriquez, loco citato, asserens, illos libros à 3. diuersis esse conscriptos; primum, à Philippo Claræ vallensi; secundum ab Eberardo Monacho; & tertiùm à quodam Godefrido. Id quod etiam confirmat Seguinus in sua Bibliotheca. Hos eosdem libros, anno 1631. vidi in Bibliotheca Veteris Campi, Diœcesis Coloniensis. Extant iam etiam ex maiori parte impressi cum operibus Sancti Bernardi, editionis Antuerpiensis, vt supra vidimus.

Iacobus Merlonus, suprà etiam relatus, operibus Sancti Bernardi à se recognitis, & anno 1641. editis, adiunxit.

1. Tractatum de vita & gestis eiusdem Patris; illum ipsum nimirum, qui habetur in exordio Ordinis Cisterciensis.

2. Plurima illustrium virorum de Sancto Bernardo, eiusque scriptis, Elogia, & testimonia.

3. Spongiam malorum, & superstitiosorum operum, nec non, & errorum, quos Sancto Bernardo adfricant, & affingunt centuriatores Magdeburgenses.

4. Parænesim ad sectarios, de Sancto Bernardo cum fructu ab ipsis legendo. In fine autem eiusdem Parænesis, dicit, extare *Confessionem Bernardinam*, cor inentem plura loca doctrinæ Catholicæ, quæ iam in certas classes digesserit R. P. Theodorus Petreius Carthusianus Coloniensis. De hac confessione, vide etiam ad calcem Bibliothecæ Carthusianæ, inter opera Theodorij Petræij.

5. Chronologiam vitæ, & scriptorum B. Bernardi.

6. In annotationibus ad epistolam 14. Sancti Bernardi perelegantem digressionem facit ipse Merlonus, de commendis, & commendatarijs.

Bernardus Alphonsus, Superatensis monachus, scripsit, *Acuta & grauia Commentaria in Cantica Canticorum, in sensu litterali & morali*: Item vulgari, seu Hispano idiomate, *Tomũ alium de Peregrinatione, & Prædicatione S. Iacobi in Hispania*. Denique *Volumen 3. de Immunitate Ecclesiarum*. Quod opus viris doctissimis summè probatur, tametsi idiomate etiam Hispano conscriptum sit. Quæ omnia defectu mediorum seu sumptuum, author nondum publici iuris facere potuit, sperantur tamen opera cuiusdam Patroni, breui lucem visura. Viuit adhuc Author hoc anno 1649.

Bernardus Brittus, Regalis Cœnobij de Alcobacia, in Regno Lusitaniæ, Religiosus, Ordinis nostri (suo tempore) decus singulare; vir fuit ingenij summi, memoriæ firmissimæ, studijque continui, & infatigabilis: quem nemo laboribus fractum, aut studijs fatigatum vidit. A prima ætate (non sine virorum Doctorum admiratione) ita se studij immersit, vt summum in Philosophicis, & Theologicis scientijs, culmen apprehenderis; adeò vt nihil in ijs tam abstrusum, aut difficilè reputaretur, cuius intelligentiam non perfectè assequeretur. Cum autem præ cæteris scientijs, se historiæ, & antiquitatum sedulæ inuestigationi applicare videretur, Philippus III. Hispaniarum, & Lusitaniæ Rex, nominis

nominis eius claritate excitus. *Archihistoriographi Regij titulo illum honorans.* Lusitanici Regni historiam iniunxit. Quam sibi demandatam Prouinciam, tantâ felicitate ornauit, & promouit, vt omnibus rerum Lusitanarum peritis admirabilem se reddiderit, conscriptis, titulo

Monarchia Lusitana, tribus egregiis tomis in folio, Olissiponæ excusis, apud Petrum Crasbeeck, annis Domini, 1594. & 1605.

Edidit & *Effigies Regum Lusitaniæ*, cum annotationibus, in 8.

Scripsit etiam ad petitionem Superiorum Ordinis nostri (qui in generali Capitulo, anno 1597. celebrato, titulum historiographi Ordinis illi indulserant) linguâ vulgari, *Historiam Cistercienſem, sex libris distinctam*, excusam Olissiponæ, in folio, apud Crasbeeck anno 1602.

Commentaria insuper edidit, in Michæam Prophetam. Et plura alia. Quæ omnia se vidisse excusa, testatur Reuerendissimus Angelus Manriquez apud Henriquez in Phœnice. Et iterum confirmat in serie Abbatum Alcobaciensium, subiunctâ tomo 2. Annalium Cisterciensium.

Obijt hic Bernardus, anno 1617.

Bernardus Escuderus, Monasterij Vallis Bonæ extra vrbem Vallisoletanam, Monachus, pietati, rerumque diuinarum contemplationi impensè addictus, mirè se omnibus amabilē reddidit; maximè, cum nec litterarum scientia, nec humanarum rerum cognitio, neque denique in temporalium functionum administratione industria, deessent; adeò vt, concordantibus votis, in Abbatem Monasterij sui electus fuerit. In quo munere, laudabiliter se gessit. Sciens autem quanti momenti sit, exacta nouitiorum in pietate institutio, scripsit.

Meditationum ad nouitios, librum insignem, impressum Vallisoleti, anno 1602.

Obijt circa annum Domini, 1608. Henriquez in Phœnice. Qui etiam illum adscripsit Menologio suo, 13. Octobris; asserens, se habere penes se vitam eius manuscriptam.

Bernardus Gutierrez, Iuris vtriusque Doctor celebris, ante Religionis ingressum, at longè celebrior redditus, cum relicto sæculo, & Religionem in Hortensi Cœnobio professus, Iurisprudentiæ solidam adiunxit pietatem, honorumque omnium ac dignitatum contemptum. Romam missus, cum titulo Procuratoris Generalis obseruantiæ Regularis Hispaniæ, virtute, eruditione, morumque integritate, intimos sibi conciliauit affectus, tam Summi Pontificis, quā S. R. E. Cardinalium. Quo factum fuit, vt intra tempus 17. Annorum, quibus Romæ egit, præclara, & rarissima Congregationi suæ impetrauerit priuilegia. In Hispaniam postmodum reuersus, Visitatoris Generalis mox munus accepit; cui cum sedulò vacaret, in Monasterio Nocalensi infirmitate correptus, finem vitæ fecit, anno 1607. Varia reliquit doctrinæ suæ monumenta, ex quibus sunt,

Compendium Priuilegiorum Ordinis Cisterc. quod eruditis annotationibus illustrauit: impressum Romæ, anno 1588. Doctissimus Manriquez, in serie Abbatum Hortensium, ad calcem tomi 2. Annal. Cisterc. Compendium hoc vocat aureum.

De Priuilegijs omnium Ordinum Tomus in folio. Cuius tamen vulgationem, mors immaturè superueniens, impediuit. Opus est vastum, & prorsus excellens, tractans de Priuilegijs in genere, & in specie. Henriquez in Phœnice.

Bernardus Lopezius, Hortensis Monasterij, in Hispania, Monachus, vir acri, & viuaci ingenio excellens, diuinarum æquè ac humanarum litterarum peritissimus. Cui nulla in hisce inferioribus delectatio, nisi in libris euoluendis, ex quibus ingentem & rarissimum doctrinæ thesaurum sibi comparauit, quem cōcionando, & scribendo, liberali manu, proximis suis erogauit,

pit. Scripsit *Theatrum Christi, & Ecclesiæ, libris 3. distinctum*, editum Madriti, apud viduam Alfonsi Martinez, anno 161;. Vbi de Christo, & varijs Ecclesiæ triumphantis agit. Scripsit quoque *Sermones in præcipuis festis B. Virginis*, anno 1614. Madriti impressos, teste *Hippolyto Maraccio*, qui earum respectu, hunc adscripsit Bibliothecæ suæ Mariana, anno 1648. Romæ impressæ. Viuebat adhuc Bernardus anno 1626. dum Phænicem publicaret Henriquez, qui pariter testatur illum *plura alia scripsisse, quæ ipse speret breui lucem visura*. Credo tamen nondum esse impressa, eo quod inter ea quæ Hispanijs ad me missa sunt, nulla horum fiat mentio.

Bernardus Cling, Abbas *Clari campi* in Frisiâ, scripsit *Commentaria super quatuor libros Sententiarum*, quæ solebant asseruari in *Campo florido*, teste Bundero in Iudice M.SS. Belgij.

Bernardus de Montgaillard, Abbas Aureæ vallis, in Ducatu Luxemburgico, S. Theol. Doctor illuminatus, illustri, apud Vascones, *Persinorum* familiâ procreatus, iugum Domini sub Cisterciensi strictissimâ reformatione, in Fuliensi Cœnobio, iuuenis amplexus; anno ætatis 18. Eum Henrici III. Francorum Regis Concionatorem ordinarium, Gallia tota obstupuit. Abbatias plurimas, ac duos etiam Episcopatus, Apamiensem & Andegauensem, humiliter recusauit. Romam, tempore Clementis VIII. Papæ missus, authoritate eiusdem Pontificis, à Congregatione Fuliensi auulsus, & in Belgium directus fuit; vbi, lustris ferè septem, eum Serenissimorum Archiducum Alberti & Isabellæ aula Regia, maximo applausu, Ecclesiasten coluit, & ab ore eius pependit. Quorum pijssimorum Principum iussu, Nizellensis Abbatiæ, per triennium, & postmodum Aureæ-vallis (primarij per vniuersam Belgicam Monasterij) Abbas, annos supra viginti tres; vtriusque, sed huius præcipuè, in vtroque statu, non tam instaurator, quam de nouo Fundator, iure merito dici potest. *Vir fuit præclarissimis animi & ingenij dotibus ornatus, omni scientiarum genere instructissimus, spirituum discretione mirabilis, hæreseos & vitiorum oppugnator acerrimus, & Catholicæ Religionis assertor inuictus*. Qui etiam à Serenissimâ Infante Isabella, præ cæteris omnibus electus fuit, qui in funerali pompâ, Episcoporum, Abbatum, ac Nobilium Belgij generali Conuentu celebratâ, *Oratione funebri, sacris Alberti pijssimi Principis manibus parentauit*: Quæ oratio tantæ fuit elegantiæ, vt eam posteà, dicta Serenissima Infans, typis mandari curauerit; extatque, sub titulo: *Solis Ecclipsati*, Gallicè. Legitur & eiusdem (apud Arnoldum de Raisse in Auctario ad Molanum) *Narratio, de translatione Reliquiarum Sancti Mennæ Martyris, ad Aureæ-vallense Monasterium.*

Scripsit & iussu Alberti Archiducis. *Orationes funebres, Rudolphi, & Mathiæ Imperatorum, Ernesti Archiducis, & augustissimæ Matris illorum, Imperatricis.* Quæ tamen omnia ipsemet suppressit, nec aliquid vnquam publicari permisit.

Habebat quoque ingentia volumina Orationum, & Sermonum, de omni materiâ, planè mellifluorum; quæ pariter, humilitatis amator (exemplo Sancti Guerrici Igniacensis Abbatis) antè obitum suum, in ignem coniecit. Quam iacturam præstantissimi Ecclesiæ Prælati, alijque doctissimi viri, multum deplorarunt.

Habeo tamen adhuc penes me, *Libellum elegantem constitutionum Regularium*, quas pro Monasterij sui reformatione condidit, & à Religiosis obseruari curauit, non sine fructu eximio.

Philippus Seguinus Caroli loci Religiosus, in libello suo, de scriptoribus Cisterciensibus, huius viri mentionem faciens, scribit illum anno 1590. fuisse Præfectum, seu Decanum Cœ-

nobij Fulienſium in ſuburbijs Sancti Honorati Pariſijs; virum omnium diſciplinarum ſcientiâ præditum &c. Et ſcripſiſſe vernaculo ſermone (circa annum 1588.) *prolixam quandam Epiſtolam* (quæ tractatus vocari poſſet) *eleganti ac abſolutâ verborum cultura elaboratam, ad Henricum III. Gallorum Regem*, quâ reſpondet litteris Henrici Regis, quibus illum inſimulauerat ingratitudinis, quod partes ſuas haud teneret (cum tamen maximis eum beneficijs cumulaſſet) quodque in concionibus ſuis, varios & ſiniſtros rumores de eo ſpargeret, &c. his querimonijs, poſtquam in dictâ Epiſtolâ doctiſſimè ſatisfecit Bernardus, Henricum Regem ſuauiter obiurgat, ob grauiſſima ſua ſcelera in Deum, Eccleſiaſticos Prælatos, aliosque Chriſtianos Principes, nobiles, & populares commiſſa. Propter quæ, impoſſibile ipſi eſſe docet, Deum placare, niſi illorum ſibi animos reconciliet, & ad viam ſalutis, per pœnitentiam ſalutarem reuertatur; ad quam amplectendam, multis argumētis, & varijs exemplis eum inuitat. Hæc Seguinus. Qui etiam teſtatur, Epiſtolam hanc, anno Domini 1589. fuiſſe impreſſam Pariſijs, apud Nicolaum Niuellium, & Robinum Vitry, & propter recenſita, continere plura alia lectu digniſſima. Cæterum, obijt Bernardus, non ſine ſummâ ſanctitatis opinione, anno 1628. 8. Iunij, ſepultuſque fuit in Aureâ-valle, antè gradus dormitorij, intra templum (prout ordinauerat) cum ſequenti Epitaphio, quod ſibi ipſi antè obitum deſcripſerat, atque illo intuitu, hic appoſitum:

D. O. M.

Viri magni, probi, boni,
Chari Patres, filij, fratres,
Accedentes, diſcedentes, adſcendentes, deſcendentes,
Videte, legite, audite, exaudite:
Hic iacet veſter Bernardus,
Cui vos dilecti, qui vobis dilectus,
Miſer, & miſerabilis,
Miſericordiam Domini, & veſtram
Expetens, exoptans, expectans.
Eia! heu! Eia!
Eſtote miſericordes.
Memores eſtote iudicij mei;
Sic enim erit & veſtrum:
Heri mihi, & vobis hodiè.
Hæc Chariſsimi, hæc perpendite.

E T,

Mihi miſero preces pendite.
Abite, Sancti eſtote, & valete.
Expecto donec veniat immutatio mea.
Frater Bernardus de Montgaillard;
Huius Eccleſia Abbas 39. viuendo moriens,
Et, moriendo viuens, ſibi poſuit.

Exequiæ ipſius incredibili populi concurſu, adſtantibus multis Proceribus, & diuerſarum Religionum Prælatis, per tres continuos dies, celebratæ fuerunt. Quibus diebus, tres doctiſſimas orationes habuit Reuerendus admodum Dominus, D. Andreas Valadier, Abbas S. Arnulphi Metenſis, Concionator, ac Orator celeberrimus; quæ ſimul extant impreſſæ Luxemburgi, apud Hubertum Reulandum, titulo ſequenti: *Les ſainctes Montagnes, & Collines, d'Orual, & de Clarivaux*, &c.

Bernardus (Alijs Renaudus, vel Arnoldus) *Abbas Morimundenſis*, ſcripſit *vitam S. Clodeſindæ*, quæ habetur in Surio 25. Iulij. Barnabas de Montalbo, Chronic. part. 1. l. 2. cap. 32. vide vide etiam Molanum, eodem die; vbi fatetur plures codices habere Authorem vitæ huius quendam Bernardum Abbatem, licet non nominet Monaſterium iſtius Abbatis. Scripſit & conſtitutiones aliquas pro militibus Calatrauæ, quæ leguntur in Bibliothecâ Regiâ S. Laurentij, in Hiſpaniâ.

Adhunc Renaudum, extat in Monasterio nostro de Dunis, insignis quædam epistola doctrinalis cuiusdem Eremitæ classe 1. nu. 76. Floruit [illegible] vero 1341.

Ber[illegible], Hortensis Monasterij Re[illegible] vrbe Hispalensi, summo[illegible] fecundâ matre, à quibus hic [illegible]rans, editis diuersis egregijs [illegible] excellentis ingenij sui acumen satis [illegible] namque, *Quadragesimalium Concionum tom. vnum*, Burgis impressum, in 4°. anno 1616. apud Ioannem Baresium.

Concionum Quadragesimalium tomum alterum, Vallisoleti, apud Hieronymum Murillum, anno 1620. excusum.

Apologeticum Tractatum, pro S. Bernardo, circa opinionem de Beatitudine, seu visione animarum, ante vniuersalem Resurrectionem.

Iacobi testamentum, continens nouas & eruditas expositiones 12. Prophetiarum, quas protulit Iacob Patriarcha, dum moriens, filijs valediceret. Prodijt Hispali, anno 1624. Quo in opere, citat.

Commentaria à se elaborata, in tota ferè Biblia; breui (vt creditur) vulganda. Author à paucis adhuc annis in viuis erat.

Henriquez in Phœnice.

Bernardus de Stanisuilla (forte Canisvilla, quæ est familia nobilis in Flandriâ) Religiosus Alnensis, in ditione Leodiensi, concinnauit *Bullarium magnum, continens Priuilegia Ordinis Cisterc. ab anno* 1098. *vsque ad annum* 1623. scripsit & *alia quædam opuscula historica*. Quæ omnia M.S. asseruantur in Monasterio Alnensi.

Catalogus Bibliothecæ M.S. eiusdem Cœnobij, apud Sanderum, tom. 2. Bibliothecæ M.S. Belgicæ.

Bernardus Vasquezius. Nucalensis Cœnobij in Hispaniâ Religiosus, pietati eruditionem, eruditioni discretionem, & prudentiam iunxit: quibus & Deo, & Ordinis Superioribus se gratum, amabilem, ac perutilem reddidit. Hinc, Monasterij sui constitutus Abbas, omnium de se expectationi abundè satisfecit. Plura illum scripsisse testatur Montalbus, in Chronicis suis; ex quibus tamen, non nisi vnum recenset librum, cui titulus:

Senectus Iuuentutis. Vide Heriquez in Phœnice.

Bernardus de Villalpando, eiusdem Nucalensis Monasterij alumnus; Ordinis Cisterciensis lumen fulgidum; vir fuit doctrina, pietate, ordinisque zelo, conspicuus; qui, (de Superiorum Licentia) à Venerabili Fiteriensi Abbate, Ignatio Firmino (ex eodem Nucalensi Cœnobio pariter assumpto) in Gallias directus, vt indè, quidquid ad Ordinis illustrationem spectare videretur offenderet, sedulò colligeret: amplissimum illud Regnum, non sine grauissimis molestijs & periculis, perambulans, celebriora quæque Ordinis Monasteria visitauit, eorumque antiqua monumenta studiosè euoluens, plurima sanè collegit, quæ non sine ingenti Ordinis damno, & iniuria, tamdiu latuerant. Ex quibus postmodum in ordinem redactis, & dispositis, conflauit sequentia:

Itinerarium Ordinis Cisterciensis, Lib. 1.

In quo, quæcunque rara, vel admiranda, quæ in Monasterijs Ordinis nostri, dum Gallias peragraret, animaduerterat, descripsit:

Lignum vitæ Ord. Cisterc. Seu, *de viris illustribus Ordinis Cisterciensis. Librum vnum.*

Historiam insuper Monasterij Supiratensis, in Regno Galetia, posteà etiam conscripsit. *Et plura alia*, (teste Henriquez) quæ ad notitiam nostrã nondum deuenerunt, In viuis adhuc erat, dum Henriquez Phœnicem publicaret, anno 1626.

Bernoldus, *Cisterciensis* Ordinis Monachus; vir, singulari eruditione & pietate plurimum commendabilis, edidit Librum, quem prænotatit: *Distinctiones temporum*. Vixit anno 1314. Citatur

tur à Ioanne Garetio, libro de verâ præsentia corporis Christi in Sacramento Eucharistiæ, classe 1. vti etiam à Seguino, in Bibliothecâ Cisterc. Qui tamen non referunt, cuius Monasterij fuerit Religiosus.

Bertramus, Cœnobij de Cerreto Monachus, vir in divinis literis eruditus, & in artibus humanioribus nobiliter doctus, & sanctitate conspicuus, *Revelationes varias, quas à Deo accepit, literis mandavit, & in volumen redegit.* Fertur & alia quędam scripsisse opuscula, quæ tamen nondum prodierunt.

Philippus Seguinus in Bibliotheca, seu libello, de scriptoribus Ordinis nostri, vbi etiam asserit, Masseum lib. 3. Chronicorum, huius quoque Bertrami meminisse.

Bertrandus, Pontiguiacensis Religiosus, vir doctus & eloquens, scripsit anno Domini 1247. (iubente Ioanne Abbate suo) *historiam insignem, de vita & miraculis Sancti Edmundi Archiepiscopi Cantuariensis*, quæ manuscripta reperiūtur in Caroli loco. Ex hac historiâ desumptæ sunt Lectiones, quæ (authoritate Capituli Generalis) in omnibus Abbatiis lineæ Pontigniacensis leguntur, in officio divino, de eodem sancto. Philippus Seguinus, suprà qui addit, hunc Bertrandum *composuisse quoque, Antiphonas, cæteraque omnia, quæ in dicto officio toto die leguntur, aut cantantur; etiam hymnos*, prout modo extant in Breviarijs nostris.

Bertrandus Thißier siue, Textor (utroque enim modo seipsum cognominat) Prior Boni Fontis in Therascia, iuxta Rupem Regiam, Procroij. SS. Theol. Doctor Mussipontanus, scripsit, *Assertiones Theologicas, utilißimas, quibus universa quæ ad sacram Doctrinam, seu Theologiam spectant, explicantur, ac probantur, & obiectiones solvuntur.* Impressæ fuerant anno 1647. Carolopoli, apud Gedeonem Poncelet, Serenissimi Ducis Mantuæ, Typographum, in foro Ducali, ad palatium. Dedicatum est opus R.mo Domino Claudio Vaussin, Abbati Cistercij moderno. Porro, universum opus divisum est in 5. Tractatus.

In 1. Agitur, *de Deo uno ac trino.*

In 2. *De Christo, Deiparâ, & Angelis.*

In 3. *De Principijs ac regulis humanorum actuum, libero arbitrio, concursu, & gratia Dei, ac legibus, &, de virtutibus & peccatis generatim.*

In 4. *De Virtutibus speciatim. id est Fide, Spe, Charitate, Religione (ubi & de statu Religioso) Iustitiâ, &c. ac peccatis oppositis.*

In 5. *De Sacramentis in genere & in specie.*

Scripsit præterea, & etiam edidit *Disputationem Theologicam in Ianseniana dogmata*, impressam anno 1651. Caropoli, ubi supra disputationi huic adiecit *duos Appendices*, primum, contra doctrinam *Ranutii Gigatis* (sive) *Ignatij Huartii* Religiosi Alnensis, Ordinis nostri, qui seipsum nomine anagrammatico, sic appellat, in Commentario suo ad librum Sancti Bernardi de gratiâ & libero arbitrio) ubi Sanctum Patrem in Ianseni sententiam pertrahere conatur, acriter carpens Cistercienses omnes qui contrarium docent. Verum, hunc Ranutium benè retundit, hic noster Bertrandus Prior Boni fontis.

Appendix 2dùs, arguit Authorem quendam qui sub ficto etiam nomine, libellum quendam ediderat, de Gratiâ victrice, in quo Ianseñij defendens doctrinam, contrariam tenentes, per contemptum, molinistas nominans, eos satis inciviliter perstringit. Qui tamen hic etiam breviter quidem, sed nervosè refutatur.

Porrò, ediderat adhuc ante, *librum Controversiarum fidei, contra nostri temporis hereticos.* Prout mihi retulit Eximius D. Iosephus Arnolfini,

Arnolfini, S. Theol Doctor Sorbonicus, Strictioris obseruantiæ Ordinis nostri Religiosus, in Relatione M. S. quam anno 1647. ad me misit.

Boynus Abbas Ordinis Cisterciensis, Scripsit, *super 4. or Libros Sententiarum*, quorum initium est: Liber de gubernatione Dei & hominum &c. seruabantur in Campo florido, tempore Bunderij. Index libb. M.SS. suprà citatus.

Bonauentura V'Vaufrey, Religiosus Alnensis edidit anno 1633. Gallicè, *Vitam Beata Humbelina, Sororis Germana Sancti Bernardi, & sanctimonialis Ordinis Cisterc.* Unà cum *constitutionibus, quas adhuc obseruant Moniales eiusdem Ordinis reformata, per Hispaniam*. Louanij, apud Ioannem Oliuerium, in 8o.

Bonavallis Monasterium est Ordinis nostri, in Delphinatu, Diœcesis Viennensis. Huius Monasterij *Religiosus Anonymus*, ad instantiam Burnonis de Boirone, Prioris sui scripsit *Vitam B. Amedei, Domini Altæ Ripa*, Conradi Imperatoris pronepotis, & posteà Monachi Bonævallis. Extat in Bonâ-valle, & apud Manriquez, vt ipsemet testatur to. 1. Annalium, ad annum. 1119. Erat hic Amedæus, Pater B. Amedæi Episcopi Lausannensis, de quo suprà.

Eiusdem Monasterij Religiosus Anonymus alius, scripsit volumen magnum, 26. capitibus distinctum, de vitâ, & miraculis Beati Ioannis Abbatis Bonæ-vallis, & posteà Valentinensis Episcopi. Seruatur in Bonâ valle, sed truncatis aliquot prioribus capitibus.

Bonifacius Simoneta, natione Italus, patriâ Mediolanensis, Abbas Monasterij Sancti Stephani de Cornu, Ordinis Cisterciensis, in Diœcesi Cremonensi (aliàs, Placentinâ) genere nobilis, sed virtute præstantior, Theologus & Philosophus celeberrimus, & in diuinarum scripturarum lectione assiduus, nec non & antiquitatum rerum Ecclesiasticarum callentissimus, scripsit *Commentarios in persecutionum Christianarum, Pontificumque historiam, à Sancto Petro, vsque ad Innocentium 8.* 6. libris distinctum. Opus est rarum, & curiosum, impressum 1. Mediolani, anno 1492. apud M. Antonium Zarotum, Parmenium; teste Posseuino. Postmodum verò iterum 1509. Basileæ, typis Nicolai Kesler, dicatum Carolo VIII. Francorum Regi. Cuius editionis exemplar vidi in Bibliothecâ Baudelociâ, Gandaui. Prodijt & alibi, in Germaniâ opera Hieronymi Ducalis, qui illud dedicauit Martino Abbati Veteris Cellæ, in Misniâ. Extat & M. S. in diuersis Bibliothecis. Author Bibliothecæ Pontificiæ testatur se illud vidisse Citerci. Carolus Emanuel Maldura, S. Theol. Prof. flor in Cœnobio Sanctæ Crucis in Hierusalem, Romæ, in relatione anno 1647. ex vrbe ad me missâ, scribit, illud quoque asseruari M.S. in Cœnobio Aquæ frigidæ, iuxta Lacum Latium in Italiâ. Vt autem Lector melius cognoscat, quidnam specialiter toto hoc opere contineatur, exhibebo hîc totum frontispiciū, editionis Basileensis: *Bonifacij Symoneta diui Ordinis Cisterciensis, cornu Abbatis, viri vndequaque doctissimi, de Christiana fidei, & Romanorum Pontificum persecutionibus, opus penè diuinum, & inæstimabile, in quo sparsim habentur hæc infra scripta:*

Primo, Oratio Theologica ad Deum Opt. Max. pro felici huius operis auspicio. Epistola dedicatoria ad Carolum. 8. Francorum Regem, vbi plura de Galliarum moribus & gestis, deque officio boni principis disputat.

Alia epistola dedicatoria: in quibus multa ex Philosophia penetralibus, de antiquorum portentis & miraculis depromit.

Orationes tres, in quibus comparantur tres principales totius Orbis secta; quarum 1. habet Christi vitam, & fides nostra præstantiam. 2. Moysis instituta & mirabilia. 3. Mahometi vitam, & legum eius deliramenta,

Vita,

Vita & mores omnium Romanorum Pontificum, & quo in statu sub quolibet, Respublica Christiana fluctuaverit.

Epistola CCLXXIX, quarum qualibet, in se continet.

1. *Historiam aliquam remotiorem, ex Græcis vel Latinis scriptoribus.*

2. *Membrum, vel partem aliquam in humano corpore, morbosque eius, & remedia, à vertice usque ad plantam pedis.*

3. *Locorum eorum ex Cosmographia descriptionem, quibus in epistolis utitur.*

4. *Vt plurimum, secretum aliquod ex magia naturali.*

In ultimo vero libro Astronomia, Chyromantia, & Physionomia mathemata, & experimenta docentur, minime vulgaria.

Est etiam insertum, Breviarium Dulcinii Presbyteri, super singulis tum epistolis, tum aliis capitulis.

Item, Regesta duo secundum ordinem alphabeti, quorum alterum, Nomenclaturam Pontificum: Alterum verò totius operis materiam filiatim & absque negotio insinuat. Hæc omnia in frontispicio.

Cæterum, Reuerendissimus Caramuel, in Theologia Regulari lib 1. dist.34.n.340. huius Authoris mentionem faciens, affirmat, illum in scientiâ naturali ita excelluisse, ut omnes debeant ei fasces submittere. Floruit autem anno 1490. Fuitque nepos ex fratre Ioannis Simonetæ, qui scripsit libros 3. de rebus gestis Francisci Sfortiæ, Ducis Mediolanensis. Vide etiam auctarium Auberti Miræi, de scriptoribus Ecclesiasticis, cap.528. Seguinum, in Bibliothecâ, & Symonem Carpentarium, Parisiensem, in Epistola liminari, libri 1. Epistolarum Dathi. An verò præter hæc aliud quidpiam scripserit, nondum comperi.

Opus tamen memoratum Bonifacij, *de persecutionibus*, translatum etiam est in linguam gallicam, per Octavianum de S. Gellais, Episcopum Angolismensem, & Parisiis impressum, hoc titulo: *La persecution de L'eglise, & des Souverains Euesques, translate per Octavian de S. Gelais,* & c. in 4. Extat huius editionis exemplar in Bibliotheca Regiâ Parisiis, impressione antiquâ in pergameno, teste L'abbeo, in Supplemento 9. n. 129.

Brando. Vide infra Ioannes Brando.

Buchardus, Abbas Balerna, & posteà, Bella-vallis, in Comitatu Burgundiæ, scripsit *Caput 14. & ultimum libri 4. vita Sancti Bernardi,* conscripti à Guillielmo Sancti Theodorici: quod caput recté dici posset, *Præfatio ad dictum librum.* Extat etiam eius *Epistola ad Nicolaum Monachum* (posteà Sancti Bernardi notarium) dum relicto Ordine Cluniacensi, Claram-vallem intrare deliberaret. Ex quibus opusculis, patent eius doctrina, & acre ingenium.

Scripsit & alia quædam, de quibus Sanctus Bernardus, epistola 146. (quam ad illum scripsit) tale perhibet testimonium. Ignitum eloquium tuum vehementer, & ignitum illo igne, quē Dominus misit in terrā; Legi illud, & concaluit cor meū intra me. Benedixi illi fornaci ex qua huiusmodi scintillæ evolassent. Nonne cor tuum ardens erat, dum illa dictabas? Bonus homo, de bono thesauro suo profert bona. Si laboravi in te, uti tu humiliter memoras, non me piget &c. Huius Buchardi opuscula plura recensent antiqui Catalogi librorum Abbatiæ Balernensis, ut scribit Iongelinus in notitijs suis. Ego tamen Catalogos hos assequi non potui.

Buellienfis Monasterij in Hybernia, Monachus Anonymus, appendicem adiecit Annalibus rerum Connacensium, usque ad annum 1253. quo vixit tempore. Liber M.S. extat in bibliotheca Gollonianā, Iacobus Waræus, Tract. de scriptoribus Cisterciensibus in Hybernia, referente R. Patre

Gua-

Guardiano Recollectorum Hybernicorum Lovanij.

C.

Caducanus, Abbas Landefidensis, Ordinis Sancti Benedicti, veterum Britanniæ Regum sanguine oriundus, Frater Ottreoli, Galveiorum Principis, vir egregiè doctus, & ob omnium scientiarum, maximè Theologicarum noticiam, valde celebris, ut Cambriæ Annales testantur. Qui anno 1215.8. Ecclesiæ Bangorensis Episcopus consecratus est: sed cælestis contemplationis amore tactus, anno 1216. de licentiâ Gregorij Papæ 9. Episcopatu se abdicans, in Dorensi Monasterio, Cisterciensibus se aggregavit, ubi reliquum vitæ in sanctis meditationibus, & diurnis ac nocturnis psalmodiis, consumpsit, & post mortem, honorificè cumulatus est, hos pios ingenij fœtus post se relinquens: *Speculum Christianorum, lib. 1. Dominus in Euangelio dicit, qui ex Deo est &c. Homiliarum librum 1. & alia quædam.* Vide Pitsæum, Seguinum & Iongelinum in Purpurâ Sancti Bernardi. Obiit sanctitate clarus, cuius intuitu, Menologio Cisterciensi adscriptus est 18. Iunij. De hoc etiam agit Harpsfeldius, centuriâ 13. cap. 30. in fine.

Cæsarius, vulgò cognominatus Heisterbachensis, novitiorum instructor, & postmodum Prior Monasterij Vallis Sancti Petri, vulgò Heisterbah, Diœcesis Coloniensis, iuxta Bonnam, vbi anno 1199. monasticam vestem induerat, & posteà, pietate & doctrinâ celeberrimus enituit. Scripsit plurima, ex quibus impressa extant sequentia:

Libri 2. in gratiam novitiorum, simplici & aperto sermone conscripti, de vitiis, miraculis, & exemplis virorum ac mulierum sanctitate illustrium, sui temporis, Monachorum præsertim, ac Monialium Ordinis Cisterciensis. Coloniæ 1591. & alibi sæpius. *Homilia, seu conciones eius morales, super omnes dominicas, & festa totius anni.* Quas in 4. partes distributas. Coloniæ typis Petri Henningij, anno 1615. publicavit Ioannes Andreas Coppenstein, Ordinis Sancti Dominici, titulo, *fasciculi moralitatis.* in 4o.

Libros eius 3. de vitâ & miraculis Sancti Engelberti, Coloniensis Archiepiscopi, & martyris, completos anno 1237. primò edidit Surius; & nuper iterum R. D. Ægidius Gelenius, ad Sanctum Andream Coloniæ Canonicus, vnà cum notis, & auctario, à se illustratos, anno 1633. Hæc sunt quæ hactenus impressa cognovi.

Præter quæ, extant Coloniæ (testibus Montalbo, & Draudio, in Bibliothecâ suâ) *Commentaria ipsius M. S. in Syracidem, seu Ecclesiasticum, libris 9. distincta.*

Item in Cœnobio Veteris montis, *Chronicon Episcoporum Coloniensium.*

In collegio Societ. Iesu Brugis, *Dialogus inter capitulum, monachum, & novitium.*

Dicitur quoque extare in Cœnobio Bonæ-Spei, Ord. Præmonstrat. in Hannoniâ volumen sermonum ipsius ad Monachos, sed credo esse Cæsarij Arelatensis Episcopi. Libri miraculorum eius extant in Cœnobio Alnensi. Cæterum, omnia sua scripta ipsemet recenset in epistola quâdam ad Petrum Priorem loci S. Mariæ, quæ *fasciculo moralitatis* iam dicto præfixa legitur, hoc tenore:

I. Primo omnium in adolescentia mea, paucis admodum sermonibus prælibatis, ad exercendum me, *super verba Ioannis, vbi in Apocalypsi dicit: Signum magnum apparuit in cælo, mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius, & corona stellarum 12. in capite eius: scripsi libros duos*, septemplicitet eundem versiculum exponens. Huius opusculi prologus sic incipit. *Licet hæc clausula à Doctoribus catholicis, multifariè, multisque modis sit explanata*, &c.

II. Insuper. *super verba eiusdem Ioannis, ubi dicit, circa principium Euangelij sui, Verbum Caro factum est, & habitauit in nobis*, scripsi sermonem vnum, ex singulis litteris verbi significati sacramentum eliciens, quem homilijs de festivitatibus sanctorum inserui.

III. Item, *super locum illum Salomonis, vbi dicit: Oritur sol, & occidit, & ad locum suum revertitur: scripsi sermones duos, vnum allegoricè, alterum moraliter.*

IV. Item, *super verba Salomonis, ubi dicit: Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas 7. scripsi sermonem unum, de Theologia, qui sic incipit. Triplex est sapientia*, &c.

V. Item, *super verba Abacuch, vbi dicit: Elevatus est sol, & luna stetit in ordine suo; scripsi sermones duos, unum allegoricè, alterum moraliter.*

VI. Item, *super verba illa libri Iudicum: Stellæ manentes in ordine & cursu suo, pugnaverunt contra Sisaram: scripsi sermones duos; unum allegoricè, alterum ad Monachos.*

VII. Item, *de statione solis sub Iosue; & de regressu solis sub Ezechia; & de obscuratione solis in passione Christi, scripsi dialogum modicum, philosophicè.*

VIII. Item, *super verba libri Regum, ubi scriptum est: Et invocavit Isaias dominum, & reduxit umbram per lineas, quibus iam descenderat in horologio Achaz, retrorsum decem gradibus : scripsi sermonem unum,* qui sic incipit: *In hac figura latent divina incarnationis sacramenta.*

IX. Item, *super sequentiam illam solennem : Aue præclara maris stella; scripsi expositiunculam unam.*

X. Item, *super psalmum , Fundamenta eius in montibus sanctis, scripsi sermones septem.*

XI. Item, *de præcipuis solemnitatibus totius anni, scripsi sermones multiplices, in capitulo recitandos.*

XII. Item, *super Salomonis canticum, quod cecinit in laudem mulieris fortis, scripsi ad honorem Dei Genitricis sermones* 22. Vbi super versiculum illum. *Quæsiuit lanam & linum*, putans ita esse in textu posui; *lubetur morte mori, quisquis induerit vestem lanâ linoque contextam* : quod & correxi.

XIII. Item, *super* 14. *tempora Salomonis : tempus nascendi, & tempus moriendi. &c. scripsi Sermones* 14. *servato ordine solemnitatum*; ita ut primus sermo sit de Adventu Domini; ultimus vero de omnibus Sanctis. Huius operis præfatio sic incipit: *Omnia tempus habent*, &c.

XIV. Item, *super verba illa Ecclesiastici, ubi dicit: Altitudinis firmamentum, pulchritudo eius; vsque ad illum locum : vide arcum , & benedic qui fecit illum, scripsi sermones vndecim.* Huius operis præfatio dirigitur ad Godefridum Priorem de Bergis.

XV. Item, *super verba illa Domini, Accepit Iesus panes, & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus, scripsi sermones 2. vnum allegoricè, & alterum moraliter*, 15. genera panum ex ijsdem verbis eliciens, & totidem præcipuis solemnitatibus anni eosdem sermones adaptans.

XVI. Item, *ab illo loco euangelij, Angelus Gabriel missus est ad Mariam, usque ad eum locum, ubi Salvator vertit aquam in vinum, servato ordine historiæ, edidi homilias morales* 18. Huius operis prologus est: *Fasciculus Myrrhæ dilectus meus mihi*, &c.

XVII. Item, *scripsit dialogum magnum visionum, atque miraculorum. Huius, libri sunt* 12. Prologus sic incipit: *Colligite fragmenta ne pereant.*

XVIII. Item, *ab eo loco, ubi Dominus ad nuptias veniens aquas convertit in vinum, usque ad ultimam Dominicam Adventus, super omnes lectiones dominicales euangelij, scripsi homilias morales, numero* 64. Huius operis Prologus sic incipit: *Botrus Cypri dilectus meus mihi.*

XIX. Item, *scripsi actus, passionem, & miracula Domini Engelberti Coloniensis Archiepiscopi.* Huius operis epistola ad successorem eius, Dominum Henricum Antistitem dirigitur. *Huius operis meminit Molanus in annot. ad Martyrologium* 7. *Nouembris.*

XX.

XX. Item, *super lectiones Euangelij, quæ leguntur per circulum anni, in festivitatibus Sanctorum, in quibus 12. lectiones habentur in ordine nostro, scripsi homilias morales* 33. Huius operis prologus sic incipit: *Iacob diligebat Ioseph, super omnes filios suos.*

XXI. Item, *super verba Salomonis in Canticis Canticorum, ubi dicit: Quæ est ista quæ progreditur sicut Aurora consurgens, &c. scripsi ad honorem Dei Genitricis Libellum vnum.* Huius operis prologus dirigitur ad Alardum presbyterum & Monachum.

XXII. Item, *de transfiguratione Domini, scripsi homilias duas; vnam sub typo dialogi allegoricè, alteram moraliter.* Huius operis præfatio est ad Hermannum Priorem de Claustro.

XXIII. Item, *scripsi super passionem Domini secundum omnes Euangelistas, homilias morales* 8. Huius operis prologus destinatur ad Petrum, & Alexanrdum, Priores,

XXIV. Item, ad petitionem cuiusdam Henrici Clerici, *scripsi quasdam orationes cum collectis, super horas canonicas.*

XXV. Item, *scripsi contra hæreticos huius temporis, & errores eorum, dialogum unum.*

XXVI. Item ad petitionem Domini Conradi, quondam Abbatis de loco S. Mariæ, *ad honorem eiusdem Virginis exposui psalmum* 23. Item, *psalmos* 44. 47 84. & 147.

XXVII. Item, *scripsi volumen diversarum visionum & miraculorum, libros* 8. Huius prologus sic incipit: *Qui infirmius est, olus manducet.*

XXVIII. Item, *super psalmum, exaudiat te Dominus: scripsi librum unum,* cuius est prologus ad Cunonem monachum.

XXIX. Item, *scripsi epistolam satis longam, contra heresin de Lucifero,* ad petitionem Ioannis Tortoris hæreticorum.

XXX. Item, *scripsi homilias euangelicas super ferias quadragesimæ, num, 36. nam de transfiguratione duas, & super passionem Domini 8, dudum scripseram.* Huius operis prologus ad Efferindum monachum Clari campi destinatur.

XXXI. Item, *super psalmum, Beati immaculati, Sermones* 22. Huius operis præfatio sic incipit: *Diu est, quod psalmum 125. exponere cogitaveram, à fratribus rogatus.* Primus autem sermo sic incipit: *Vt ait in expositione suâ Cassiodorus.*

XXXII. Item, *scripsi super Cantica graduum expositionem satis prolixam.* Huius operis prologus sic incipit: *cum ad petitionem fratrum, psalmum 118. exposuissem: videlicet, Beati immaculati &c. & eandem expositionem disciplinæ regulari, & maxime ordini nostro prout placuit, adaptassem, &c.* Primus autem psalmus sic incipit: *Titulus huius psalmi est, Canticum graduum, quo titulo psalmi subsequentes prænotantur.*

XXXIII. Item, exposui psalmum, *Credidi propter quod locutus sum,* de Sancto protomartyre Stephano.

XXXIV. Item, *descripsi vitam B. Elisabeth Lantgraviæ,* ad petitionem fratrum domus Teutonicæ de Marpurgh, quæ sic incipit: *Venerabilis Elisabeth.*

XXXV. Item, *scripsi sermonem de translatione eiusdem,* qui sic incipit: *Non potest civitas abscondi super montem posita.*

XXXVI. Item *scripsi super Ecclesiasticum 9. Libros.* Ex quibus 1. sic incipit: *Capiens vir prudens, ad ædificationem posterorum, aliquid exemplo Salomonis de sapientia scribere sapienter; & hoc ex propriis viribus fieri non posse recognoscens, omnem sapientiam à Deo esse confitetur; utpotè totius sapientiæ authore.* Capitales litteræ librorum coniunctæ, nomen dictante repræsentant,

Floruit Cæsarius circa annum 1200, quo tempore à Carolo Villariensi Abbate 8. evocatus Prioratum ibidem administravit: resignante autem Carolo Abbatialem dignitatem, Cæsarius quoque ad professionis locum reversus est, ubi anno 1222. Dialogorum libros absolvit

solvit. Obiit verò sanctitatis opinione illustris, ideòque Menologio Cisterciensi adscriptus, ad 25. Septembris. Vitam Cæsarij plures ediderunt nominatim. Iacobus Ficherus, qui etiam Apologiam pro operibus eius, seu scriptis publicavit.

Camera Beatæ Mariæ, Monasterium est Sanctimonialium Ordinis Cisterciensis, in Brabantia propè Bruxellas. Huius Monasterij Cõfessarius, vel Capellanus quispiam, Ordinis eiusdem Monachus anonymus, scripsit:

Vitam Beati Bonifacij Episcopi Lausannensis S. Theol. Doctoris, eiusdemque in Academia Parisiensi Professoris, &c. Qui in Camera (assumpto habitu Cisterciensi) obiit, & etiamnum quiescit. Vitam hanc edidit Chrysostomus Henriquez in fasciculo Sanctorum Ord. Cist. Lib. 1. dist. 32. nonnihil tamen alteratam asservatur autem M. S. in Camerà B. Mariæ. Huius S. Episcopi reliquiæ anno 1603. per Mathiam Hovium Archiepiscopum Mechliniensem, elevatæ fuerunt quas Deus variis ut fertur) miraculis honoravit Henriquez in Menologio, 19. Februarij.

Campus Liliorum vulgo, *Lilienfelt*, Abbatia est Diœcesis Pataviensis, in Austria, Huius Cœnobij Religiosus quispiam, anno 1645. (nomine Campililiensis scholæ) *edidit Synopsim regulæ S. Benedicti*, commendatam à perillustri & eximio Domino Caramvele in capite suæ Theologiæ regularis; ubi ex eadem synopsi tabulas quasdam producit, quibus pulchrè ostenditur Convenientia Ordinis, quem per totam regulam suam S. Pater Benedictus observat.

Candidus Furlongius, familia nobili Wexfordiæ in Hybernia natus, haustis in patria studiorum rudimentis, in Galliam transfretavit, indèque in Italiam, ac tandem in Hispaniam perrexit ubi Cisterciensium Monachorum conversatione delectatus, ijsdem in Nucalensi Cœnobio se adiunxit, ubi omnium prorsus solidarum virtutum se vivum præbens exemplum, cæteris confratribus admirationi fuit. Professione firmata, ad philosophica, ac deindè etiam ad Theologica studia Salmanticam transmissus, ijsdem iam non mediocriter excultus, in patriam directus est, animarum saluti operam suam (quoad fieri posset) laturus. Cui etiam totis viribus incumbens; universas regni provincias docendo & prædicando pertransibat, non sine ingenti animarum lucro: Deo præsertim doctrinam eius varijs signis & prodigijs confirmante. In tantum, vt etiam Iacobus Angliæ Rex, horum miraculorum fama motus, Candidum ad se vocaverit, oculis explorare volens, quod auribus perceperat: id quod etiam ad ipsius viri Dei votum feliciter successit, ut latius in vita narratur. Quo factum fuit, ut Rex sanctitatem eius reveritus, cum honore eum ad propria remiserit, sicque commoditatem etiam præbuerit, instantius proximorum saluti vacandi. Numerus eorum quos ex hæresi ad Catholicæ Ecclesiæ gremium reduxit, quatuor millium numerum excessisse fertur. Obijt meritis gloriosus Wexfordiæ, anno 1614. quem Deus postmodum adhuc varijs miraculis honoravit, quorum non infimum fuit, quod post aliquot mensium sepulturam, corpus eius adhuc integrum & incorruptum inventum fuerit. Scripsisse fertur ascetica quædam, ex quibus tamen hactenus nihil vulgatum fuit, præter *insignem quandam orationem, ad formam Epistolæ ad S. Malachiam Archiepiscopum Hyberniæ.* Et

Aliam ad S. Bernardum. Quas orationes ex Hybernia Claram vallem misit, ut sepulchris sanctorum adpenderentur. Vitam Candidi vulgavit Henriquez in fasciculo, quam ego Flandricè reddidi. Nota, tametsi paucissima sint, quæ hic Candidus scripsisse refertur; quia tamen Henriquez in Phœnice iam pridē illum scripto-

ſcriptoribus ordinis noſtri adcenſuit, me non debuiſſe eundem hic excludere ; præſertim quod viri ſanctitas poſtulare videatur ; ne vel minimum pietatis monumentum, ab illo ſcriptis mandatum, à poſterorum excidat memoria.

Capitulum generale Ciſtercienſe, conſtitutione pluribus annis, pro bona Ordinis gubernatione Ciſtercij latas, & à diuerſis Pontificibus approbatas, an. 1490. *Diuione imprimi curauit.* Habentur etiam eædem conſtitutiones M. S. in omnibus ferè Monaſterijs Ordinis. Eas ego Dunis ſæpius legi, immò & in compendium à me redactas adhuc aſſeruo.

Cari-campi Cœnobij in Belgio, Religioſi quidam anonymi, conſcripſerunt *inſigne chronicon Monaſterij ſui, quod omnibus Belgij chronographis (maximè Arthesiæ) ſolet eſſe familiare.* Ex quo (inter alios) plura deſumpſit Ferreolus Locrius, quæ chronico ſuo Belgico inſeruit: nominatim, quoad geſta Clariſſimorum Comitum Sancti Pauli, quorum plurimi in hoc Cœnobio ſepulti iacent ; prout etiam Duces aliquot Vendocinenſes. De quibus propterea ſequentes ibidem leguntur verſus, quos pariter Locrius refert :

Clara domus multos condit tellure ſepultos,
Paulinos Comites, Vendomioſque Duces.

Eſt autem Cari-campi Monaſterium in finibus Arthesiæ ſitum, quod anno 1137. ab Hugone Sancti Pauli Comite fundari cæptum, Monachos cum primo Abbate recepit ex Pontigniaco, anno demum 1141. quo propterea in omnibus antiquioribus Ordinis chronologijs recenſetur, vt rectè notat Reuerendiſſimus Manriquez, tomo 1. annalium Ciſterc. ad hunc eundem annum. Id quod ſpecialiter hic adnotandum duxi, quia recentiores quædam Chronologiæ, ad annum 1137. illud (malè) referunt. Nam etiam Miræus in Chronico Ciſtercienſi, fol. 104. apertè teſtatur, antiquam Cari campenſe Chronicon quod apud ſe habuit Locrius, referre, cænobium hoc demum fuiſſe conſtructum anno 1141.

Carolus Borlutus, vid. Gerardus Borlutus, ſic enim vocabatur, & non Carolus prout per ſubreptionem poſui in primâ editione.

Carolus à S. Maria, prior Monaſterij S. Bernardi, in ſuburbano S. Honorati Pariſijs, ſcripſit *tractatum de viris ſanctitate illuſtribus, congregationis Fulienſis, Ordinis Ciſtercienſis* : quem ſæpiſſimè citat, imò ferè totum Menologio ſuo ſparſim inſeruit Henriquez.

Carolus Mydelton, natione Anglus, ſed Ordinem noſtrum Ciſtercienſem profeſſus in Prioratu Sancti Saluatoris Antuerpiæ, vbi auorum Nobilitati ac virtuti, moribus optimè reſpondens, omnibus ſe valdè amabilem reddit. Typis præparauerat, *Librum conſolatorium, Infirmis ac Moribundis valdè vtilem, ex optimis authoribus collectum*, teſte Auberto vanden Eede, Bibliothecæ eccleſiaſticæ Auberti Miræi, parte 2.a cap. 236. At mors interveniens, hominem abſtulit, & (vt intelligo) impreſſionem impediuit. Obijt anno 1650. 11. Martij.

Carolus à Sancto Paulo, ex Abbate, & Superiore Generali Congregationis Fulienſium, Ord. Ciſterc. circà annum 1642. nominatus à Rege Galliæ Epiſcopus Abrincenſis, Vir fuit non minus prudentiæ & virtutis commendatione, quàm omnigenæ eruditionis & eloquentiæ, laude clariſſimus, qui (vt teſtatur Petrus à Sancto Romualdo in epiſtolâ dedicatoria tomi 1. ſui theſauri chronologici) *plura ſcripſit illuſtria opera, quæ ſunt inſignes theſauri eloquentiæ doctrinæ, & pietatis.* Ex his, reperi ſequentia :

Geographiam ſacram, ſiue notitiam Epiſcopatuum Eccleſiæ vniuerſæ : Impreſſam Pariſijs anno 1641. apud Sebaſtianum Cramoiſij, cum tabulis æneis.

Tabulam eloquentiæ Gallicè impressam Parisijs, 1632. in 8 gallicè. In hoc opere ostendit Author, 1°. in quo consistat perfectio benè discurrendi & scribendi. 2. agit de verbis & periodis boni discursus. 3. de stylo, 4 de partibus alicuius discursus. 5. de inuentione, & materia ad ampliandos discursus. 6. de ornatu, & Maximis quibusdam necessariò obseruandis in omni bono discursu.

Templum felicitatis. Opus est, ornatum varijs & curiosis Iconibus, repræsentantibus omnia & singula, quæ hominem possint reddere verè felicem in hac vita: quæ postmodum excellentibus discursibus exponuntur, quibus ostenditur veram hominis felicitatem in hoc mundo consistere, in perfectione & tranquillitate spiritus, qua per veram contemplationem, & amorem, Deus ipse possidetur, &c. Quia autem hæc felicitas & tranquillitas spiritus per passiones varias turbatur, ideò fusè agit Author, de passionibus animæ, seu spiritus. Prodijt Parisijs, in magno 4. dedicatum Regi Galliæ, anno 1650. apud Claudium Cramoisij. Reliqua huius Authoris opera ad notitiam meam non peruenerant.

Carolus de Visch, huius libri Author, Furnis in Flandria, natali solo, humanitatis studijs absolutis, & Duaci postmodum Philosophiæ emenso stadio, Monasticum Ordinis Cisterciensis habitum indui in Monasterio de Dunis, anno 1618. Hinc rursus anno 1621. ad Theologiæ studium Duacum transmissus, anno 1625. Baccalaurei formati titulo ibidem insignitus fui. Anno 1629. vnà cum alio Monasterij nostri Religioso, in Germaniam directus, (ad petitionē R. Abbatis Campensis, Vicarij Generalis per tractum Rheni) Theologiam moralem docui in Monasterio Ebirbacensi, Moguntinæ Diœcesis apud Rhingoios: vbi conscripsi, & Religiosis prælegi,

Tractatum amplum, in plures distinctiones subdiuisum, de voto, & voti relaxatione. In quo fusè egi de votis Monasticis.

Itē *de Sacramentis in Genere, de Baptismo, Confirmatione, Eucharistia, & de Missâ, ac de Pœnitentiâ, pro parte.* Quam tractationem perficere non potui, ob dispersionem Conuentus Ebirbacensis, per Suecos Imperii vastatores.

Scripsi adhuc in Germania residens. *Tractatum breuem de Legibus.* Item *alium, de Iustitiâ, & Iure.* Quæ omnia adhuc penes me habeo M. S.

Historiam etiam Monasterij Ebirbacensis, cum serie continuâ omnium Abbatum: cui inserui fundationes breues aliorum aliquot Monasteriorum, quæ ex Ebirbaco prodierunt; vt, Sconaugia, in Palatinatu Electorali; Otterburgi, in Palatinatu inferiori; Montis Sancti Disibodi, in Ducatu Bipontino; & Castri Aquilæ, seu, Arensburgh, in VVetterauia. Cuius historiæ copiam nonnihil contractam, tradidi Gaspari Iongelino, qui eandem edidit de verbo ad verbum, Coloniæ, in notitia Abbatiarum Ordinis Cisterciensis. intantum, vt cum agens de 2. Abbate, dicerem me de illo fusius agere in historia mea Ebirbacensi, eadem verba repetat, cum tamen ipse historiam illam nunquam viderit, sed ego à me compositam adhuc apud me habeam M. SS.

In Belgium redux, conscripsi *historiam Abbatiæ Thosanæ, eiusdemque vnionem cum Episcopatu Brugensi, & eodem rursus separationem.*

Fundationem item prioratus VVaerschotaui, in Diœcesi Gandensi, cum serie omnium Priorum. Nec non, &

Fundationes, ac progressus, cum serie omnium Abbatissarum, Monasteriorum Sanctimonialium Speculi B. Mariæ, vulgò, Groeninghe, in ciuitate Cortracensi; & Vallis Cœli, in ciuitate Dixmudana Has quatuor fundationes, seu breues historias, edidit sparsim suis locis, in auctario ad tomum 3. Flandriæ illustratæ, Antonius Sanderus, Canonicus, & Schola-

Scholasticus cathedralis ecclesiæ Iprensis.

Scripsi etiam lingua Flandro-belgica, *opus amplum pro instructione religiosorum, in 3. vijs perfectionu (purgatiua, illuminatiua, & vnitiua) distinctum 25. concionibus prolixis (quibus postea adieci 5. alias.)* Quod M.S. extat apud me, & pro maiori parte apud Moniales Vallis Cœli, Dixmudæ, quibus per annos 12. continuos fui à sacris confessionibus, & spirituali directione.

Præterea, *Vitas BB. Ligerij, & Fulconis, primorum Abbatum, & fundatorum Cœnobij nostri de Dunis, à Chrysostomo Henriquez breuiter conscriptas Hispanicè, ad antiqua monumenta domus nostræ collatas, pluribus in locis emendaui, notabiliter auxi, ac Flandricè reddidi*, in gratiam quoque sanctimonialium Vallis Cœli, apud quas asseruantur M.S: *Conscripsi etiam Latinè, vitam R. Adm. Domini Adriani Cancellier Abbatis Dunensis 39.* quam imprimi feci Brugis typis Nicolai Breigelij. 1655.

Vitas quoque B. B. Eberardi de Commedâ, & Kicbardi de Frisiâ Monachorum Ordinis nostri Sanctitatis opinione illustrium, ex M. SS. codicibus antiquis eruti, & publicaui. Ibidem vt suprà.

Alani magni de Insulis, Doctoris Vniuersalis, Opera Moralia, Paranetica, & Polemica, tineis & blattis erepta recognoui, varièque illustraui, & tandem anno 1653. publicaui. Antuerpiæ, typis Guillielmi Lesteinij. in folio.

Bibliothecam hanc Scriptorum Sacri Cisterciensis Ordinis, magnis laboribus & sumptibus concinnatam, excudi primò feci anno 1649. Duaci typis Ioannis Serrurier in 4. Cui subiunxi *Chronologiam antiquam Monasteriorum Ordinis nostri, à me completam.* Paulatim plura daturis, si vitam & sanitatem conseruare, dignetur Deus.

NOTA.

Porrò erunt fortè, quibus displicebit, quod propria hîc scripta recensuerim, & meipsum scriptoribus ordinis adnumerauerim: at immeritò, quandoquidem communiter omnes tam veteres, quam recentiores, simile scripti genus pertractantes, idem pro more semper habuerint, meque in hoc praiuerint, vt patet in Diuo Hieronymo, Gennadio, Honorio, Sigeberto, Trithemio, Syluestro Maurolyco, Petro Ribadeneira Societ. Iesu, Theodoro Petreio, Carthusiano, Ioanne Pitsao, Antonio du Verdier, Chrysostomo Henriquez, Valerio Andrea, Antonio Sandero, & alijs plurimis, etiam nostri ordinis, vt huius libri beneuolus lector deprehendet. Accedit, quod passim alios etiam adhuc superstites, ad bibliothecam hanc adiunxerim, ideòque iure potuerim meipsum non excludere. Denique per hoc Superiores, alijque confratres, temporis à me expensi rationem habebunt.

Casa Marij, clarissimum est Cœnobium Italiæ, haud longè à Ciuitate Verulanenensi, anno 1605 fundatum pro Benedictinis nigris, sed anno 1146. Cisterciensibus attributum, ex quo, innumeri, ferè, viri sanctitate & doctrina illustres prodierunt: *Quorum pleraque adhuc litteraria monumenta, omni disciplinarum genere referta, in ipsius Cœnobij Bibliotheca conseruantur*, aut saltem, ab annis aliquot extiterunt, vt testatur Author cuiusdam antiqui Chronici, apud doctissimum Vghellium, *Italia Sacra, tomo 1. inter Episcopos Verulanenses, fol.* 290. Cuius Chronici verba, cum eximiè commendent doctrinam & sanctitatem Monachorum eiusdem Cænobij, visum fuit hîc attexere: *Sacri huius Monasterij Casæ-marij, litteris & sanctitate florentissimi præconia recensere, haud poterit nostri breuitas instituti.*

Scimus enim quam plurimos Mira sanctitatis fama Monachos germinasse, innumerosque in omni disciplinarum genere exindè eruditissimos pullulasse. (a) *Asseruantur enim in vetustissima loci illius Bibliotheca volumina Manuscripta, præcipuos Sacræ Scripturæ libros, tum noui, tum veteris testamenti, studio Monachorum expositos, continentia.* (b) *Ad Monachos huius*

(a) Nota. (b) Insigne encomium Monachorum Casæ-Marij.

ius Cœnobij, seu ad diuina oracula in maximis Regiminum difficultatibus, Principes & Imperatores, quin & ipsos summos Pontifices conuenisse scimus. Sæpius namque ibi conuenit Paschalis Papa II. Eugenius Tertius (qui antiquam Monasterij eiusdem ecclesiam consecrauit) nec non & Alexander 3. impij Imperatoris persecutionem declinans, & Lucius 3. Innocentius tertius, illiusque successor, Honorius 3. & Gregorius nonus, qui Giraldo Abbati Casæ-marij direxit decretale (a). *Quin & ipsum Sanctum Bernardum Claræ-vallensem Abbatem, Ordinis Cisterciensis illustratorem, sanctæque ecclesiæ Doctorem refertissimum, sæpius eò conuenisse scimus, eiusdemque Monasterij Abbatem Ioannem idem Sanctus Pater valdè dilexit, cuius auspicijs hoc nobile Cœnobium Casæ marij, Ordini Cisterciensi incorporatū fuit, sub lineâ Claræ vallensi, anno* 1140. *Cur igitur de hoc sacro Cœnobio cum Diuo Hieronymo in epistolâ ad Heliodorum, non exclamabimus! O desertum Christi, floribus vernans, ô solitudo, in quâ nascuntur lapides, de quibus in Apocalypsi, ciuitas Magni Regis exstruitur? O Eremus, familiarius Deo gaudens. Si quis enim tunc ad Casæ Marij Monasterium confluxisset, Paradyso prorsus illam omnem Eremum vidisset digniorem, & innumeros Angelorum choros in corporibus fulgêre mortalibus. Erat enim cernere toto præfato Monasterio diffusum exercitum Christi, & admirabilem illum regium gregē, Virtutumque cælestium conuersationem in terris micantem. Et, vt breuiter dicam, fuit hoc sane Cœnobium Ecclesiæ Verulanæ columen, populi decus, omnisque boni fundamentum, cum cælestibus pulchritudinibus, elegantia propemodum certans. &c.* Hactenus Chronicon. Plura de viris illustribus huius cænobij qui desiderat, legat Vghellum, loco suprà citato, & folijs sequentibus.

Castri Aquilæ (vulgò *Arnsburg*) *in VVederauia, Monachus quispiam*, circà annum 1640. Scripsit *insignem historiam de Origine & progressu Monasterij sui*. Vbi fusè agit, de pluribus Monachis & conuersis sanctitate illustribus, qui ibidem floruerunt; variaque alia notabilia producit, quæ historiam illius districtus non parum illustrare poterunt. Publicauit hanc historiam seorsim Iongelinus, anno 1644. Coloniæ, typis Henrici Krafft: solet tamen subiungi Purpuræ Sancti Bernardi, ab eodem Iongelino tunc temporis etiam editæ. Notandum autem Authorem huius historiæ contendere, Monasterium suum, Ordini Cisterciensi incorporatum fuisse anno 1174. productis quibusdam litteris Gerardi Abbatis Ebirbacensis, scriptis 17. Kal. Augusti, anni iam dicti 1174. quibus asserit, se (ex commissione Pontij Abbatis Claræuallensis) instituere eidem loco Abbatem virum Religiosum, Rutardum nomine, &c. Nihilominus quia Ebirbacensis Monasterij monumenta (quæ præsens lustraui, dum ibidem Theologiæ Professorem egi) testantur, Gerardum demum anno 1187. ex Claravalle ad Abbatiam Ebirbacensem euocatum fuisse; post obitum scilicet Arnoldi, Abbatis 2. qui obijsse scribitur eodem anno 1187. 14. Kal Octobris, ac solum anno 1197. Arnsburgensibus Abbatem dedisse, ijsdem in chronologia nostra inferius potius adhæsi. Maximè quod etiam chronologia Cisterciensis (apud Iongelinum in notitia,) quam tempore capitulorum generalium Abbates omnes sequi tenentur; ac etiam filiatio Claræuallis, quam pariter ex Claravalle acceperam publicauit Iongelinus libro citato, fundationem Arnsburgensem hoc etiam anno 1197. constituant. Accedit, quod Reuerendissimus quoque Manriquez in serie Abbatum Claræuallensium quam tomo 1. annalium suorum subiunxit, asserat Pontium Claræuallis Abbatem anno 1172. fuisse assumptum ad cathedram Episcopalem Claromontensem; adeoque anno 1174. non fuisse Abbatem Claræuallensem, sed Bernar-

(a) *Decretal. c. in præsent. extra. de probato.*

Bernardum. Imo Iongelinus in Purpurâ S. Bernardi, scribit hunc Pontium anno 1170. fuisse creatum Episcopum. Vndè à fortiori, &c. Adeò vt de epistolæ Arnsburgensis sinceritate meritò possit dubitari.

N. Cauillier, Monachus Boni portûs, typis commisit *insignem orationem panegyricam, in honorem Reuerendissimi Cisterciensis Abbatis moderni*, anno 1646. Relatio Reuerendi & Eximij Domini Claudij Chalemot, modò Abbatis de Columbâ.

Chrysostomus Cabero, Vir acutissimi ingenij, Vallis ecclesiarum monachus, S. Theol. Doctor, fuit quandoque sui cœnobij, ac etiam Cõplutensis collegij Abbas; & post professionem Philosophiæ priuatam, in eadem Complutensi Vniuersitate primum Philosophiæ moralis professor; indè ad Cathedram sacrorum bibliorum promotus; tandem primariam Scoti summo omnium plausu adeptus est.

Edidit *Dialecticam*, seu, *summularum recapitulationum Libros* 3. Vallisoleti apud Ioannem Baptistam Baressium, anno Domini 1623.

Commentaria insuper in vniuersam Logicam Aristotelis, tractatus septem. Ibidem apud eundem. Item:

Commentaria in 8. *libros Physicorum*. Item, *In libros de Anima & de Generatione*, quibus totum Philosophicum cursum compleuit, cum insigni profectu Iuuentutis Complutensis. Scripsit insuper, & prælo nunc adaptat.

Volumen magnum Consiliorum moralium. Opus egregium, & quod in omniũ est votis, eo quod Author, ob felicitatem in nodis & difficultatibus conscientiæ dissoluendis, insumma, apud doctissimos quosque veneratione habeatur, interim, scholastica quoque studia continuans, *Commentaria iam compleuit in* 1.2. *diui Thomæ*, quorum publicationem hactenus impediuit aduersa eius valetudo. Superest etiam adhuc hoc anno 1649. Relatio Hispanica quæ suprà, Ildefonsi Perez, & Henriquez, in Phænice.

Chrysostomus Henriquez, Mantuæ Carpentanorum anno 1594. natus, post absoluta humanitatis studia, anno ætatis 13. nondum completo, habitum Religionis induit in Hortensi monasterio; in quo, peracto triennali nouitiatu, professionem solemnium votorum emisit, anno ætatis 18. Philosophicis studijs imbuendus ad Meyrense destinatur collegium. Interim tamen, cum animus ad historias, præsertim ordinem concernentes) propenderet, horis intercisiuis *Meyrensis cœnobij historiam concinnauit.*

Cursu philosophico iam completo, ad Montis Ramorum theologicum mittitur studium; vbi pariter (ex diuersis fide dignorum relationibus ex Hyberniâ transmissis) *Beati Candidi Furlongij vitam conscripsit.*

Theologicis studijs sufficienter instructus, ad parentum, & fratrum suorum instantiam (Bruxellis in aula Archiducis Alberti degentium) ab ipso eodem Belgarum Principe in Belgium euocatur. Cuius petitioni nolentes reluctari cõgregationis nostræ Hispanicæ Superioris, illũ protinus miserunt. Hîc, salutatis parentibus, statim ad studia sua reuersus, celebriora ordinis monasteria visitauit. Bibliothecas, aliaque antiqua monumẽta auide excussit, vbi fertilissimam reperit messem proposito suo accommodam. Nõ omisit in plurimorum doctrina & pietate celebrium virorum notitiam & familiaritatem se insinuare: quorũ aliqui magno illi subsidio fuerũt, maximè in Dunensi nostro Monasterio, vbi certatim omnes, quodcunque possibile fuit, adiutorium illi impendimus; quidã antiquos Bibliothecæ codices euoluendo; alij, vsui accommoda annotando; alij denique, inuenta & adnotata distribuendo: adeò vt ipse Venerabilis Dominus, in Phœnice reuiuiscente, parte 2. cap. 30, expressè fateatur. *Pro maxima parte, Prælatis &*

Monachis Dunensibus adscribendum esse, si quidpiam scripserit, quod ad Dei seruitium, Sanctorum honorem, & Religionis gloriam faciat. Hinc, affectu & beneuolentia nostra delectatus, multo tempore apud nos hæsit; vbi & vtrumque fasciculi sui tomum compleuit, quos etiam tomos expensis nostris impressos, Abbatibus nostris dicauit.

Reuerendissimus quoque Pater Andreas de Trugillo, Congregationis Hispanicæ reformator generalis, vt Chrysostomum ad studiorum continuationem animaret, & quodammodò obligaret, de assensu Patrum diffinitorum congregationis suæ, anno 1622. titulum & priuilegia illi contulit, *Historiographi generalis Congregationis Hispaniæ, Ordinis Cisterc.* Addidit & anno sequenti 1623. *Paternitatis* titulum, qui eatenus nō nisi Abbatibus, Diffinitoribus, & Visitatoribus generalibus concedi consueuerat. Denique vt nihil omitteret, quo aliquatenus illum honorare, & animare posset, *Commissarium* illum creauit *generalem Monachorum Hybernorum congregationis suæ.* Quæ omnia postea confirmauit successor eius Valerianus de Espinosa, Reformator generalis. His omnibus titulis, Reuerēdissimus quoque Morimundensis Abba adiecit dignitatem *Magni Prioris Ordinis militaris de Calatravâ.* Tametsi clarissimi fuerint hi honorū tituli, Chrysostomi tamen animum haud quaquam extulerunt (vtpote in humilitate nimis altè fundatū) sed ad studiorum amorem magis magisque inflammarunt. Adeò vt paucorum annorum tempore, plurima sanè scripserit, & magno labore delineauerit; quæ ipsemet in Phœnice, locò citato, recenset hoc ordine.

Historiam Meyrensem, in 4o. ab anno 1143. quo sub B. Bernardo Cœnobium illud sumpsit exordium, vsque ad annum reparationis humanæ 1364. lib. vnum.

Thesaurum Euangelicum in 4o. siue, *relationem illustrium virorum, quos ordo Cisterciensis habuit in Hybernia nostro æuo.* Prodijt Matriti anno 1619. apud Viduam Alphonsi Martinez.

Vitam Candidi Furlongij, Monachi Nucalensi, lib. 2. *in* 4o. *Hispanico idiomate.* Hanc vitam ipse postmodum transtulit in linguam Latinam, editque in fasciculo. Eandem ego ipse Flandricè reddidi, in gratiam monialium Vallis Cæli Dixmudæ.

Constantiam catholicam, libros duos. Vbi agit de persecutionibus, quas propter fidem perpessi sunt Hyberni, à temporibus Sancti Patric eorum Apostoli, ad nostram vsque ætatem, Bruxellis apud Meerbecium, anno 1623.

Vitam Ioannis Rusbrochij, Prioris Viridis Vallis, Ordinis Canonicorum Regularium, Bruxellis apud Ioannem Pepermannum, anno 1622. in 8o.

Fasciculum Sanctorum Ordinis Cisterciensis, lib. 1. *in folio.* In quo de Patriarchis & propagatoribus ordinis, deque sanctis Præsul bus, qui contra Christianæ Religionis hostes, verbo & exemplo, ac gladio pugnauerunt; & de origine ordinum Militarium sub instituto nostro.

Bruxellis apud Pepermannum anno 1623.

Fasciculum Sanctorum Ordinis Cisterciensis, librum alterum. Vbi de sanctis Pontificibus, qui Romanæ Ecclesiæ innaforibus mirabili zelo se opposuerunt; de Archiepiscopis, Episcopis, & Abbatibus sanctitate præcipuis; de Martyribus Ordinis, & quorundam Monasterium Fundationibus. Bruxellis, in folio, apud eundem, & eodem anno. Hoc opus postmodum anno 1631. iterum recusum fuit Coloniæ in officina Choliniana, in magno 4o.

Coronam sacram Ordinis Cisterciensis, Lib. 1. in quo de Reginis, & Infantibus, quæ spretis sæculi delicijs, & diuitijs, habitum Ordinis Cisterciensis sumpserunt, in 4o.

Bruxellis apud Ioannem Meerbecium. 1624.

Effigies Reginarum, & Infantium Ordinis Cister-

ciensis

ciensis cum annotationibus Hispanicis, Dominæ Elizabethæ de Luna, authoris nouercæ inscriptas. anno 1624. Apud eundem, in folio patente.

Annotationes, seu, *Compendium vitarum earundem, gallico idiomate*: Reuerendo admodum Domino, D. Bernardo de Montgaillard, Abbati Aureævallis.

Apud eundem.

Annotationes Theutonicas in easdem effigies.

Ibidem apud eundem.

Kalendarium Ordinis Cisterciensis, siue Sancti & Beati eiusdem Ordinis, secundum dies natalitios ipsorum, per totum annum.

Bruxellis apud Hubertũ Antoniũ, an. 1620.

Miracula nostri temporis, libros 2. in 4°. M. S. Preces, orationes, & Litanias ad S. Iosephum, idiomate Hispanico. Bruxellis, in 12°. anno 1624. apud Ioannem Pepermannum.

Paradisum Ordinis Cisterciensis. In quo eiusdem ordinis Pontifices, Cardinales, & alij viri dignitatibus ecclesiasticis clari, Reges, Reginæ, Principes & Infantes sancti & beati, Martyres & Virgines, secundum statum & dignitates suas: Ordines militares & Monastici, qui sub nostro militant instituto: Pontificum, & Regium priuilegia Ordini Cisterciensi concessa; & multa alia, quæ ad Cistercienſium gloriam faciunt, mirabili modo exponuntur. Opus quidem laboris immensi, sed necdum excusum, Reuerendo Patri Adriano Cancellier, Abbati Dunensi dicatũ, seruatur Dunis *Hoc opus iam perijt, vtpote quod solummodo in patenti vastissimâ chartâ delineatum calamo, vix diu seruari potuit. Vidi illud integrum, & lacerum.*

Solem Cisterciensem in Belgio, siue, de viris sanctitate conspicuis, qui virtutibus & miraculis claruerunt in sacra Villariensium eremo; cum eorundem Beatorum vitis compendiose scriptis, & excusis in folio. Bruxellis apud Hubertum Antonium, an. 1622.

Arborem Martyrum Ordinis Cisterciensis, in mano folio patente sculptam 1622.

Bernardum Immaculatum libros 2. in 8°. In quibus de eiusdem Doctoris certa opinione circa Deiparæ conceptionem, S. Ioannis iustificationẽ in vtero materno, & animarum beatitudine antè vniuersalẽ corporũ resurrectionẽ, agitur.

Bruxellis in 8°. anno 1624. apud Ioannem Meerbecium.

Triumphum amoris diuini, librum Rythmis Hispanis conscriptum, titulo, præfatione, dedicatoria, & annotationibus illustrauit, & in varia capita diuisit, in quorum singula, scripsit argumenta, & excudi curauit.

Bruxellis in 8°. apud Meerbecium, 1624.

Apologeticum tractatum Hispanicè, pro epistola S. Patris nostri Bernardi, ad Canonicos Lugdunenses, in 4°. M. S.

Vitam B. Idæ de Louanio in æs incidi curauit, in folio, 1623.

Summarium præcipuarum constitutionum militiæ Cisterciensis de Calatraua: & formam, qua eiusdem ordinis milites, horas canonicas legere debent, lib. 1. Excellentissimo Comiti de Gondomar, Didaco Sarmiento de Acuna, illius ordinis professo, dicatum. Excusum Bruxellis, apud Ioannem Pepermannum, 1626. in 16°.

Apologeticum tractatum pro Benedicto XII. Summo Pontifice, ex Ordine Cisterciensi assumpto. Bruxellis apud eundem, 1623.

Vitas sanctorum Patrum Eremi Dunensis, lib. 2. In quibus præsertim de B. Idesbaldi 3. illius solitudinis Abbatis angelica conuersatione, felici transitu, & miraculosa inuentione, sub adm. R. Patre Bernardo Campmans, Abbate Dunensi. Serenissimæ Hispaniarum Infanti Elizabethæ Claræ Eugeniç dicatos. Bruxellis in 4°. apud Ioannem Meerbecium, anno 1626.

Lilia Cistercij, libros 6. in tomos 3. diuisos, in folio, & sub prælo apud Ioannem Meerbecium.

tur à Ioanne Garetio, libro de verâ præsentia corporis Christi in Sacramento Eucharistiæ, classe 1. vti etiam à Seguino, in Bibliothecâ Cisterc. Qui tamen non referunt, cuius Monasterij fuerit Religiosus.

Bertramus, Cœnobij de Cerreto Monachus, vir in divinis literis eruditus, & in artibus humanioribus nobiliter doctus, & sanctitate conspicuus, *Revelationes varias, quas à Deo accepit, literis mandavit, & in volumen redegit.* Fertur & alia quędam scripsisse opuscula, quæ tamen nondum prodierunt.

Philippus Seguinus in Bibliotheca, seu libello, de scriptoribus Ordinis nostri, vbi etiam asserit, Mallæum lib. 3. Chronicorum, huius quoque Bertrami meminisse.

Bertrandus, Pontigniacensis Religiosus, vir doctus & eloquens, scripsit anno Domini 1247. (iubente Ioanne Abbate suo) *historiam insignem, de vita & miraculis Sancti Edmundi Archiepiscopi Cantuariensis*, quæ manuscripta reperitur in Caroli loco. Ex hac historiâ desumptæ sunt Lectiones, quæ (authoritate Capituli Generalis) in omnibus Abbatiis lineæ Pontigniacensis leguntur, in officio divino, de eodem sancto. Philippus Seguinus, suprà qui addit, hunc Bertrandum *composuisse quoque, Antiphonas, cæteraque omnia, quæ in dicto officio toto die leguntur, aut cantantur; etiam hymnos*, prout modo extant in Breviarijs nostris.

Bertrandus Thißier siue, Textor (utroque enim modo seipsum cognominat) Prior Boni Fontis in Therascia, iuxta Rupem Regiam, Procroij. SS. Theol. Doctor Mussipontanus, scripsit, *Assertiones Theologicas, utilißimas, quibus universa quæ ad sacram Doctrinam, seu Theologiam spectant, explicantur, ac probantur, & obiectiones soluuntur.* Impressæ fuerant anno 1647. Carolopoli, apud Gedeonem Poncelet, Serenissimi Ducis Mantuæ, Typographum, in foro Ducali, ad palatium. Dedicatum est opus R.mo Domino Claudio Vaussin, Abbati Cistercij modern. Porro, universum opus divisum est in 5. Tractatus.

In 1. Agitur. *de Deo uno ac trino.*

In 2. *De Christo, Deiparâ, & Angelis.*

In 3. *De Principijs ac regulis humanorum actuum, libero arbitrio, concursu, & gratia Dei, ac legibus, & de virtutibus & peccatis generatim.*

In 4. *De Virtutibus speciatim, id est Fide, Spe, Charitate, Religione (ubi & de statu Religioso) Iustitiâ, &c. ac peccatis oppositis.*

In 5. *De Sacramentis in genere & in specie.*

Scripsit prætere, & etiam edidit *Disputationem Theologicam in Iansemana dogmata*, impressam anno 1651. Caropoli, ubi supra disputationi huic adiecit *duos Appendices*, primum, contra doctrinam *Ranutij Gigati (siue) Ignatij Huarti* Religiosi Alnensis, Ordinis nostri, qui seipsum nomine anagrammatico, sic appellat, in Commentario suo ad librum Sancti Bernardi de gratiâ & libero arbitrio) ubi Sanctum Patrem in Iansenij sententiam pertrahere conatur, acriter carpens Cistercienses omnes qui contrarium docent. Verum, hunc Ranutium benè retundit, hic noster Bertrandus Prior boni fontis.

Appendix 2dus, arguit Authorem quendam qui sub ficto etiam nomine, libellum quendam ediderat, de Gratiâ victrice, in quo Iansenij defendens doctrinam, contrariam tenentes, per contemptum, molinistas nominans, eos satis inciviliter perstringit. Qui tamen hic etiam breviter quidem, sed nervosè refutatur.

Porrò, ediderat adhuc ante, *librum Controversiarum fidei, contra nostri temporu hereticos.* Prout mihi retulit Eximius D. Iosephus Arnolfini,

Arnolfini, S. Theol Doctor Sorbonicus, Strictioris obseruantiæ Ordinis nostri Religiosus, in Relatione M. S. quam anno 1647. ad me misit.

Beynus Abbas Ordinis Cisterciensis, Scripsit, *super 4.or Libros Sententiarum*, quorum initium est: Liber de gubernatione Dei & hominum &c. seruabantur in Campo florido, tempore Sanderij. Index libb. M.SS. suprà citatus.

Bonauentura VVaufiry, Religiosus Alnensis' edidit anno 163. Gallicè, *Vitam Beatæ Humbelinæ, Sororis Germanæ Sancti Bernardi, & sanctimonialis Ordinis Cisterc.* Vnà cum *constitutionibus, quas adhuc obseruant Moniales eiusdem Ordinis reformatæ, per Hispaniam.* Louanij, apud Ioannem Oliuerium, in 8o.

Bonævallis. Monasterium est Ordinis nostri, in Delphinatu, Diœcesis Viennensis. Huius Monasterij *Religiosus Anonymus*, ad instantiam Burnonis de Boirone, Prioris sui scripsit *Vitam B Amedæi, Domini Altæ Ripæ*, Conradi Imperatoris pronepotis, & posteà Monachi Bonævallis. Extat in Bonâ-valle, & apud Manriquez, vt ipsemet testatur to. I. Annalium, ad annum. 1119. Erat hic Amedæus, Pater B. Amedæi Episcopi Lausannensis, de quo suprà.

Eiusdem Monasterij Religiosus Anonymus alius, scripsit volumen magnum, 26. capitibus distinctum de vitâ, & miraculis Beati Ioannis Abbatis I. Bonæ-vallis, & posteà Valentinensis Episcopi. Seruatur in Bonâ valle, sed truncatis aliquot prioribus capitibus.

Bonifacius Simoneta natione Italus, patriâ Mediolanensis, Abbas Monasterij Sancti Stephani de Cornu, Ordinis Cisterciensis, in Diœcesi Cremonensi (aliàs, Placentinâ) genere nobilis, sed virtute præstantior, Theologus & Philosophus celeberrimus, & in diuinarum scripturarum lectione assiduus, nec non & antiquitatum rerum Ecclesiasticarum callentissimus, scripsit *Commentarios in persecutionum Christianarum, Pontificumque historiam, à Sancto Petro, vsque ad Innocentium 8. 6.* libris distinctum. Opus est rarum, & curiosum, impressum 1. Mediolani, anno 1492. apud M. Antonium Zarotum, Parmenium; teste Posseuino. Postmodum verò iterum 1509. Basileæ, typis Nicolai Kesler, dicatum Carolo VIII. Francorum Regi. Cuius editionis exemplar vidi in Bibliothecâ Baud. locii, Gandaui. Prodijt & alibi, in Germaniâ, opera Hieronymi Ducalis, qui illud dedicauit Martino Abbati Veteris Cellæ, in Misniâ. Extat & M. S. in diuersis Bibliothecis. Author Bibliothecæ Pontificiæ testatur se illud vidisse Citerci. Carolus Emanuel Maldura, S. Theol. Professor in Cœnobio Sanctæ Crucis in Hierusalem Romæ, in relatione anno 1647. ex vrbe ad me missa, scribit, illud quoque asseruari M.S. in Cœnobio Aquæ frigidæ, iuxta Lacum Larium in Italiâ. Vt autem Lector melius cognoscat, quidnam specialiter toto hoc opere contineatur, exhibebo hîc totum frontispiciũ, editionis Basileensis: *Bonifacij Symonetæ diui Ordinis Cisterciensis, cornu Abbatis, viri vndequaque doctissimi, de Christianæ fidei, & Romanorum Pontificum persecutionibus, opus pene diuinum, & inæstimabile, in quo sparsim habentur hæc infra scripta:*

Primo, Oratio Theologica ad Deum Opt. Max. pro felici huius operis auspicio. Epistola dedicatoria ad Carolum. 8. Francorum Regem, vbi plura de Gallorum moribus & gestis, deque officio boni principis disputat.

Alia epistola dedicatoria: in quibus multa ex Philosophiæ penetralibus, de antiquorum portentis & miraculis depromit.

Orationes tres, in quibus comparantur tres principales totius Orbis secta; quarum 1. habet Christi vitam, & fidei nostræ præstantiam. 2. Moysis instituta & mirabilia. 3. Mahometi vitam, & legum eius deliramenta,

Vitæ,

Vita & mores omnium Romanorum Pontificum, & quo in statu sub quolibet, Respublica Christiana fluctuaverit.

Epistola CCLXXIX, quarum qualibet, in se continet.

1. *Historiam aliquam remotiorem, ex Græcis vel Latinis scriptoribus.*

2. *Membrum, vel partem aliquam in humano corpore, morbosque eius, & remedia, à vertice usque ad plantam pedis.*

3. *Locorum eorum ex Cosmographia descriptionem, quibus in epistolis utitur.*

4. *Vt plurimum, secretum aliquod ex magia naturali.*

In ultimo vero libro Astronomia, Chyromantia, & Physionomia mathemata, & experimenta docentur, minime vulgaria.

Est etiam insertum, Breviarium Dulcinii Presbyteri, super singulis tum epistolis, tum aliis capitulis.

Item, Regesta duo secundum ordinem alphabeti, quorum alterum, Nomenclaturam Pontificum: Alterum verò totius operis materiam filiatim & absque negotio insinuat. Hæc omnia in frontispicio.

Cæterum, Reuerendissimus Caramuel, in Theologia Regulari lib. 1. dist. 34. n. 340. huius Authoris mentionem faciens, affirmat, illum in scientiâ naturali ita excelluisse, ut omnes debeant ei fasces submittere. Floruit autem anno 1490. Fuitque nepos ex fratre Ioannis Simonetæ, qui scripsit libros 3. de rebus gestis Francisci Sfortiæ, Ducis Mediolanensis. Vide etiam auctarium Auberti Miræi, de scriptoribus Ecclesiasticis, cap. 528. Seguinum, in Bibliothecâ, & Symonem Carpentarium, Parisiensem, in Epistola liminari, libri 1. Epistolarum Dathi. An verò præter hæc aliud quidpiam scripserit, nondum comperi.

Opus tamen memoratum Bonifacij, *de persecutionibus*, translatum etiam est in linguam gallicam, per Octavianum de S. Gellais, Episcopum Angolismensem, & Parisiis impressum, hoc titulo: *La persecution de L'egl se, & des S[illegible] rains Euesques, translate per Octavian de S. Galais*, & c. in 4. Extat huius editionis exemplar in Bibliothecâ Regiâ Parisiis, impressione antiqua in pergameno, teste L'abbeo, in Supplemento 9. n. 129.

Brando. Vide infra Ioannes Brando.

Buchardus, Abbas Balernæ, & posteà, Bellæ-vallis, in Comitatu Burgundiæ, scripsit *Caput 14. & ultimum libri 4. vita Sancti Bernardi*, conscripti à Guillielmo Sancti Theodorici: quod caput rectè dici posset, *Præfatio ad dictum librum.* Extat etiam eius *Epistola ad Nicolaum Monachum* (posteà Sancti Bernardi notarium) dum relicto Ordine Cluniacensi, Claram-vallem initiare deliberaret. Ex quibus opusculis, patent eius doctrina, & acre ingenium.

Scripsit & alia quædam, de quibus Sanctus Bernardus, epistola 146. (quam ad illum scripsit) tale perhibet testimonium. Ignitum eloquium tuum vehementer. & ignitum illo igne, quē Dominus misit in terrâ; Legi illud, & concaluit cor meū intra me. Benedixi illi fornaci ex qua huiusmodi scintillæ evolassent. Nonne cor tuum ardens erat, dum illa dictabas? Bonus homo, de bono thesauro suo profert bona. Si laboravi in te, uti tu humiliter memoras, non me piget &c. Huius Buchardi opuscula plura recensent antiqui Catalogi librorum Abbatiæ Balernensis, ut scribit Iongelinus in notitijs suis. Ego tamen Catalogos hos assequi non potui.

Buelliensis Monasterij in Hybernia, Monachus Anonymus, appendicem adiecit Annalibus rerum Connacensium, usque ad annum 1253. quo vixit tempore. Liber M.S. extat in bibliotheca Golloniana, Iacobus Waræus, Tract. de scriptoribus Cisterciensibus in Hybernia, referente R. Patre

Guar-

Guardiano Recollectorum Hybernicorum Lovanij.

C.

Caducanus, Abbas Landefidensis, Ordinis Sancti Benedicti, veterum Britanniæ Regum sanguine oriundus, Frater Ottreoli, Galvetorum Principis, vir egregiè doctus, & ob omnium scientiarum, maximè Theologicarum notitiam, valde celebris, ut Cambriæ Annales testantur. Qui anno 1215. Ecclesiæ Bangorensis Episcopus consecratus est: sed cælestis contemplationis amore tactus, anno 1236. de licentia Gregorij Papæ 9. Episcopatu se abdicans, in Dorensi Monasterio, Cisterciensibus se aggregavit, ubi reliquum vitæ in sanctis meditationibus, & diurnis ac nocturnis psalmodiis, consumpsit, & post mortem, honorificè tumulatus est, hos pios ingenij fœtus post se relinquens: *Speculum Christianorum, lib. 1. Dominus in Euangelio dicit, qui ex Deo est &c. Homiliarum librum 1. & alia quædam.* Vide Pitsæum, Seguinum & Iongelinum in Purpurâ Sancti Bernardi. Obiit sanctitate clarus, cuius intuitu, Menologio Cisterciensi adscriptus est 18. Iunij. De hoc etiam agit Harpsfeldius, centuriâ 13. cap. 30. in fine.

Cæsarius, vulgò cognominatus Heisterbachensis, novitiorum instructor, & postmodum Prior Monasterij Vallis Sancti Petri, vulgò Heisterbah, Diœcesis Coloniensis, iuxta Bonnam, vbi anno 1199. monasticam vestem induerat, & posteà, pietate & doctrinâ celeberrimus enituit. Scripsit plurima, ex quibus impressa extant sequentia:

Libri 2. in gratiam novitiorum, simplici & aperto sermone conscripti, de vitiis, miraculis, & exemplis virorum ac mulierum sanctitate illustrium, sui temporis, Monachorum præsertim, ac Monialium Ordinis Cisterciensis. Coloniæ 1591. & alibi sæpius. *Homilia, seu conciones eius morales, super omnes dominicas, & festa totius anni* Quas in 4. partes distributas. Coloniæ typis Petri Henningij, anno 1615. publicavit Ioannes Andreas Coppenstein, Ordinis Sancti Dominici, titulo, *fasciculi moralitatis.* in 4o.

Libros eius 3. de vitâ & miraculis Sancti Engelberti, Coloniensis Archiepiscopi, & martyris, completos anno 1237. primò edidit Surius; & nuper iterum R. D Ægidius Gelenius, ad Sanctum Andream Coloniæ Canonicus, vnà cum notis, & auctario, à se illustratos, anno 1633. Hæc sunt quæ hactenus impressa cognovi.

Præter quæ, extant Coloniæ (testibus Montalbo, & Draudio, in Bibliothecâ suâ) *Commentaria ipsius M. S. in Syracidem, seu Ecclesiasticum, libris 9. distincta.*

Item in Cœnobio Veteris montis, *Chronicon Episcoporum Coloniensium.*

In collegio Societ. Iesu Brugis, *Dialogus inter capitulum, monachum, & novitium.*

Dicitur quoque extare in Cœnobio Bonæ-Spei, Ord. Præmonstrat. in Hannoniâ volumen sermonum ipsius ad Monachos, sed credo esse Cæsarij Arelatensis Episcopi. Libri miraculorum eius extant in Cœnobio Alnensi. Cæterum, omnia sua scripta ipsemet recenset in epistola quâdam ad Petrum Priorem loci S. Mariæ, quæ *fasciculo moralitatis* iam dicto præfixa legitur, hoc tenore:

I. Primo omnium in adolescentia mea, paucis admodum sermonibus prælibatis, ad exercendum me, *super verba Ioannis, vbi in Apocalypsi dicit: Signum magnum apparuit in cælo, mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius, & corona stellarum 12. in capite eius: scripsi libros duos*, septempliciter eundem versiculum exponens. Huius opusculi prologus sic incipit. *Licet hæc clausula à Doctoribus catholicis, multifariè, multisque modis sit explanata*, &c.

II. Insuper, *super verba eiusdem Ioannis, ubi dicit, circa principium Euangelij sui, Verbum Caro factum est, & habitauit in nobis*, scripsi sermonem vnum, ex singulis litteris verbi significati sacramentum eliciens, quem homilijs de festivitatibus sanctorum inserui.

III. Item, *super locum illum Salomonis, vbi dicit: Oritur sol, & occidit, & ad locum suum revertitur: scripsi sermones duos, vnum allegoricè, alterum moraliter.*

IV. Item, *super verba Salomonis, ubi dicit: Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas 7. scripsi sermonem unum, de Theologia, qui sic incipit. Triplex est sapientia*, &c.

V. Item, *super verba Abacuch, vbi dicit: Elevatus est sol, & luna stetit in ordine suo; scripsi sermones duos, unum allegoricè, alterum moraliter.*

VI. Item, *super verba illa libri Iudicum: Stellæ manentes in ordine & cursu suo pugnaverunt contra Sisaram: scripsi sermones duos; unum allegoricè, alterum ad Monachos.*

VII. Item, *de statione solis sub Iosue; & de regressu solis sub Ezechia; & de obscuratione solis in passione Christi, scripsi dialogum modicum, philosophicè.*

VIII. Item, *super verba libri Regum, ubi scriptum est: Et invocavit Isaias dominum, & reduxit umbram per lineas, quibus iam descenderat in horologio Achaz, retrorsum decem gradibus : scripsi sermonem unum*, qui sic incipit: *In hac figura latent divinæ incarnationis sacramenta.*

IX. Item, *super sequentiam illam solennem : Aue præclara maris stella; scripsi expositiunculam unam.*

X. Item, *super psalmum , Fundamenta eius in montibus sanctis, scripsi sermones septem,*

XI. Item, *de præcipuis solemnitatibus totius anni, scripsi sermones multiplices, in capitulo recitandos.*

XII. Item, *super Salomonis canticum, quod cecinit in laudem mulieris fortis, scripsi ad honorem Dei Genitricis sermones* 22. Vbi super versiculum illum, *Quæsiuit lanam & linum*, putans ita esse in textu posui, *Iubetur morte mori, quisquis induerit vestem lanâ linoque contextam*: quod & correxi.

XIII. Item, *super 14. tempora Salomonis: tempus nascendi, & tempus moriendi, &c. scripsi Sermones 14. servato ordine solemnitatum*; ita ut primus sermo sit de Adventu Domini; ultimus vero de omnibus Sanctis. Huius operis præfatio sic incipit: *Omnia tempus habent*, &c.

XIV. Item, *super verba illa Ecclesiastici, ubi dicit: Altitudinis firmamentum, pulchritudo eius; vsque ad illum locum: vide arcum, & benedic qui fecit illum, scripsi sermones vndecim.* Huius operis præfatio dirigitur ad Godefridum Priorem de Bergis.

XV. Item, *super verba illa Domini, Accepit Iesus panes, & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus, scripsi sermones 2. vnum allegoricè, & alterum moraliter*, 15. genera panum ex ijsdem verbis eliciens, & totidem præcipuis solemnitatibus anni eosdem sermones adaptans.

XVI. Item, *ab illo loco euangelij, Angelus Gabriel missus est ad Mariam, usque ad eum locum, ubi Salvator vertit aquam in vinum, servato ordine historiæ, edidi homilias morales* 18. Huius operis prologus est: *Fasciculus Myrrhæ dilectus meus mihi*, &c.

XVII. Item, *scripsi dialogum magnum visionum, atque miraculorum. Huius, libri sunt* 12. Prologus sic incipit: *Colligite fragmenta ne pereant.*

XVIII. Item, *ab eo loco, ubi Dominus ad nuptias veniens aquas convertit in vinum, usque ad ultimam Dominicam Adventus, super omnes lectiones dominicales euangelij, scripsi homilias morales, numero* 64. Huius operis Prologus sic incipit: *Botrus Cypri dilectus meus mihi.*

XIX. Item, *scripsi actus, passionem, & miracula Domini Engelberti Coloniensis Archiepiscopi.* Huius operis epistola ad successorem eius, Dominum Henricum Antistitem dirigitur. *Huius operis meminit Molanus in annot. ad Martyrologium 7. Nouembris.*

XX.

XX. Item, *super lectiones Euangelij, quæ leguntur per circulum anni, in festivitatibus Sanctorum, in quibus 12. lectiones habentur in ordine nostro, scripsi homilias morales* 33. Huius operis prologus sic incipit: *Iacob diligebat Ioseph, super omnes filios suos.*

XXI. Item, *super verba Salomonis in Canticis Canticorum, ubi dicit: Quæ est ista quæ progreditur sicut Aurora consurgens, &c. scripsi ad honorem Dei Genitricis Libellum vnum.* Huius operis prologus dirigitur ad Alardum presbyterum & Monachum.

XXII. Item, *de transfiguratione Domini, scripsi homilias duas; vnam sub typo dialogi allegoricè, alteram moraliter.* Huius operis præfatio est ad Hermannum Priorem de Claustro.

XXIII. Item, *scripsi super passionem Domini secundum omnes Euangelistas, homilias morales* 8. Huius operis prologus destinatur ad Petrum, & Alexanrdum, Priores,

XXIV. Item, ad petitionem cuiusdam Henrici Clerici, *scripsi quasdam orationes cum collectis, super horas canonicas.*

XXV. Item, *scripsi contra hæreticos huius temporis, & errores eorum, dialogum unum.*

XXVI. Item ad petitionem Domini Conradi, quondam Abbatis de loco S. Mariæ, *ad honorem eiusdem Virginis exposui psalmum* 23. Item, *psalmos* 44. 47 84. & 147.

XXVII. Item, *scripsi volumen diversarum visionum & miraculorum, libros* 8. Huius prologus sic incipit: *Qui infirmius est, olus manducet.*

XXVIII. Item, *super psalmum, exaudiat te Dominus: scripsi librum unum,* cuius est prologus ad Cunonem monachum.

XXIX. Item, *scripsi epistolam satis longam, contra hæresin de Lucifero,* ad petitionem Ioannis Tortoris hæreticorum.

XXX. Item, *scripsi homilias euangelicas super ferias quadragesimæ, num,* 36. *nam de transfiguratione duas, & super passionem Domini 8, dudum scripseram.* Huius operis prologus ad Efferindum monachum Clari campi destinatur.

XXXI. Item, *super psalmum, Beati immaculati, Sermones* 22. Huius operis præfatio sic incipit: *Diu est, quod psalmum* 125. *exponere cogitaveram, à fratribus rogatus.* Primus autem sermo sic incipit: *Vt ait in expositione suâ Cassiodorus.*

XXXII. Item, *scripsi super Cantica graduum expositionem satis prolixam.* Huius operis prologus sic incipit: *cum ad petitionem fratrum, psalmum* 118. *exposuissem: videlicet, Beati immaculati &c. & eandem expositionem disciplinæ regulari, & maxime ordini nostro prout placuit, adaptassem, &c.* Primus autem psalmus sic incipit: *Titulus huius psalmi est, Canticum graduum, quo titulo psalmi subsequentes prænotantur.*

XXXIII. Item, exposui psalmum, *Credidi propter quod locutus sum,* de Sancto protomartyre Stephano.

XXXIV. Item, *descripsi vitam B. Elisabeth Lantgraviæ,* ad petitionem fratrum domus Teutonicæ de Marpurgh, quæ sic incipit: *Venerabilis Elisabeth.*

XXXV. Item, *scripsi sermonem de translatione eiusdem,* qui sic incipit: *Non potest civitas abscondi super montem posita.*

XXXVI. Item *scripsi super Ecclesiasticum* 9. *Libros.* Ex quibus 1. sic incipit: *Cupiens vir prudens, ad ædificationem posterorum, aliquid exemplo Salomonis de sapientia scribere sapienter; & hoc ex propriis viribus fieri non posse recognoscens, omnem sapientiam à Deo esse confitetur; utpotè totius sapientiæ authore.* Capitales litteræ librorum coniunctæ, nomen dictante repræsentant,

Floruit Cæsarius circa annum 1200, quo tempore à Carolo Villariensi Abbate 8. evocatus Prioratum ibidem administravit: resignante autem Carolo Abbatialem dignitatem, Cæsarius quoque ad professionis locum reversus est, ubi anno 1222. Dialogorum libros absolvit

scriptoribus ordinis nostri adcensuit, me non debuisse eundem hic excludere; præsertim quod viri sanctitas postulare videatur; ne vel minimum pietatis monumentum, ab illo scriptis mandatum, à posterorum excidat memoria.

Capitulum generale Cisterciense, constitutione pluribus annis, pro bona Ordinis gubernatione Cistercij latas, & à diuersis Pontificibus approbatas, an. 1490. *Diuione impressum curauit.* Habentur etiam eædem constitutiones M. S. in omnibus ferè Monasterijs Ordinis. Eas ego Dunis sæpius legi, immò & in compendium à me redactas adhuc asseruo.

Cari-campi Cœnobij in Belgio, Religiosi quidam anonymi, conscripserunt *insigne chronicon Monasterij sui, quod omnibus Belgij chronographis (maximè Artesiæ) solet esse familiare.* Ex quo (inter alios) plura desumpsit Ferreolus Locrius, quæ chronico suo Belgico inseruit: nominatim, quoad gesta Clarissimorum Comitum Sancti Pauli, quorum plurimi in hoc Cœnobio sepulti iacent; prout etiam Duces aliquot Vendocinenses. De quibus propterea sequentes ibidem leguntur versus, quos pariter Locrius refert:

Clara domus multos condit tellure sepultos,
Paulinos Comites, Vendomiosque Duces.

Est autem Cari-campi Monasterium in finibus Artesiæ situm, quod anno 1137. ab Hugone Sancti Pauli Comite fundari cæptum, Monachos cum primo Abbate recepit ex Pontigniaco, anno demum 1141. quo propterea in omnibus antiquioribus Ordinis chronologijs recensetur, vt rectè notat Reuerendissimus Manriquez, tomo 1. annalium Cisterc. ad hunc eundem annum. Id quod specialiter hic adnotandum duxi, quia recentiores quædam Chronologiæ, ad annum 1137. illud (malè) referunt. Nam etiam Miræus in Chronico Cisterciensi, fol. 104. apertè testatur, antiquum Cari campense Chronicon quod apud se habuit Locrius, referre, cænobium hoc demum fuisse constructum anno 1141.

Carolus Borlutus, vid. Gerardus Borlutus, sic enim vocabatur, & non Carolus pro vt per subreptionem posui in primâ editione.

Carolus à S. Maria, prior Monasterij S. Bernardi, in suburbano S. Honorati Parisijs, scripsit *tractatum de viris sanctitate illustribus, congregationis Fuliensis, Ordinis Cisterciensis*: quem sæpissimè citat, imò ferè totum Menologio suo passim inseruit Henriquez.

Carolus Mydelton, natione Anglus, sed Ordinem nostrum Cisterciensem professus in Prioratu Sancti Saluatoris Antuerpiæ, vbi auorum Nobilitati ac virtuti, moribus optimè respondens, omnibus se valdè amabilem reddit. Typis præparauerat, *Librum consolatorium, Infirmis ac Moribundis valdè vtilem, ex optimis authoribus collectum*, teste Auberto vanden Eede, Bibliothecæ ecclesiasticæ Auberti Miræi, parte 2.ª cap. 236. At mors interveniens, hominem abstulit, &(vt intelligo) impressionem impediuit. Obijt anno 1650. 12. Martij.

Carolus à Sancto Paulo, ex Abbate, & Superiore Generali Congregationis Fuliensium, Ord. Cisterc. circa annum 1642. nominatus à Rege Galliæ Episcopus Abrincensis, Vir fuit non minus prudentiæ & virtutis commendatione, quā omnigenæ eruditionis & eloquentiæ, laude clarissimus, qui (vt testatur Petrus à Sancto Romualdo in epistolâ dedicatoria tomi 1. sui thesauri chronologici) *plura scripsit illustria opera, quæ sunt insignes thesauri eloquentiæ doctrinæ, & pietatis.* Ex his, reperi sequentia:

Geographiam sacram, siue notitiam Episcopatuum Ecclesiæ vniuersæ: Impressam Parisijs anno 1641. apud Sebastianum Cramoisij, cum tabulis æneis.

Tabulam eloquentiæ Gallicè impressam Parisijs, 1632. in 8 gallicè. In hoc opere ostendit Author, 1°. in quo consistat perfectio benè discurrendi & scribendi. 2. agit de verbis & periodis boni discursus. 3. de stylo, 4. de partibus alicuius discursus. 5. de inuentione, & materia ad ampliandos discursus. 6. de ornatu, & Maximis quibusdam necessariò obseruandis in omni bono discursu.

Templum felicitatis. Opus est, ornatum varijs & curiosis Iconibus, repræsentantibus omnia & singula, quæ hominem possint reddere verè felicem in hac vita: quæ postmodum excellentibus discursibus exponuntur, quibus ostenditur veram hominis felicitatem in hoc mundo consistere, in perfectione & tranquillitate spiritus, qua per veram contemplationem, & amorem, Deus ipse possidetur, &c. Quia autem hæc felicitas & tranquillitas spiritus per passiones varias turbatur, ideò fusè agit Author, de passionibus animæ, seu spiritus. Prodijt Parisijs, in magno 4. dedicatum Regi Galliæ, anno 1630. apud Claudium Cramoisij. Reliqua huius Authoris opera ad notitiam meam non peruenerant.

Carolus de Visch, huius libri Author, Furnis in Flandria, natali solo, humanitatis studijs absolutis, & Duaci postmodum Philosophiæ emenso stadio, Monasticum Ordinis Cisterciensis habitum indui in Monasterio de Dunis, anno 1618. Hinc rursus anno 1621. ad Theologiæ studium Duacum transmissus, anno 1625. Baccalaurei formati titulo ibidem insignitus fui. Anno 1629. vnà cum alio Monasterij nostri Religioso, in Germaniam directus, (ad petitionē R. Abbatis Campensis, Vicarij Generalis per tractum Rheni) Theologiam moralem docui in Monasterio Ebirbacensi, Moguntinæ Diœcesis apud Rhingoios: vbi conscripsi, & Religiosis prælegi.

Tractatum amplum, in plures distinctiones subdiuisum, de voto, & voti relaxatione. In quo fusè egi de votis Monasticis.

Itē *de Sacramentis in Genere, de Baptismo, Confirmatione, Eucharistia, & de Missâ, ac de Pœnitentiâ, pro parte.* Quam tractationem perficere non potui, ob dispersionem Conuentus Ebirbacensis, per Suecos Imperii vastatores.

Scripsi adhuc in Germania residens. *Tractatum breuem de Legibus.* Item *alium, de Iustitiâ, & Iure.* Quæ omnia adhuc penes me habeo M. S.

Historiam etiam Monasterij Ebirbacensis, cum serie continuâ omnium Abbatum: cui inserui fundationes breues aliorum aliquot Monasteriorum, quæ ex Ebirbaco prodierunt; vt, Sconaugiæ, in Palatinatu Electorali; Otterburgi, in Palatinatu inferiori; Montis Sancti Disibodi, in Ducatu Bipontino; & Castri Aquilæ, seu, Arensburgh, in VVetterauia. Cuius historiæ copiam nonnihil contractam, tradidi Gaspari Iongelino, qui eandem edidit de verbo ad verbum, Coloniæ, in notitia Abbatiarum Ordinis Cisterciensis. intantum, vt cum agens de 2. Abbate, dicerem me de illo fusius agere in historia mea Ebirbacensi, eadem verba repetat, cum tamen ipse historiam illam nunquam viderit, sed ego à me compositam adhuc apud me habeam M. SS.

In Belgium redux, conscripsi *historiam Abbatiæ Thosana, eiusdemque vnionem cum Episcopatu Brugensi, & eodem rursus separationem.*

Fundationem item prioratus VVaerschotaui, in Diœcesi Gandensi, cum serie omnium Priorum. Nec non, &

Fundationes, ac progressus, cum serie omnium Abbatissarum, Monasteriorum Sanctimonialium Speculi B. Mariæ, vulgò, Groeninghe, in ciuitate Cortracensi; & Vallis Cœli, in ciuitate Dixmudana. Has quatuor fundationes, seu breues historias, edidit sparsim suis locis, in auctario ad tomum 3. Flandriæ illustratæ, Antonius Sanderus, Canonicus, & Schola-

Scholasticus cathedralis ecclesiæ Iprensis.

Scripsi etiam lingua Flandro-belgica, *opus amplum pro instructione religiosorum, in 3. vijs perfectionis (purgatiua, illuminatiua, & vnitiua) distinctum 25. concionibus prolixis (quibus posteà adieci 5. alias.)* Quod M.S. extat apud me, & pro maiori parte apud Moniales Vallis Cœli, Dixmudæ, quibus per annos 12. continuos fui à sacris confessionibus, & spirituali directione.

Præterea, *Vitas BB. Ligerij, & Fulconis, primorum Abbatum, & fundatorum Cœnobij nostri de Dunis, à Chrysostomo Henriquez breuiter conscriptas Hispanicè, ad antiqua monumenta domus nostræ collatas, pluribus in locis emendaui, notabiliter auxi, ac Flandricè reddidi*, in gratiam quoque sanctimonialium Vallis Cœli, apud quas asseruantur M.S. *Conscripsi etiam latinè, vitam R. Adm. Domini Adriani Cancellier Abbatis Dunensis 39.* quam imprimi feci Brugis typis Nicolai Breigelij. 1655.

Vitas quoque B. B. Eberardi de Commedâ, & Kibardi de Frisiâ Monachorum Ordinis nostri Sanctuatis opinione illustrium, ex M. SS. codicibus antiquis eruit, & publicaui. Ibidem vt suprà.

Alani magni de Insulis, Doctoris Vniuersalis, Opera Moralia, Parenetica, & Polemica, tineis & blattis erepta recognoui, variéque illustraui, & tandem anno 1653. publicaui. Antuerpiæ, typis Guillielmi Lesteinij. in folio.

Bibliothecam hanc Scriptorum Sacri Cisterciensis Ordinis, magnis laboribus & sumptibus concinnatam, excudi primò feci anno 1649. Duaci typis Ioannis Serrurier in 4. Cui subiunxi *Chronologiam antiquam Monasteriorum Ordinis nostri, à me completam*. Paulatim plura daturis, si vitam & sanitatem conseruare, dignetur Deus.

NOTA.

Porrò erunt fortè, quibus displicebit, quod propria bis scripta recensuerim, & meipsum scriptoribus ordinis adnumerauerim: at immeritò, quandoquidem communiter omnes tam veteres, quam recentiores, simile scripti genus pertractantes, idem pro more semper habuerint, meque in hoc praiuerint, vt patet in Diuo Hieronymo, Gennadio, Honorio, Sigeberto, Trithemio, Syluestro Maurolyco, Petro Ribadeneira Societ. Iesu, Theodoro Petreio, Carthusiano, Ioanne Pitsæo, Antonio du Verdier, Chrysostomo Henriquez, Valerio Andrea, Antonio Sandero, & alijs plurimis, etiam nostri ordinis, vt huius libri beneuolus lector deprehendet. Accedit, quod passim alios etiam adhuc superstites, ad bibliothecam hanc adscripserim, ideòque iure potuerim meipsum non excludere. Denique per hoc Superiores, alijque confratres, temporis à me expensi rationem habebunt.

Casa Marij, clarissimum est Cœnobium Italiæ, haud longè à Ciuitate Verulanenensi, anno 1605 fundatum pro Benedictinis nigris, sed anno 1146. Cisterciensibus attributum, ex quo, innumeri, ferè, viri sanctitate & doctrina illustres prodierunt: *Quorum pleraque adhuc litteraria monumenta, omni disciplinarum genere referta, in ipsius Cœnobij Bibliotheca conseruantur*, aut saltem, ab annis aliquot extiterunt, vt testatur Author cuiusdam antiqui Chronici, apud doctissimum Vghellium, *Italia Sacra, tomo 1. inter Episcopos Verulanenses, fol.* 290. Cuius Chronici verba, cum eximiè commendent doctrinam & sanctitatem Monachorum eiusdem Cœnobij, visum fuit hîc attexere: *Sacri huius Monasterij Casæ-marij, litteris & sanctitate florentissimi præconia recensere, haud poterit nostri breuitas instituti.*

Scimus enim quam plurimos Miræ sanctitatis famæ Monachos germinasse, innumerosque in omni disciplinarum genere exindè eruditissimos pullulasse. (a) *Asseruantur enim in vetustissima loci illius Bibliotheca volumina Manuscripta, præcipuos Sacræ Scripturæ libros, tum noui, tum veteris testamenti, studio Monachorum expositos, continentia.* (b) *Ad Monachos huius*

F ius

(a) Nota. (b) Insigne encomium Monachorum Casæ-Marij.

Bernardum. Imo Iongelinus in Purpurâ S. Bernardi, scribit hunc Pontium anno 1170. fuisse creatum Episcopum. Vndè à fortiori, &c. Adeò vt de epistolæ Arnsburgensis sinceritate meritò possit dubitari.

N. Cauillier, Monachus Boni portûs, typis commisit *insignem orationem panegyricam, in honorem Reuerendißimi Cistercienßis Abbatis moderni*, anno 1646. Relatio Reuerendi & Eximij Domini Claudij Chalemot, modò Abbatis de Columbâ.

Chrysostomus Cabero, Vir acutissimi ingenij, Vallisecclesiarum monachus, S. Theol. Doctor, fuit quandoque sui cœnobij, acetiam Complutensis collegij Abbas; & post professionem Philosophiæ priuatam, in eadem Complutensi Vniuersitate primum Philosophiæ moralis professor; indè ad Cathedram sacrorum bibliorum promotus; tandem primariam Scoti summo omnium plausu adeptus est.

Edidit *Dialecticam*, seu, *summularum recapitulationum Libros* 3. Vallisoleti apud Ioannem Baptistam Baressium, anno Domini 1613.

Commentaria insuper in vniuersam Logicam Aristotelis, tractatus septem. Ibidem apud eundem. Item:

Commentaria in 8. *libros Physicorum.* Item, *In libros de Anima & de Generatione*, quibus totum Philosophicum cursum compleuit, cum insigni profectu Iuuentutis Complutensis. Scripsit insuper, & prælo nunc adaptat.

Volumen magnum Consiliorum moralium. Opus egregium, & quod in omniũ est votis, eo quod Author, ob felicitatem in nodis & difficultatibus conscientiæ dissoluendis, in summa, apud doctissimos quosque veneratione habeatur, interim, scholastica quoque studia continuans, *Commentaria iam compleuit in* 1. 2. *diui Thomæ*, quorum publicationem hactenus impediuit aduersa eius valetudo. Superest etiam adhuc hoc anno 1649. Relatio Hispanica quæ suprà, Ildefonsi Perez, & Henriquez, in Phœnice.

Chrysostomus Henriquez, Mantuæ Carpentanorum anno 1594. natus, post absoluta humanitatis studia, anno ætatis 13. nondum completo, habitum Religionis induit in Hortensi monasterio; in quo, peracto triennali nouitiatu, professionem solemnium votorum emisit, anno ætatis 18. Philosophicis studijs imbuendus ad Meytense destinatur collegium. Interim tamen, cum animus ad historias, præsertim ordinem concernentes) propenderet, horis intercisiuis *Meytensis cœnobij historiam concinnauit.*

Cursu philosophico iam completo, ad Montis Ramorum theologicum mittitur studium; vbi pariter (ex diuersis fide dignorum relationibus ex Hyberniâ transmissis) *Beati Candidi Furlongij vitam conscripsit.*

Theologicis studijs sufficienter instructus, ad parentum, & fratrum suorum instantiam (Bruxellis in aula Archiducis Alberti degentium) ab ipso eodem Belgarum Principe in Belgium euocatur. Cuius petitioni nolentes reluctari cõgregationis nostræ Hispanicæ Superioris, illũ protinus miserunt. Hîc, salutatis parentibus, statim ad studia sua reuersus, celebriora ordinis monasteria visitauit. Bibliothecas, aliaque antiqua monumẽta auide excussit, vbi fertilissimam reperit messem proposito suo accommodam. Nõ omisit in plurimorum doctrina & pietate celebrium virorum notitiam & familiaritatem se insinuare: quorũ aliqui magno illi subsidio fuerũt, maximè in Dunensi nostro Monasterio, vbi certatim omnes, quodcunque possibile fuit, adiutorium illi impendimus; quidã antiquos Bibliothecæ codices euoluendo; alij, vsui accommoda annotando; alij denique, inuenta & adnotata distribuendo: adeò vt ipse Venerabilis Dominus, in Phœnice reuiuiscente, parte 2. cap. 30. expressè fateatur. *Pro maxima parte, Prelatis &*

ciensis cum annotationibus Hispanicis, Dominæ Elizabethæ de Luna, authoris nouercæ inscriptas. anno 1624. Apud eundem, in folio patente.

Annotationes, seu, *Compendium vitarum earundem, gallico idiomate*: Reuerendo admodum Domino, D. Bernardo de Montgaillard, Abbati Aureævallis.

Apud eundem.

Annotationes Theutonicas in easdem effigies.

Ibidem apud eundem.

Kalendarium Ordinis Cisterciensis, siue Sancti & Beati eiusdem Ordinis, secundum dies natalitios ipsorum, per totum annum.

Bruxellis apud Hubertũ Antoniũ, an. 1620.

Miracula nostri temporis, libros 2. in 4°. *M. S. Preces, orationes, & Litanias ad S. Iosephum, idiomate Hispanico.* Bruxellis, in 12°. anno 1624. apud Ioannem Pepermannum.

Paradisum Ordinis Cisterciensis. In quo eiusdem ordinis Pontifices, Cardinales, & alij viri dignitatibus ecclesiasticis clari, Reges, Reginæ, Principes & Infantes sancti & beati, Martyres & Virgines, secundum statum & dignitates suas: Ordines militares & Monastici, qui sub nostro militant instituto: Pontificum, & Regium priuilegia Ordini Cisterciensi concessa; & multa alia, quæ ad Cisterciensium gloriam faciunt, mirabili modo exponuntur. Opus quidem laboris immensi, sed necdum excusum, Reuerendo Patri Adriano Cancellier, Abbati Dunensi dicatũ, seruatur Dunis. *Hoc opus iam periit, vtpote quod solummodo in patenti vastissimâ chartâ delineatum calamo, vix diu seruari potuit. Vidi illud integrum, & lacerum.*

Solem Cisterciensem in Belgio, siue, de viris sanctitate conspicuis, qui virtutibus & miraculis claruerunt in sacra Villariensium eremo; cum eorundem Beatorum vitis compendiose scriptis, & excusis in folio, Bruxellis apud Hubertum Antonium, an. 1622.

Arborem Martyrum Ordinis Cisterciensis, in mano folio patente sculptam 1622.

Bernardum Immaculatum libros 2. *in* 8°. In quibus de eiusdem Doctoris certa opinione circa Deiparæ conceptionem, S. Ioannis iustificationẽ in vtero materno, & animarum beatitudine antè vniuersalẽ corporũ resurrectionẽ, agitur.

Bruxellis in 8°. anno 1624. apud Ioannem Meerbecium.

Triumphum amoris diuini, librum Rythmis Hispanis conscriptum, titulo, præfatione, dedicatoria, & annotationibus illustrauit, & in varia capita diuisit, in quorum singula, scripsit argumenta, & excudi curauit.

Bruxellis in 8°. apud Meerbecium, 1624.

Apologeticum tractatum Hispanicè, pro epistola S. Patris nostri Bernardi, ad Canonicos Lugdunenses, in 4°. M. S.

Vitam B. Idæ de Louanio in æs incidi curauit, in folio, 1623.

Summarium præcipuarum constitutionum militiæ Cisterciensis de Calatraua: & formam, qua eiusdem ordinis milites, horas canonicas legere debent, lib. 1. Excellentissimo Comiti de Gondomar, Didaco Sarmiento de Acuna, illius ordinis professo, dicatum. Excusum Bruxellis, apud Ioannem Pepermannum, 1626. in 16°.

Apologeticum tractatum pro Benedicto XII. Summo Pontifice, ex Ordine Cisterciensi assumpto. Bruxellis apud eundem, 1623.

Vitas sanctorum Patrum Eremi Dunensis, lib. 2. In quibus præsertim de B. Idesbaldi 3. illius solitudinis Abbatis angelica conuersatione, felici transitu, & miraculosa inuentione, sub adm. R. Patre Bernardo Campmans, Abbate Dunensi. Serenissimæ Hispaniarum Infanti Elizabethæ Claræ Eugeniç dicatos. Bruxellis in 4°. apud Ioannem Meerbecium, anno 1626.

Lilia Cistercij, libros 6. in tomos 3. diuisos, in folio, & sub prælo apud Ioannem Meerbecium.

In quibus vitæ sanctarum Virginum Ordinis Cisterciensis ad longum describuntur. Nota: *Cum author huic operi fuisset immortuus, impressor ab impressione destitit, quam cum posteà anno 1633. resumpsisset Balthazar Belerus Duacensis typographus, edito tomo 1. continente duos priores libros, vlterius non est progressus: adeò vt 4. posteriores libri (probabiliter) perierint.*

Rosas Cistercij, libros 6. in folio, M. S. Vbi Priorum, Monachorum, & conuersorum, qui miraculis & virtutibus clari, Ordinem Cisterciensem illustiarunt, gesta præclara continentur.

Ioseph Cisterciensis lib. 1. Vbi de Ordinis Cisterciensis apud Hispanos 1. reformatione, & per totum orbem futura erectione, agit; & ad id varia vtilia, & facillima media proponit M. S.

Phœnix reuiuiscens, libros 2. siue de antiquis Angliæ, & modernis Hispaniæ scriptoribus Ordinis Cisterciensis. Bruxellis apud Ioannem Meerbecium in 4°. anno 1626.

Apologiam pro S. Guillielmo Aquitanorum Duce, qua docetur hunc fuisse Cisterciensem, & non Augustinianum. Bruxellis apud eundem.

Opuscula item aliquot Domini Iacobi Maxvelli à Kirconel, nobilis Scoti, antiquarij historici, & genealogistæ regalis, è Latino in Hispanicum conuertit, quod pro coronæ Hispanicæ, & Austriacæ domus illustratione, à dicto Authore conscripta esse constaret. Nimirum: *Albion Ibera*, id est, *Summa historica, politica, genealogica, motiuorum amicitiæ, & affinitatis inter Britannos & Hispanos*, ex occasione nuperâ tractationis de coniugio, quidem scripta, sed ob id frustratum, in lucem non edita.

Relatio eiusdem ad Serenissimos Principes Austriacæ domus, de seruitijs quæ in Angliâ fecit, tribulationibus, & damnis quæ pertulit, periculis in quæ incidit, deque libris quos scripsit pro illustratione honoris, & defensione iuris dictæ domus, & Hispanicæ coronæ. Edita Bruxellis apud Ioannem Meerbecium, anno 1624. in 12°.

Syluam Sanctorum, Arboretum Beatorum, Theatrum Heroum, Paradisum Principum, Viridarium virtutis, Hortum honoris.

Id est.

Catalogus gloriæ Hispanicæ coronæ, & Austriacæ domus, complectens *inclitissimos progenitores, & maiores istorum Principum*, per lineas masculinas, & fœmininas, triplici ordine.

Sanctos & Beatos vtriusque sexûs, ex nobilissimis Europæ familijs.

Heroicos, id est, *eiusmodi Imperatores, Reges & Principes, qui cognomentum aliquod heroicum (vti Sapientis, Boni, Iusti, Liberalis, Magni, Docti, Fortis, &c.) apud scriptores meruerunt.*

Imperiales vtriusque Imperij, & Regales 30. Regnorum, ex opere Authoris Latino, & amplo, quo genealogiam Austriacam tribus voluminibus, ratione prorsus nouâ, & singulari, à nemine antiquariorum hactenus tradita, operosè contexit, tamquam tot fragrantes flores excerptos, & in aliquot tabellas, seu horti florentis areolas digestos.

Enchiridion heroicum septem Serenissimorum Principum Austriacæ domus, nunc viuentium: nempè, Cæsaris inuicti Ferdinandi II. Regis Catholici, Philippi IV. Ferdinandi Ernesti Regis Hungariæ, Cæsaris filij: Caroli, & Ferdinandi, Hispaniæ Infantum, filiorum Regum, & Reginarum: Leopoldi, Cæsarum nepotis & fratris: & Leopoldi Guillielmi, Cæsarum pronepotis & filij, fratris Regis Hungariæ, Archiducum Austriæ.

Speculum crystalinum, & christianum, octo Serenissimarum Austriacæ domus; nempè; Margaritæ Virginis velatæ, Cęsaris filiæ: Isabellę Claræ Eugeniæ, Regis maximi filiæ, Cæsaris neptis, &c. &(quod omnes mundanos titulos superat) sancti Principis sanctæ Viduæ: Annæ Reginæ Fran-

Franciæ, Regum filiæ sororis, conjugis, &c. Constantiæ Reginæ Poloniæ, neptis & sororis Cæsarum duorum, Mariæ, & alterius Mariæ, filiarum duorum Regum Catholicorum. Mari-Annæ, & Celiciæ Renatæ, filiarum Cæsaris, sororum Regis Hungariæ &c.

Paradisum Hispaniæ sancta, seu, Hortulum floridum & fragrantem rosarum rubrarum, Martyrum, in manibus gestantium palmas rosarum albarum. Confessorum, in ore gestantium cariophylos, seu, coronarios ocellos. Liliorum montensium & hortensium, sacrarum Virginum, in sinu gestantium amaranthos Liliorum convallium, Virginum sæcularium, in sinu gestantium violas, &c Seu, *Sanctorum Hispaniæ, non quidem omnium, sed selectiorum, & antiquiorum, circiter 50. elogia, breviuscule, & quidem, ex nominum ipsorum ratione adornata*; in notitiam, & memoriam, ac pium vsum puerorum & puellarum, qui in scholis latinè, aut vernaculè discunt: quo civium suorum familiari exemplo, à teneris annis firmitudinē fidei imbibant, spineamq; & cruentam Martyrij coronam tandē adulti in novissima Antichristi venturi carnificina, propter Christum captare non recusent.

Varias denique Beatorum, & Beatarum Ordinis Cisterciensis effigies, in æs incidi curavit (scilicet Chrysostomus;) nimirum: S. Humbelinæ sororis S. Bernardi in 4°. & in 8°. S. Raymundi, Abbatis Fiteri: B. Conradi Villariensis: B. Goberti, Comitis Asperi montis: B. Bonifacij Episcopi Lausannensis B. Idesbaldi Abbatis Dunensis, in fol. B. Idæ de Lovanio, in folio, & in 4°. & in 8°. B. Simonis Alnensis, in 4°. B. Faminiani in 4°. B. Iuttæ Reclusæ: B. Elizabethæ Spalbecanæ: B. Henrici Archiepiscopi Rhemensis, filij Regis Galliæ: B. Alexandri, filij Regis Scotiæ, Conversi in Fusniaco: S. Edwigis Reginæ Poloniæ: Beatæ Gertrudis, eis filiæ: Beatarum Mariæ, & Gratiæ, sororum: B. Theresiæ Reginæ Valentiæ: B. Theresiæ, Reginæ Legionis: B. Sanctiæ Reginæ Lusitaniæ: B. Mafaldæ: ac denique S. Martini, qui communiter vocari solet Sanctus Sacerdos, fuitque Abbas Hortensis, & Episcopus Seguntinus.

Hæc omnia ipse Chrysostomus, de se & de scriptis suis, in Phœnice supra.

Porrò. post Phœnicis huius impressionem, edidit idem venerabilis Pater, omnium operum suorum longè præclarissimum, scilicet:

Menologium Cisterciense, annotationibus illustratum, &c. Opus stylo eleganti expolitum, à prolixitate alienum, sententiis necessarijs exornatum, omni eruditione plenum; impressum Antuerpiæ in officina Plantiniana Balthazaris Moreti, in fol. Anno 1630.

Subiunxit & alium tomum, in folio, continentem regulam, constitutiones, & privilegia ordinis nostri, ac congregationem Monasticarum, & militarium, quæ Cisterciense institutum observant. Antuerpiæ, eodem anno, & ex eâdem officina.

Alia meditantem, mors superveniens stitit.

Obijt Lovanij, in Alnensi Ordinis Cisterciensis collegio, anno Domini 1632. 23. Decembris ætatis suæ anno 38. professionis Monasticæ 22. sacerdotij 14. (paucis ante obitum annis, donatus titulo S. Theol. Magistri.) Sepulturæ traditus fuit in Monasterio Vineæ B. Mariæ, sanctimonialium ordinis nostri in civitate Lovaniensi. Vir fuit excellenti præditus demissione animi, de se modicè sentientis summâ ergæ Superiores ordinis observantia; miro adversus omnes candore; jucunda & facili morum elegantia, alijsq; pluribus virtutibus; quibus omnium rapiebat animos, & affectus, prout ipsemet longa experientia probè comperi, & probavi, dum Dunis nobis conviveret.

Chrysostomus Ruiz, natione Hispanus, provecta ætate litterisque humanioribus, philosophicis, & theologicis non mediocriter excul-

tus, Monasticum habitum induit in Hortensi cœnobio Vnde posteà (firmatis religionis votis) ad Monasterium Pennæ maioris transmissus, per vicinos pagos (de superiorum licentia) discurrens, populum rudem & incultum, concionando, & catechisando, in omnibus religionis catholicæ mysterijs diligenter instruxit, & ad christianæ pietatis & civilitatis terminos reducere studuit, non sine fructu notabili. Præcipua tamen illi cura fuit, sanctissimæ Virginis Deiparæ cultum, & affectum, mentibus illorum imprimere. Hinc ad professionis suæ Monasterium revocatus, novitiorum directioni deputatus fuit, quam commissionem cum omnimoda superiorum satisfactione obivit. Scripsit inter alia, *Tractatum insignem, de Prælatorum onere, & cura.* Item alium, *de præsentia Dei.* Henriquez in Phœnice.

Chrysostomus à Visitatione (quem Manriquez vocat Christophorum) Monachus illustrissimi cœnobij de Alcobacia, in Lusitania, pietatis & eruditionis eximiæ, S. Theol. Doctor, quem etiam Possevinus in apparatu sacro, non dubitavit illustribus scriptoribus adcensere; in Beatissimam Virginem Deiparam singulari ferebatur affectu; vnde *conscripsit, & publicavit elegans satis volumen, 12. libris distinctum, super verba, quæ locuta legitur SS. Virgo Maria.* Cuius operis Possevinus & Manriquez meminere. Impressum fuit Venetiis apud Iacobum Vincentium & Ricciardum Amadinum, socios, anno 1600. divisum est in 2. tomos: tomus complectitur libros 12. duos scilicet de verbis B. Mariæ ad Angelum, & decem, de verbis Dominæ ad Elisabetham cognatam suam: Fuitque hic tomus dedicatus Clementi 8. Pontifici Maximo. Tomus 2. dus seu posterior, dividitur in libros 3. quorum 1. mus est, de verbis Dominæ ad filium in Templo. 2. dus de verbis ad filium in nuptijs. 3. us de verbis Dominæ ad Ministros in nuptijs. Estque hic tomus impressus quoque Venetijs, sed compositus in Monasterio S. Martini, iuxta muros Vrbis Parmensis, in quo Author aliquamdiu habitavit, sub beneplacito Ranutij Farnesij, Parmæ & Placentiæ Ducis; cui proinde Principi hunc tomum dedicavit. Vt verò Lector intelligat, quomodò Chrysostomus ex Lusitaniâ ad hoc devenerit Monasterium, sciat illum à Superioribus Congregationis Lusitaniæ, Romam directum fuisse, pro quibusdã dictæ congregationis negotijs: at persecutionis cuiusdã tempestate agitatũ, ab vrbe recedere coactũ fuisse: quo tempore, 1o. Venetias, ac deindè ad S. Martini cœnobium se conferens, studijs & pietati se totum contulit, hosque *duos Tomos de verbis Dominæ* conscripsit, quibus in lucem datis, Romam iterum à Pontifice revocatus fuit. Vbi, & quo anno obierit, mihi non constat; certum tamen est, illum obijsse post annum 1600. Henriquez illum Menologio adscripsit, 17. 8bris & obijsse ait in Valle Ecclesiarum in Castellâ.

Christianus Monachus Abbatiæ de Eleemosynâ, scripsit *librum Visionũ suarum*, qui servari solebat apud Wilhelmitas Parisienses, ut refert Bunderius, in Indice de hoc Christiano, videndus est Henriquez in Menologio ad 27. Iulij.

Christophorus Bellista, Chalisij, seu, *Caroli loci* professus, vir in sacris scripturis studiosus & eruditus, atque in humanioribus literis, maximè verò in arte poëtica, satis feliciter versatus, ingenio subtilis, & eloquio dulcis; scripsit

Concertationem in Podagram, Lib. 1.

Sermones varios, præsertim de laudibus Divæ Virginis, & Divi Guillielmi Archiepiscopi Bituricensis, lib. 1. Item

De fundatione Domus Chalisianæ, lib. 1.

Denique, scripsit valdè fluidè, *multa anagrammata, & alia diversi generis carmina, lib.* 1.

Quæ omnia asservantur Chalisij.

Obijt

Obijt anno 1528. Philippus Seguinus eiusdem cœnobij Prior, in Bibliotheca sua M. S. quam apud me habeo.

Christophorus Borrus, natione Italus, Patriâ Mediolanensis, in Iuventute Societatem Iesu ingressus, postquam multos annos in Oriente, & totos quinque in Cochinâ laudabiliter expendisset, remissus fuit in Europam, ubi aliquamdiu Conimbricæ & Vlyssipone mathesim docuit. Indè Madridium accitus à Rege, ut inventum suum dirigendæ ab occasu in ortum navigationis, per declinationem Magnetis, exponeret, sed, quia (ut scribit Philippus Alagambæ in Bibliothecâ Scriptorum Societatis Iesu) nesci quid ambire videretur, ab instituto Societatis alienum. Romam evocatus, à Societate segregatus fuit: qui mox Ordini nostro Cisterciensi animum adijciens, ob excellentes animi dotes, præsertim, ingenij subtilitatem, & omnigenis doctrinæ eminentiam, à Patribus nostris ibidem receptus fuit, inter quos, sub *Onuphrij* nomine, aliquamdiu claruit, & diversa opera in lucem emisit, teste Leone Allatio, viro, clarissimis suis scriptis Orbi notissimo: qui libro de Apibus Vrbanis (siue) de Viris illustribus qui ab anno 1630. per totum 1632. Romæ adfuerunt, ac typis aliquid evulgarunt) impresso Romæ in 8. anno 1633. apud Ludovicum Grignanum, de Christophoro nostro sic habet.

Christophorus Borrus Mediolanensis, qui ex Iesuitâ in Monachorum Cisterciensium numerum adscitus, sub Onuphrij nomine innotuit. Edidit

1. *Doctrinam de tribus cœlis, Aëreo, Sydereo, Empyreo Opus Astronomis, Philosophis, & Theologis favens.*
1. *Vlyßipone ab Aluero Ferreâ Lusitano, eius discipulo impressum.*
2. *Italicè, Relatione della nuoua missione delli Padri della compagnia, de Hiesu, al Regno della Cocincina ad Vrbanum 8. Romæ, apud Fransiscum Corbellettum, 1631. in 8.*

Scripsit præterea,

De arte navigandi, opus excellentissimum. In quo, Scopus Authoris fuit, artem à se primo inuentam satisfaciendi, ac demonstrandi, uti certissimam, quâ in quovis maris situ, unusquisque gradum longitudinis infallibiliter posset invenire; Rem navigantibus summopere necessariam. Quod etiam et melius pateret usui, chartas quos vocant, navigandi, plenas erroribus, correxit, & emendavit: Addidit ex lunaribus Ecclypsibus, alijsque Mathematicis observationibus, ab eodem summo studio elaboratis, distantias locorum. Ad ut melius succederet, instrumentum ex metallo confectum excogitavit, obtulitque acerrime omnium Iudici, ac æstimatori integerrimo. Visum placuit, dignumque iudicatum est) quod in tanti Principis manibus renatum, Naugnomonis nomen ab eodem sortiretur, & viveret.

Scripsit item, Italicè,

Relatione à sua Santita, delle cose dell' India Orientale, de Giappano, della China, dell' Etiopia dell' Isola di S. Lorenzo, del Regno di Monomotapa, è della terra incognita Australe, Qua Sancta Congregatio de Fide propagandâ, melius illis populis consulere posset.

Meditabatur, Instructionem ad facilius iter Indicum conficiendum ab iis qui eo ab eadem sacra Congregatione mitterentur; aliaque plurima, quæ litteratorum omnium damno inæstimabili, mors inopina intercepit, non solùm viro, amicisque infausta, sed scriptionibus etiam, & meditatis, quæ in aliorum manibus (nolo Plagiariorum dicere) delitescunt, lucem aliquando (nescio an sub veri Parentis nomine) conspectura. Hæc Allatius.

Obiit autem 14 Maij, anni 1632.

Porrò, Relationem Italicam suprà memoratam novæ missionis in Regnum Cochinchinæ, gallicè reddidit & publicavit R. Pater Antonius de la Croix, seu, Crucius, Societatis Iesu, Rhedonibus, apud Ioannem Gardij, anno 1631. in octauo. Et postea, eodem anno Insulis in Belgio, typis Petri de Rache. Prodijt etiam Latinè, Viennæ in Austriâ, typis Michaëlis Ri-

ctij, anno Domini 1633. Alibi quoque in alias linguas transfusa.

Christophorus Butkens nobili apud Antuerpienses familia procreatus, Prior ac Prælatus Cœnobij Sancti Saluatoris, vulgo (à fundatore) Petri Pots, Ordinis Cisterciensis, in ciuitate Antuerpiensi; vir doctrinâ, prudentiâ, morum grauitate, vitæ integritate, animi magnitudine, constantiâ, iudicio; Religione in Deum, pietate in patriam, conspicuus; & gratâ conuersatione bonis, & cordatis omnibus amabilis antiquitates potissimum Belgij, easque genealogicas, habere in delicijs solet. Edidit gallicè

Annales genealogicos familiæ de Linden, libros 15. Antuerpiæ apud Ioannem Knobbaert, anno 1626. in fol.

Trophæa, quà sacra, quà prophana, Ducatus Brabantiæ, lib. 9. Quibus tractat de origine, successione Ducum, ac Principum Brabantiæ, & familiarum à Brabanticâ descendentium Antuerpiæ apud Christophorum Jeger anno 1641 in folio.

Libro decimo, alteroque tomo. brevi daturus, *Descriptionem Vrbium, municipiorum, Baronatuum, &c. Brabantiæ, vnà cum successione Baronum.* Item:

Magistratus 4. *vrbium capitalium Brabantiæ, vnà cum catalogo Ecclesiarum, ac Monasteriorum eiusdem Ducatus.* Aliaque.

Genealogia B. Guillielmi, ex nobilissimo Domino Montis Pessulani, Monachi Cisterciensis in Grandisylua à quo omnes Reges, Principesque, qui Christianum orbem moderantur, originem ducere ostenduntur, eodem Authore concinnata, & Antuerpiæ typis excusa, subiungi solet Menologio Chrysostomi Henriquez, immediatè antè indices.

Plura parantem, mors interrupit; obijt namque anno 1650.

Christophorus Castileius, natione Hispanus, illustrioribus sui temporis viris iure adcensendus, siue ingenium, memoriam, omnium disciplinarum scientiam, morumve elegantiam aut facundiam spectes. Quorum intuitu plerisque Hispaniæ Primoribus, in deliciis & amore fuit; prout etiam posteà Serenissimo Ferdinando Romanorum Regi, Caroli V. Imperatoris fratri, qui eum ad se vocatum, perpetuè sibi devincire studens, ab intimis voluit esse secretis. Quod munus per 30. annos, summâ fidelitate, & sollicitudine sustinuit, donec tandem aulicarum vanitatum pertæsus ac periculis exterritus (instantibus precibus missione impetratâ) Cisterciensi ordini se mancipavit, in Vallis Ecclesiarum cœnobio; ubi, quo iam ætate erat maturior, & spes maiores abruperat, eo (ab ipso statim tyrocinio) altiora virtutum fundamenta iecit. Obiit meritis æquè ac ætate gravis, anno 1596. in Monasterio professionis suæ. Lucubrationes eius extant variæ, partim prophanæ, & iocosæ, (quas antè Religionis ingressum edidit,) partim seriæ, ac graves. & fraudibus præcavendis accommodæ, nimirum:

Epistolarum ad diversos, lib. 1. *cum aliquod amatoriis opusculis, honestis tamen.*

Historia Pyrami & Thisbes, Hispanico carmine, Annæ de Xonburg Viennensi inscripta.

De amoris prophani passionibus & affectibus. Polyphemi soliloquium.

Ioco-seria, siue, *rerum facetarum, lib.* 1.

De linguæ Hispanicæ præstantia & affluentia.

Fabula Actæonis, ex Ouidio, & in eandem acutissima commentaria.

De infelicitatibus, quæ euenerunt anno 1540.

Transfiguratio cuiusdam Cantabri.

Laudes civitatis Viennensis in Austria.

De moribus, conditionibus, & natura fœminarum, Dialogus.

Dialogus inter calamum & ipsum Authorem, ad Martinum de Guzman, Regis Romanorum cubicularium.

Contra

Contra varietatem fortunæ, eiusque instabilitatem, prolixa & erudita querimonia.

Leuamen afflictionum, seu dolorum.

Dialogus, inter obliuionem & memoriam.

De aulicorum infelicitate, miserijs, & ærumnis.

Dialogus inter Fabricium & Prudentiam.

Epistola prolixa consiliatoria, ad Ferdinandum Romanorum Regem: in quâ de Principum *moribus, Religione, prudentiâ, reliquisq; virtutibus fusè tractat.*

De Aulica prudentia, & ciuilitate.

Colloquium inter veritatem, & adulationem.

De inuentione Sanctæ Crucis.

De Beatæ Mariæ Virginis visitatione, salutatione, & purificatione, varia opuscula pia, quæ plusquam decies excusa fuerunt, (prout etiam cætera omnia iam recensita) partim in Hispaniâ, partim in alijs prouincijs, in diuersas linguas translata, teste Henriquez in Phœnice.

Christophorus de Lazarraga, S. Theol. Doctor, Ordinis Cisterc. in Hispaniâ, ibidemque Sacri officij Consultor, edidit, *Plausum Vniuersitatis Salmanticensis in natiuitate Principis Hispaniarum, Baltasaris, Caroli, Dominici, Philippi.* Prodijt curâ ipsius Uniuersitatis, anno 1630 Salmanticæ, typis Hyacinthi Tabernier, in quarto. Subiungitur huic operi, Sermo alius R.mi & Eximij Domini Angeli Manriquez, de quo Authore suprà fusè egimus. De hoc viro, vide plura intrà verbo, *Salmanticensis Vniuersitas.*

Christophorus Perales, Monasterij Vallis bonæ in Hispaniâ monachus, nihil antiquius habuit, quam vitam suam primæuo ordinis instituto conformare, regulamque cui se obligauerat, ad amussim obseruare. Quod ut felicius assequeretur, primos ordinis parentes tanquam viua exemplaria sibi proponens, eorum vitas frequenter legebat, virtutesque in ijs repertas, sibi imitandas proponebat, alijsque deprædicabat. Scripsit *Vitam Sancti Patris nostri Bernardi, in 5. libros distributam*, impressos Vallisoleti, in 4°, anno 1601. In quibus multa profert rara, quæ in aliâ vitâ non habentur. Henriquez in Phœnice.

Christophorus à visitatione; Vide *Chrysostomus, suprà.*

Cyprianus Huergensis, clarissimum ordinis nostri sidus; imo & illustrioribus huius æui viris merito adnumerandus; in celeberrimo Nucalensi cœnobio Religiosam emisit professionem; inde Philosophicis, theologicisque studijs insigniter excultus, sanctorumque Patrum lectione & obseruatione instructus, Compluti in Cisterciensi collegio, diuinorum codicum interpretationi præfectus fuit; quod munus cum per tempus aliquod strenuè executus fuisset, tale tantumque sibi eminentis doctrinæ nomen conciliauit, vt celeberrima vrbis illius Academia, publicam sacræ Scripturæ cathedram illi contulerit, quam etiam ad obitum vsque, singulari prorsus, & incomparabili eruditionis famâ, moderatus est. Vir erat ingenio excellenti, iudicio acri, memoriâ tenaci, sermonis elegantiâ & facundiâ præditus: quibus cum adiunxisset continuam sanctorum Patrum, aliorumque præstantissimorum Authorum lectionem; insuperque parem Religionis obseruantiam, singularem modestiam, animique candorem, non potuit non vndique summus euadere. Inerat illi etiam rara dexteritas, & prudentia in consolandis ijs, qui molestia aliqua, aut conscientiæ scrupulis agitabantur, adeò vt frequenter personæ etiam grauissimæ, & in Ecclesiasticis dignitatibus constitutæ, in rebus maximi momenti, consilium & opinionem eius expeterent. Quibus omnibus tantam nominis gloriam assecutus est, vt communi totius regni voce, & applausu, *Hispaniæ Phœnix* proclamaretur. Nomen sanè rarum, & gloriosum, hoc nostro sæculo præsertim in Hispania, vbi omnes ordines viris doctissimis florent. *Hæc Henriquez in Phœnice,* Cui vt certiorem conciliem fidem, adiun-

adiungam hic etiam testimonium doctissimi viri Alfonsi Garsiæ Metamori, Hispalensis, rhetoris Complutensis, Cypriano coæui, quem sæpius docentem audiuit. Hic libro de Academijs & viris doctis Hispaniæ, edito Francofurti anno 1603. tomo 2. Hispaniæ illustratæ, folio 819. de eodem Cypriano ita scribit: sed dudum me expectari à Complutensibus sentio, vt de Cypriano Monacho Cisterciensi, qui vario auditorum iudicio, sacras litteras Compluti profitetur, sententiam quoque meam pronuntiem: quod ego sanè libenter faciam, &c. Et post pauca: itaque huic viro religioso nihil neque à natura, neque à vera & solida doctrina, sicut ego iudico, deesse inuenio, vt non inter claros nomine sapientiæ viros, sit cum primis non à me referendus. *Siquidem ad Græcas & Latinas litteras, quas raro felicique fretus ingenio, per breui tempore didicit, Hebraicas, atque etiam Chaldaicas præclarè adiunxit, vt esset nihil quod ille ignoraret studio & interpretationi diuinæ Scripturæ necessarium. Atque præter hanc linguarum peritiam minimè vulgarem, fusa etiam splendidaque verbis eloquentia, cum multa diutinaque bonorum Auctorum lectione, tum peculiari quodam naturæ dono, feliciter illi contigit, &c.* Et infra: *Reliquas porrò cum doctrinæ, tum corporis, animique virtutes nobiles, si nos pudore impediti nunc silemus, futura sæcula non tacebunt. Quoniam vita, mores, Religio, vultus denique ipse, vocis prætereà ac sermonis cum grauitate lepor, non modo ingenij huius viri commendationem non euertunt, sed incredibili ferè totius Academiæ concursu, studiosos omnes ad se rapiunt. Vnum postremo (quod est reliquum sententiæ meæ) testari nunquam pudebit; tantum virum datum fuisse diuinitus Academiæ Complutensi, vt hoc insigni præceptore discant posthac nostri Hispani, verè & eleganter sacras litteras interpretari, &c.* Hæc Alfonsus libro citato, qui etiam vocatur *narratio apologetica de eruditione Hispaniæ.* Porrò varia reliquit Cyprianus noster doctrinæ suæ monumenta, ex quibus sequentia recenset Montalbus, apud Henriquez in Phœnice.

Commentaria in Cantica Canticorum, impressa Compluti in folio, apud Ioannem Iniguez de Lequerica, anno 1582. Ex his commentarijs plurima desumpsit Luisius Legionensis, teste Angelo Manriquez in annotationibus M. S. ad Bibliothecam Seguini, quas mihi transmisit.

Commentaria in Iob: Compluti apud eundem, in folio.

De opificio mundi, libros 3.

In Isaiam prophetam, libros 4.

Commentaria in Threnos Ieremiæ.

In Nahum prophetam, lib. 1.

In Psalmum, De profundis, lib. 1. impressum in 4°.

In euangelium S. Matthæi, lib. 1.

In euangelium S. Ioannis, lib. vnum.

In epistolam S. Pauli ad Ephesios, lib. 1.

In epistolam ad Hebræos. Lib. 1.

In Apocalypsim S. Ioannis, Lib. vnum.

Præter hæc, alia plura reliquit; quæ manuscripta asseruantur in Monasterio Fiteriési, ibidem reposita per Ignatium Firminum, eiusdem loci Abbatem, Monachum Nucalensem; qui eadem vulgare proposuerat; sed morte præpeditus, propositum executioni mandare non potuit. *Commentaria tamen in Nahum prophetam vulgata esse in 4°. Lugduni, anno 1562. apud Guillielmum Rouillum, testatur author supplementi Bibliothecæ Gesnerianæ.*

Quænam autem sint alia opera quæ Cyprianus noster M.SS. reliquit, hoc modo recenset Ignatius Firminus, in præfatione quam præfixit commentario ipsius Cypriani in Iob:

De cæteris vero Cypriani scriptis, quâ de re polliciti sumus te admonere, iuxta diuersitatem styli, ac formæ scribendi, scias, optime lector, quod præter Commentaria in prophetam Nahum, & in Psalmum 38. & 129. quæ ante 20. annos, ipso Authore viuente, prodierunt; & præ-

& præter hæc, quæ nunc in lucem edimus, in Iob, & Canticum Canticorum Commentaria, extant etiam hæc quæ sequuntur, iuxta ordinem librorum sacræ scripturæ:

Isagoge in totam sacram scripturam.

De Opificio mundi Commentaria, lib 3. In librum Psalmorum Isagoge, quinque longissimis Tractatibus contenta.

In priores 8. psalmos, & in psalm. 22. & in psal. 44. & 54. Conceptus, cum triplici textus translatione iuxta veritatem Hebraicam.

In Psalmum 7. Commentaria.

In Psalmum 67 Meditationes.

In Psal. 109. Commentaria. &c.

Sequuntur alia opera, quæ iam recensuimus, quibus enumeratis, iterum subdit:

Hæc sunt quæ ex Cypriani lucubrationibus inuenire potuimus; quamuis minime nos lateat, alia nonnulla non minoris eruditionis quam hæc quæ retulimus, periisse; ex quibus est istud egregium opus, summisque viris exoptatissimum, de Symbolis Mosaicis, ab ipso Authore summis laboribus, summoque ingenio elaboratum, in quo tota est Cypriani summa eruditionis constituta; quod ab aliquo Plagiario, cum magno totius vtilitatis damno, & doctorum stomacho, surreptum, nunquam reperire nobis contigit. Huc vsque Firminius.

Reuerendissimus & Eximius Abbas Salmanticensis Ildefonsus Perez, in Relatione ad me missa, scribit, præter hæc omnia, asseruari in bibliotheca collegij Salmanticensis, duo alia eiusdem Cypriani opera, scilicet

Commentaria in 2. epistolam diui Pauli ad Timotheum, &c

De ratione musica, & Instrumentorum vsu, apud veteres Hebræos.

His adiungit insigne Elogium doctoris Cypriani, desumptum ex epistola nuncupatoria, quam *Commentario eiusdem in Psal.* 38. præfixit Petrus Fontidonius, his verbis:

Hanc Dauidis Cytharam cum multis antiquis temporibus, ex Sapientissimis atque Sanctissimis hominibus, suis manibus excepissent, iucundè atque suauiter cecinerunt: ætate verò nostra, hac in parte iure optimo Academia Complutensis suo Cypriano, imo vniuersa Hispania gloriari potest, qui incredibili sapientia, & exacta antiquitatis, & linguarum peritiâ, multarum rerum & disciplinarum omnium cognitione, postremò verò inaudita eloquentia huius Cytharæ fides ita pulsauerit, vt illum grauiter & ornatè dicentem, dulciterque canentem, illustris hæc Schola ingenti applausu & acclamatione prosecuta sit. Numerosa confluit in eius celebre gymnasium studiosorum multitudo: multi grauissimi homines, sapientissimi viri, copiosa nobilitas, quin & (quod mirari sæpè soleo) confecti iam ætate senes, baculis innixi, suis sedibus ad eum audiendum excitantur, partim, vt germanum diuinarum Scripturarum sensum deprehendant, quem ille summo studio inuestigare contendit, partim, vt eius sapientia cum summâ eloquentiâ confuncta perfruantur. Quid plura? è mortuis credas *Atheniensem* illum *Periclem* excitatum, aut *Herculem Gallicum*, qui iniectis suauissimis catenis hominum auribus, illos trahat sponte sequentes. Et cum eius Gymnasium tanta doctissimorum hominum multitudine constipatum videtis, illud maiori quodam iure Ἀοιδιατεῖον appellari posse iudicabis, quam illam præclaram Isocratis domum, in quam veluti in commune quoddam omnium disciplinarum Emporium, vniuersa Græcia confluebat. Huc vsque Fontidonius. Cæterum,

Obijt Cyprianus Compluti, anno 1560. summo totius Vniuersitatis luctu, cui sequens positum fuit Epitaphium:

CYPRIANVS

HISPANIÆ MUSA, ET PHOENIX.

Maximus ille breui Cyprianus conditur vrna,
Ille humili excelsus clauditur hospes humo.
Iudicium, labor, ars, facunda peritia rerum,
Vnà adiere virum, quocum obiere simul.

Huius viri etiam meminerunt Sixtus Senensis, lib. 4. Bibliothecæ sacræ, & Philippus Seguinus in Bibliotheca Cistertiensi M.S. Quorum vltimus asserit quoque illum scripsisse *Commentaria in Psalmos* 57. & 79. Quin & Aubertus Miræus his omnibus consentiens, Bibliothecæ suæ Ecclesiasticæ parte 2. c. 79. testatur quoque illum vulgo dictum fuisse, Phœnicem Hispaniæ, & extare diserta ipsius *Commentaria (Compluti & Louanij typis edita) in Iobum, Isaiam, Ieremiam, Naum, Matthæi & Ioannis Euangelia & in Apocalypsim.* Præterea, eiusdem *de Symbolis Mosaicis opus diuinum, à studiosis auide expectari.*

Cyprianus Rodriguez, Nucalensis item Monasterij religiosus, facili ac subtili ingenio, firmaque memoria præditus; quibus suffultus alis, facilè ad omnes disciplinarum humanarum atque diuinarum gradus, ac culmen sapientiæ peruenit. Accesserunt par morum grauitas atque facilitas, verborum modestia, animique submissio; ac denique in omnibus actionibus prudentia & discretio: quibus excitati Abbates ordinis, ei uniuersæ congregationis regimen commiserunt, Reformatorem generalem ordinis creando. Quod munus tanta gessit prudentia ut omnium expectationi abundè satisfecerit. Scripsit autem

Nidulum philosophicum. Vbi de præcipuis totius philosophiæ quæstionibus disserit.

Nidulum theologicum, In quo Theologum agens, plurimas Theologicas difficultates subtiliter dissoluit.

In Canonem Missæ, librum vnum.

De scriptoribus Hispaniæ, Lib. 1.

Cisterciense chronicon, authore quodam monacho eiusdem ordinis conscriptum, asseruatur in Bibliotheca Monasterij Alnensis, in 3. exemplaribus diuersis. Sanderus in Bibliotheca M.S. Belgica. Edidit & anno 1614. Coloniæ, typis Bernhardi Gualteri, Cisterciense aliquod chronicon breue, à se concinnatum, Aubertus Miræus Decanus Bruxellensis.

Cisterciensis ordinis viri illustres, M.S.S. in Bibliotheca Vltraiectina publica. Item, in Aureavalle; & alibi. Posterius exemplar sæpè citat Henriquez in Menologio: prioris verò meminit Sanderus suprà, parte 2.

Cisterciensis ordinis constitutiones, diffinitiones capitulorum generalium, &c. habentur passim M.SS in monasteriis ordinis quæ iam etiam typis excusa fuissent, opera Eximij Domini Claudij Chalemot, S. Th. Doctoris, Abbatis de Columba, nisi mors hominem abstulisset.

Claravallenses Monachi anonymi plures, opuscula diuersa, non contemnenda, scripto reliquerunt: ex quibus Seguinus, in Bibliotheca sua M.S. sex profert, hoc ordine:

Primus scripsit, & in 7. libros digessit, vitam S. Bernardi; quorum duos posteriores libros ipse author Gallico sermone donauit.

2. *Librum Guilielmi de Guillavilla, de peregrinatione hominis recognouit, in multis correxit, & imprimi fecit Parisijs*, vt scribit Franciscus de la Croix, in Bibliotheca Gallica.

3. *Librum S. Effrem Diaconi Edissanæ ecclesiæ, de extremo iudicio, ex Latina in vulgarem linguam transcripsit.* Quod opusculum excusum est Parisijs, anno. 1505.

4. Vir, vt apparet, sanctæ vitæ, & regularis disci-

disciplinæ zelator strenuus, *Regulā sancti Benedicti è Latina in Gallicum sermonem traductam à Reuerendo quondam Patre, Domino Guidone Iuuenale, dum viueret, Sancti Sulpitij Bituricensis Abbate, recognouit, nec non* (prout in operis calce legitur) *eam epilogo duplici, breui: que ac vtili recapitulatione illustrauit.* Liber ita illustratus prodijt Parisijs, anno 1580. apud Hieronymum de Marneff. habeo illum penes me.

Quinta. Eruditione, verbique Dei prædicatione clarus, vt ex scriptis satis colligitur, posteris reliquit, *insigne volumen sermonum doctissimorum, de præcipuis festis quæ per totum anni circulum in Ecclesia celebrari solent.* Extat in Bibliotheca Regalis Montis.

Sexta. Vir doctus & pius, scripsit *Librum, de miraculis quæ in cœnobio Claravallis, & multis alijs locis, diuersis temporibus contigerant.* Eius initium est: fuit in cœnobio Claræuallis, Monachus, quidam nomine Renaldus, vir bonæ simplicitatis timens Deum, & retinens innocentiam suam, ab infan ia vsque ad senectam, &c. Hæc Seguinus libro citato, littera M. numeris, 6.7. 8.9.11.& 12. verbo, Monachus.

Claudius de Bece, ex Claravalle, Frigidi Montis in Diœcesi Belluacensi Abbas; vir doctrina, & morum sanctitate insignis, atque in declamandis concionibus ad populum disertus, metro ac prosa potens; *edidit quoddam scriptum* (*carmine*) *de 12. gradibus humilitatis, quorum Sanctus Benedictus in regula sua meminit.* Ferunt & alia opuscula ab illo exarata, quæ tamen adhuc M.S. latent. Vixit sub Francisco I. & Henrico II. Francorum Regibus. Obijt anno 1553. 13. Iunij Philippus Seguinus lib. de scriptoribus, ex monumentis Frigidi Montis. Opusculum de 12. gradibus humilitatis in antiquo M.S. repertum, quia valde breue est, hic inserendum duxi: duodecim gradus humilitatis Regulæ S. Benedicti, versibus expressi, per R. Admod. Dominum Claudium de Bece, Abbatem Frigidi montis.

1. Iudicium Domini semper time, cuncta videntis.

2. Frange voluntatem propriam, penitusque relinque.

3. Subdere maiori in cunctis, & iussa capesce.

4. Quinetiam in duris nunquam patientia desit.

5. Quantumuis secreta, Patri tua crimina prode.

6. Actanquam indignus, quæ sunt abiecta sequaris.

7. Præ cunctis vilem te vox, & cor fateantur.

8. Nil facias, nisi quod communis Regula sentit.

9. Linguam compescas, breuiter, iussusque loquaris.

10. Nec facile in risum, fatuorum more, feraris.

11. Sit denuò rarus sermo, moderatus, honestus.

12. Omnibus inque locis procliuis respice terram.

Adiungebantur his 6. alij versus, qui dicebantur Abbati huic fuisse familiares, verum, quia illorum substantia his versibus continetur, eos omisi.

Claudius Boucheratius, patria Trecensis, S. Theol. Doctor, Abbas Pontigniacensis 40 qui obijt anno 1613. à Philippo Seguino scriptoribus Cisterciensibus adscribitur, propter *duas orationes quas dicit illum edidisse elegantissimas: vnam in conuentu Abbatum ordinis nostri Cistercij celebrato: alteram de laudibus Sancti Patris nostri Bernardi.* Idē Seguinus testatur quoque, nihil vnquam tam arduum aut difficile in sacris litteris occurrisse, de quo non inter theologos Sorbonicos, subtiliter

liter & doctè disputauerit. Nihilominus Reuerendissimus Pontigniacensis Abbas modernus, de his à me consultus, rescripsit, nihil planè scriptorum huius viri in Pontigniaco fuisse repertum. Verba eius sunt, in epistola ad me data 2. Februarij, anno 1648. *Nec Claudio Boucherat Antepradecessori nostro, quamuis in nostra sacra Theologia facultate Parisiensi Doctori, quidquam operum superfuit; quod si quid memoria mandasset, vt huiusce fermè temporis; nihil nos diligentiùs inquirentes fefellisset.* Hæc ille. Epistolam integram vide supra in capite huius operis.

Claudius de Bronseval, Religiosus Claræuallensis, scripsit *Librum aliquem moralem, per formam Dialogi, inter patrem & filium*, qui M. S. anno 1544. seruatur in Monasterio Laudensi, iuxta Insulas, Flandriæ Gallicanæ ciuitatem.

Ant. Sanderus in Bibliothecâ M. S. Belgicâ, parte 2.

Claudius Chalemot, sacræ Theologiæ Doctor Parisiensis, ordinem nostrum professus in Caroli loco, aliquamdiu ibidem Priorem egit. Postmodum Prior quoque Regalis Montis, cœnobij strictioris obseruantiæ; ac tandem nuper anno 1648. Abbas creatus fuit religiosissimi cœnobij de Columbâ, eiusdem obseruantiæ, in Diœcesi Bituricensi. Vir non minus humanitate & zelo Ordinis, quam variâ eruditione præditus, & rerum agendarum peritiâ insignis, vt indubitatam faciunt fidem plures ipsius litteræ, quibus me honorare dignatus est. Scripsit, *Seriem Sanctorum ordinis nostri*. Parisijs excusam.

Scripsit & *Annales Cistercienses, duobus tomis distinctos*, in quibus plura habet particularia, ordinem concernentia, alijs omnibus scriptoribus incognita; nominatim, diffinitiones & constitutiones omnes vniuersorum capitulorum generalium, ad præsentem vsque annum. Opus hoc nondum excusum est, excudendum tamen speratur. Prætereà, anno 1649. incumbebat, *scriptioni historia Ecclesiastica gallicana, parabatque editionem quorundam operum Venerabilis Petri Cantoris, doctissimis suis annotationibus illustratorum, sed à morte præuentus, vltimam manum ijs adhibere non potuit: intellexi namque illum iam facilè à biennio defunctum.*

Relationes Eximij Domini Iosephi Arnolfini S. Theol. Doctoris Sorbonici, & Ven. Domini Placidi Petit, Religiosi Castellionensis, Procuratoris collegij Bernarditarum Parisijs. Huic prædicto viro plures debeo scriptores Ordinis, per diuersa Galliæ Monasteria collectos.

Claudius de Corbye, Chalisij, seu, Caroli loci alumnus; vir litterarum sacrarum studiosus sedulus, & in scholasticâ ac peripateticorum Doctrina multum eruditus; collegit in vnum volumen, *Flores siue, sententias epistolarum Sanctorum Patrum, Gregorij, Ambrosij, Hieronymi, & Augustini.* Extat in Caroli loco, solebatque valdè esse familiare Philippo Seguino, vt ipsemet testatur in sua Bibliotheca M. S.

Scripsit insuper, *quadam commentaria in psalterium*, sed imperfectè, vtpotè quæ (immatura morte præuentus) ad finem perducere non potuit. Vixit anno Domini 1556. Seguinus eiusdem cœnobij Religiosus, loco citato.

Claudius Thomas Grazilier, Religiosus Ordinis Cisterciensis, composuit librum tituli sequentis: *Intretiens de Dieu, & de l'Ame, selon le Cantique de cantiques, diuisez en deux liures, le premier, pour l'Ame fidelle, le second, pour l'Ame pechéresse.* Liber conscriptus est per formam dialogi, inter Deum, animam & ipsius Sodales, sub nominibus, filiarum Sion & Hierusalem: conformiter textui. Impressi à Autun. in 4°. anno 1651.

Bibliographia Parisiana, anni eiusdem.

Claudius Verard, Claræuallis Monachus, ex Latino in Gallicum sermonem transtulit, *librum*

Sancti Bernardi, de modo diligendi Deum, imprimique curavit Parisijs, apud Nicolaum Barbeu, anno 1542. Idem liber posteà iterum traductus fuit anno 1564. à Ioanne Cogneu, Doctore Theologo, de quo inf. d, suo loco. Franciscus de la Croix, in Bibliotheca Gallica, & Seguinus suprà.

Collationes Patrum Ordinis Cisterciensis, extant M. S. in Monasterio loci Sancti Bernardi, ad Scaldim, iuxta Antuerpiam, in codice antiquo ex pergameno, in folio. Habeo & penes me eiusdem libri copiam, ad iam dictum exemplar transcriptam. Porrò liber est in 6. distinctiones subdiuisus, in plurimis coincidens cum *Exordio ordinis Cisterciensis*; attamen in nonnullis adhuc hinc indè, maximè in 2 distinctionibus postremis, ab eodem discrepans. Scriptus autem est à religioso quodam Claræ-vallensi, qui vixit tempore Petri, 8. Abbatis Claræuallensis, & Warnerij eius successoris; nouitque aliquot adhuc ex discipulis Sancti Bernardi.

Primum colligo ex cap. 10. distinctiones primæ, vbi sic lego: *Si quem verò monet, quod Claravallensium tantum, & non etiam Cisterciensium seniorum, mentionem fecimus, nouerit nos, vt Ecclesiæ Claravallis alumnos, nostrorum seniorum sacra studia familiarius & efficacius inuestigare potuisse. Nec ea quæ de paucorum syncera conuersatione, seu felici consummatione, ad absolutionem sponsionis nostræ descripsimus, innumerabilium seruorum Dei, qui tam in Cistercio, quam in vniuersitate sacri ordinis, spiritales agones viriliter desudarunt, preiudicare sanctitati.*

Secundum & tertium habeo ex cap. 9. & vltimo, distinctiones 6. vbi ad litteram habentur sequentia: *Caterum postquam Claraualla Vallis primum & clarissimum Abbatem suum post vnum & 30. annos, ad superni Imperatoris transmisit palatium, vt iam tantò esset potentior ad subueniendum, quantò summa Maiestati faciem vicinius contemplaretur, per sanctos successores eius (de quorum virtutibus, superius aliqua comprehendimus) sancta religionis vigor conseruatus, in eadem gloriosa domo, illibatus durauit, sicut etiā temporibus venerabilis ac Deo digni viri, Domini Petri, eiusque successoris Domini VVarnerij. posteà Lingonensis Episcopi, diuina fauente gratiā, nobis probare concessum est. Testis enim nobis est Deus, quia cum in Claravalle disciplinis claustralibus, & sacri ordinis obseruantijs sub d tessemus, tantum ibi religionis & grauitatis, tantumque puritatis & honestatis vidimus, vt sæpius in gratia Dei exultantes, diceremus in cordibus nostris; Quia si ipse legislator noster Beatissimus Pater Benedictus (cuius regulam professi sumus) in carne viueret, & per seipsum sanctum illum conuentum regeret, districtius sacri ordinis instituta in loco illo obseruari non potuissent. Incuria nempè, vel leuitas, seu dissolutio, qua est ruina ordinis, locum ibi penitus non habebant, sed vernantium virtutum, fraternaque charitatis æmulatio ibi sancta vigebat: quodque magis mirum est, ad hæc singulos austeriori aliqua castigatione cogere Prelatis opus non erat, quia quasi hæreditaria successione ad se transmissum tenebat sancta illa congregatio, vitia declinare, & virtutibus operam dare. Vidimus etiam ibi ex discipulis Sancti Bernardi, Seniores morum grauitate, religionis integritate, prudentia, & simplicitate reuerendos, beata memoria, Dominum Gerardum Priorem; Dominum Gaufridum eiusdem sancti viri Notarium, plurimumque ab eo dilectum; Dominum Hugonē de Monte felici: Dominum Petrum Cathalaunensem: caterosque tam Monachos quam conuersos, qui à temporibus Beati viri, vsque ad nostram ætatem perdurantes, & exemplum feruoris & deuotionis reliquo corpori sancta illius fraternitatis effecti, facile in sua amabili conuersatione monstrabant, quanta perfectionis plenitudo in Claravalle primis diebus effulserit. &c.* Hæc omnia Author harum collationum. Ex quibus etiam colligere licet, illum, dum librum hunc scripsit, aut saltem compleuit, non habitasse amplius in Claravalle, sed ad aliud quodpiam Monasterium fuisse transmissum. Plura alia, habentur in hoc libro saluberrima documenta,

menta, adeò vt mirum sit, hunc hactenus (communi ordinis bono) non fuisse publicatum.

Complutense ordinis nostri celeberrimum collegium, ex quo magnus ille prodijt Cyprianus Huergensis, plurimos alios protulit celeberrimos doctores, æterna memoria dignissimos, præter illos quos diuersis locis tam in Bibliotheca quam in hoc appendice recensuimus, tametsi nulla fortè hactenus opera publicauerint; inter quos eminent, magister *Gregorius Saenz*. Morerolensis monachus, & magister *Athanasius de Cucho* Supereratensis cœnobij monachus & Frater germanus *Dionisij de Cucho* (de quo in Bibliotheca) quorum scripta tametsi nondum prælo subiecta sint, tamen plurimum desiderantur, & à Professoribus publicis passim citantur cum laude, & veneratione, vti etiam scripta ipsius Dionysij memorati. Teste Relatore nostro suprà citato, Ildefonso Perez.

Congarus Abbas Suriensis, Ordinis Cisterciensis in Hyberniâ vir Religione, & doctrinâ clarus, ijsdemque titulis sancto Patri Bernardo charus, collegit gesta *Sancti Malaciæ Archiepiscopi Hyberniæ*, quæ posteà Sancto Bernardo transmittens, eidem author fuit, vt eandem materiam resumens, fusius pertractaret, cum hoc instantius, tam suo, quam totius congregationis Hyberniæ nomine, *humanissimis litteris expetijsset*: Iacobus Waræus Hybernus, lib de Episcopatibus Lageniæ, & Monasterijs Cisterciensium in Hyberniâ, Balæus de scriptoribus Britanniæ, cent. 14 nu. 86. & relatio M.S. Eximij Domini Claudij Chalemot, ex Regali Monte ad me missa. Imo vtcunque etiam colligitur ex præfatione Sancti Bernardi ad vitam Sancti Malachiæ, in quâ Sanctus Pater hunc Conganum ita alloquitur, (rationem reddens cur ipse aggressus fuerit scriptionem vitæ Sancti Malachiæ:) *Tu id mihi Abbas Congane iniungis, Reuerendus frater & dulcis amicus meus, ac tecum pariter (vt ex Hybernia scribis) vestra illa omnis Ecclesia sanctorum; libens obedio, præsertim quod non eloquium exigitis, sed narrationem: dabo verò operam, vt ea sit pura & luculenta, deuotos informans, fastidiosos non onerans. Sanè narrationis veritas secura apud me est, intimata à vobis, haud alia proculdubio protestantibus, quam quæ certissimè comperta sunt vobis.* Hæc Bernardus. Floruit Conganus 1150.

Conradus Cardinalis, natione Germanus Eginonis, seu Egonis, Comitis de Seynâ Furstenbergh, &c. ex Agnete Zeringiæ Ducatus hærede, filius; frater autem Comitis Eginonis de Fribourg; primum Religiosus Villariensis in Brabantiâ, deinde eiusdem loci, tum Claræuallis, ac posteà Cisterciensis cœnobij successiuè Abbas; vir litterarum scientiâ, morumque honestate & vitæ sanctimoniâ clarissimis; qui anno 1219 ab Honorio 3. Pontifice, Episcopus Portuensis, & Sanctæ Rufinæ creatus Cardinalis, eiusdem Pontificis authoritate varias legationes obiuit: in Gallias contra Albigenses; per Italiam, & Hispaniam, pro subsidio terræ sanctæ: ac tandem etiam sub Gregorio 9 per Germaniam; in qua legatione Coloniæ Concilium celebrans, Sancti Engelberti Archiepiscopi & martyris interfectores anathemate percussit, *multaque ad Clerum spectantia decreuit, maximè contra simoniacos & concubinarios.* Moguntiæ item eodem anno 14. Idus Decembris, Synodum pro Cleri reformatione celebrauit, & morum corruptelas plurimas emendauit. Bononiæ itē in Italia, PP. Dominicanorum ordinem nouiter exortum, authoritate Apostolicâ approbauit, & quantum potuit, totâ vitâ suâ promouit.

Extant eius *Constitutiones, quas in Germania pro Cleri reformatione condidit*, apud Bzouium in Annalibus Ecclesiasticis & in libro Conciliorum Prouincialium Coloniensium. Item apud Henriquez, lib. 1. fasciculi, in eius vitâ. Vide etiam tom. 3. Conciliorum.

Reue-

Reuerendiſſimus Angelus Manriquez Pacis Auguſtæ Epiſcopus, in annotationibus ad Philippi Seguini Bibliothecam, quas anno 1648 ad me miſit, aſſerit, Conradum hunc etiam ſcripſiſſe *Tractatum*, ſeu, *Libellum, de erroribus Albigenſium, ad Abbates in capitulo congregatos apud Ciſtercium*; de quo Cæſarius in dialogis, diſt. 5. cap. 21. de hoc Conrado referunt Chronicon Brabantiæ, Cantipratanus lib. Apum, & alij plures, quod dum noctu ſtudijs incumberet, digiti manuum eius inſtar candelarum lucerent. Vide de hoc etiam Henriquez in Menologio, 3. Septembris & Iongelinum in Purpura ſancti Bernardi, vbi benè refellunt Arnoldum Wyon, & quoſdam alios ſcriptores, confundentes hunc Conradum cum alio Conrado Bauaro, Religioſo Claræuallenſi, & S.R.E. Cardinale.

Conradus, Fontis ſalutis, in Germaniâ, monachus. vir in diuinis ſcripturis, & theologiâ ſcholaſticâ nobiliter eruditus & in ſæcularibus quoque litteris non vulgariter verſatus, ſcripto reliquit,

Commentaria perpetua in 4. libros Sententiarum, elegantia & doctiſsima, teſte Guillielamo Eiſegrenio, Lib. de Scriptoribus orthodoxis.

Item, 4. tomos concionum, ſuper Dominicas & Feſta totius anni, ſtylo eleganti, & materia inſignes, qui vulgo vocari ſolent, Sermones ſacri, vt ſcribit Seguinus in Bibliotheca ſua M.S. Denique

Librum, de dotibus animæ. Poſſeuinus, in apparatu, Eiſegrenius ſuprà, Conradus Geſnerus, & Seguinus. Qui tamen in eo corrigendus eſt, quod ex hoc Conrado duos faciat, diſtinguens Conradum theologum à concionatore. Floruit circa ann. 1390. Quem ſpecialiter ſcribit Eiſegrenius fuiſſe Philoſophum clarum, Rhetorem inſignem, & ſuæ ætatis ſubtiliſſimum ſacrarum ſcripturarum Interpretem. Huius, primus Sententiarum, dictus viator, per ſcrutinum Sacræ Scripturæ &c. ſolebat ſeruari apud minores Gandenſes, teſte Bunderio in Indice.

Conradus Foſſor vulgo, Reutter, patria Nordtlingenſis, Abbas 25. Cœnobij Cæſarienſis, vulgò *Keyſersheym*, circa Dano vberdam vrbem Imperialem, theologus ac Philoſophus fuit inſignis, ac legum tam Ciuilium, quam pontificiarum, eximiè gnarus, nec non & poëta laureatus: cuius extant *ſubtiliſsima poëmata* (titulo, *Mortilogij*) Auguſtæ Vindelicorum anno 1508. impreſſa. Cætera M.S. In monaſterio aſſeruari ſolebant. De hoc ſcribit Gaſpar Bruſchius, ſe anno 1539. vidiſſe hunc iam ſenem, ac audiuiſſe de omni diſciplinarum genere tam egregiè diſſerentem, & tot optimorum verſuum, ex veteribus poëtis deſumptorum, diſcurſus memoriter recitantem, vt mirari ſatis non poſſet, tam Reuerendi ac eruditi ſenis memoriam. Obijt anno 1540. cui tale poſitum fuit epitaphium:

Conradus Foſſor, venerandus & vtilis Abbas,
Corporis hic humili mole quieſco mei.
Quique valens, facili ludebam carmine ſæpè,
Et noram veteres, hiſtoriaſque nouas.
Quidquid & in ſacris ſcriptum fuit vndique libris,
Quidquid iura docent, & medicina poteſt.
Per multos annos, mea cura huic præfuit edi,
Sed pulchra domui profuit illa quoque.
Tu quicunque iſtàc tranſis ſtudioſe Viator,
Quæſo, optes animæ mitia fata meæ.

Conradus, cœnobij de Heghenâ, vulgò, *Hequâ*, alias, *Aulesburgh*, in Haſſiâ, monachus, ex claro Baronum ſanguine procreatus, vir litterarum ſcientia, ſpiritus puritate, & miraculorum gratia illuſtris, vt oſtendit Henriquez in Menologio, 1. Iunij:

Scripſit varia, quorum intuitu à diuerſis auctoribus vocatur, *Scriptor nobilis*, ex quibus tamen nihil hactenus potui aſſequi, præter

Grammaticalia quædam opuscula, quæ cum tanto olim scholarum totius Germaniæ applausu accepta fuerunt, vt passim Authori *Archigrammatei* nomen imponeretur; teste Ioanne Ditmaro, in historia Campensi, quam edidit (paucis mutatis) Iongelinus, in notitijs Abbatiarum Ord. Cisterc. Huius etiam meminerunt Petrus Cratepolius, lib. de Episcopis Germaniæ, & Arnoldus Wion, ligni vitæ cap. 47. Hic quoque putatur fuisse ille Mr. Conradus, concionator B. Elizabethæ Landtgrauiæ Hassiæ, qui vitam eius conscripsit, quam compendiauit Theodoricus de Thuringia Ord. Præd. Qui prætereà vnà cum Remundo Abbate Ebirbacensi Ord. Cisterc. & Sifrido Archiepiscopo Moguntino, Romam scripsit examinationem vitæ & miraculorum eiusdem Sanctæ Elizabeth, cuius scriptionis meminit Molanus in Annot. ad Vsuardum, 19. Nouembris.

Cæterum, monasterium de *Heyna*, nunc coniunctum esse monasterio Veteris Montis, vnà cum vsu Pontificalium, &c. scriptis nuper ad me litteris, intimauit Reuerendissimus Veteris Montis Abbas, Ioannes Blanchenbergh, S. Theol. Doctor, qui pariter mentionem faciens huius nostri Conradi, vocat illum *Scriptorem nobilissimum*. Vt mirum sit, potuisse esse ignotum Seguino, ordinis nostri scriptori tam exacto, nisi fortè hunc intelligat, quem authorem facit concionum sacrarum & distinguit à Conrado Theologo, vt supra vidimus, in Conrado Fontis Salutis Monacho.

Conradus Leontorius, vulgariter, *de Leonbergh*, monachus clarissimi cœnobij Mulbrunnensis, in Diœcesi Spirensi, ac Ducatu Wirtenburgico; philosophus ac poëta excellens, nec non & trium principalium linguarum peritus, (teste Trithemio,) scripsit varia tam prosa, quam metro, ex quibus extant.

Volumen magnum epistolarum,

Orationum, varij argumenti, lib. 1.

Diuersorum carminum, lib. 1.

Denique & *Notæ ad priuilegia ordinis nostri, à Ioanne Cistercij Abbate publicata* quæ sæpè citantur à Reuerendissimo Manriquez, in annalibus suis. Vide illum tomo 1. folio 76. Eatundem quoque notarum meminit Reuerendissimus Veteris Montis in litteris suis ad me datis 18. Octobris, anni 1648. Hunc quoque Authorem Bibliothecæ suæ adscripsit Conradus Gesnerus, ex Trithemio. Porrò, Mulbrunnense Monasterium superiori sæculo à Lutheranis occupatum, & in seminarium ministrorum conuersum, nuper anno 1630. authoritate Cæsareâ (expulsis ministris Lutheranis) ordini Cisterciensi fuit restitutum, eique præfectus Abbas R. Dominus Chrystophorus Schaller, religiosus Monasterij Lucellensis, in Alsatia, vir pietate & doctrina clarus, cui posteà successit Bernardinus Buchinger, vir Prædecessori suo dignissimus, qui scriptis suis hoc opus etiam honorauit, vt suprà vidimus, littera B.

Cornelius Pelusius Calaber, S. Theol. Doctor, monachus S. Ioannis in Flore, seu, Florensis, ord. Cisterc. scripsit:

De monasterijs Cisterciensibus Regni Neapolitani, lib. vnum.

Item, *Vitam insignem cuiusdam religiosi sanctitate illustris eiusdem cœnobij S. Ioannis*, quæ M. S. extat apud Reuerendissimum Vghellum, Romæ.

D.

DAmianus *Tomariensis in Lusitania*, Prior, & Præfectus generalis ordinis militaris Cisterciensis, de Christo; edidit Vlissiponæ lingua vulgari *Constitutiones, & priuilegia eiusdem ordinis.* Iongelinus in notitijs cœnobiorum Ord. Cisterc. lib. 10. fol. 11.

Daniel,

Daniel, 5. *Abbas*, *VValdsassij in Bauariâ*, Frederico Barbarossæ Imperatori percharus, eiusdemque per Lombardiam, Apuliam, & Siciliam iter facientis, indiuiduus comes, scripsisse legitur, *Opus amplum & insigne*, titulo, *Papia*. Quod, quale sit, aut de quibus tractet, nondum didici.

Iongelinus in notitijs suis. Obijt Daniel anno 1196.

Didacus de Cespedes, natione Hispanus, religiosa vota Deo nuncupauit in Monasterio Vallis Ecclesiarum; Superiorum tamen dispositione, diu in Monasterio Montis Salutis habitauit. Vir fuit affectu & cultu Deiparæ Virginis singulariter excellens: vt autem & in alijs eundem affectum efficacius excitare posset, scripsit, imprimique curauit, librum quendam. *De laudibus Virginis Matris*, *in* 4°. Item & alium pariter impressum, *De miraculis Deiparæ Montis Salutis.*

Chrysostomus Henriquez in Phœnice.

Didacus Marfil, Hispanus Monachus *Saltus noualis*, (vulgo, *Sandoual*) vir singulari ingenij acumine, & memoriæ felicitate præditus fuit. Hinc absolutis Philosophiæ & Theologiæ cursibus, studio (vt vocant) positiuo, cōcionandique exercitio applicatus, breui, nominis sui claritate, vniuersam impleuit Hispaniam; inter nominatissimos quosque concionatores æstimatus, nemini secundus. Vndè in celebrioribus etiam vrbibus, magnum eius natum desiderium. Ipsa Toletana ciuitas (non nisi excellentes viros admittere consueta) vltrò ei pulpitum obtulit, magnoque concursu, applausu, & admiratione, eum longo tempore concionantem audiuit. Verum Religiosi Saltus noualis, non ferentes diutius exemplis & doctrina illius frustrari, eum in Abbatem expetierunt, & obtinuerunt. Præfuit posteà & alijs Monasterijs, ac tandem etiam toti congregationi.

Scripto reliquit *Aliquot volumina doctarum concionum*. Item:

Volumen egregium de laudibus B. Mariæ Virginis. Obijt in Monasterio Montis Salutis, anno Domini 1621. Henriquez suprà, Authori coæuus.

Didacus Sanches, *siue*, *Sanctius*, Carracetensis Monasterij in Hispania monachus, vario scientiarum genere, nec minus pietate, & animarum zelo celeberrimus, scripsit stylo docto, & terso, *Opus amplum, cui titulum præfixit: Agricultura spiritualis.* Impressum fuit Burgis, apud Baptistam Baressinum, anno 1603.

Henriquez suprà.

Diffinitiones Parisijs factæ, ad instantiam Caroli VIII. Francorum Regis, per 49 Abbates, pro reformatione ordinis Cisterciensis, anno 1493. vnà cum *Tractatu*, *de modo antiquo eligendi Abbates in ordine Cisterciensi*: M. S. seruantur in monasterio de Laude, in Flandria. Catalogus librorum manu scriptorum eiusdem cœnobij apud Sanderum, parte 2. Bibliothecæ Belgicæ manu-scriptæ. extant etiam apud me, in antiquo codice M. S.

Dionysius Arriola, Vallis bonæ monachus, S. Theologiæ in Complutensi nostro collegio cum acclamatione Professor.

De Benedictionibus Patriarcharum, super caput 49. *Geneseos, commentaria erudita satis*, reliquit, quæ in Bibliotheca collegij Salmanticensis seruantur manuscripta, Ex relatione, quæ suprà.

Dionysius, Chalisij seu Caroli loci monachus, natiuitate Gallus, patria Syluanectensis, vir bonis moribus, & doctrina spectatissimus, *Vitam ac miracula Sancti Guillielmi Bituricensis Archiepiscopi, & quondam Chalisianæ domus Abbatis* 7. *in epitomen redegit.* Vixit anno salutis 1250. Seguinus, eiusdē cœnobij Prior, in Bibliotheca sua M. S. Vita Sancti Guil. extat in Rubra valle suppresso Authoris nomine, qui tamen fuit Sancto coæuus. Et ex hac suum compendium sumpsit Surius, teste Molano in annot. ad Martyrol. 10. Ianuarij.

Dionysius, dictus Cisterciensis, monachus cuiusdam cœnobij ordinis nostri, ingenio acutus, Theologiæ professor eximius, & philosophus subtilis, scripsit, & in lucem emisit, *In Magistrum sententiarum commentarios*, omni scholastica eruditione refertissimos. Horum meminit Nicolaus Belny. S. Theol Doctor, in epistola quam scripsit ad Reuerendum Patrem Robertum de la Tourete, Caroli loci Abbatem, Theologiæ professorem, nec non totius Cisterciensis ordinis Procuratorem Generalem, his verbis: Dionysij doctrina ingenia hominum pascit, animos vehementer impellit, Sorbonicharum roborat & acuit, magnam & vberem tradit Theologicarum difficultatum materiam. Eius doctrina semper visa est mihi accommoda ad omnem respondendi & arguendi vsum, velut apis argumentosa, fermè singulorum Doctorum depastus est dulcores, nodosis difficultatum meandros euoluit & reserat. Stylo eleganti & claro sententiarum libros confecit, ita vt *Doctor Clarus & Subtilis* nuncupari mereatur. Dicebat Plato: Beatas ciuitates fore, si aut philosophi imperarent, aut principes philosopharentur: Religio Cisterciensis beata censetur, quæ tanti viri doctrina & eruditione fulcitur, & ornatur. In nostro Dionysio siquidem mera breuitas est, quæ ad percipiendas res cognitas, imprimis est amica; cui quidem breuitati adhæret fœcundissima sententiarum vbertas, paucis verbis comprehensa, ita vt ea de Beati Dionysij sapientissimi Sancti Pauli discipuli officina deprompsisse videatur, ad eliminandas hæreses: doctrina enim accommoda est, ad explantandas de agro Domini falsitates, ad progressus Sorbonicos apprimè necessaria. Hæc citatus Nicolaus, apud Seguinum in Bibliotheca M.S. Vbi & aliam de doctrina & scriptis Dionysij nostri profert censuram, duobus constantem versibus, Parisijs satis vulgatis, nimirum:

Sensa Theologia donat Dionysius alta,
Sanctorum monstrat antiqua volumina Patrum:

Solebant commentaria hæc impressa venundari Parisijs à Pontio le Prenz. Vidi & ego exemplar vnum antiquo charactere impressum Duaci in Seminario Regio.

Dionysius Cyrbus, natione Cantaber, monastica Cisterciensium vota in Monasterio Vallis bonæ Deo nuncupauit. Vir corpore pusillus, at iudicio magnus, ingenij acumine, & memoriæ felicitate excellens. Quibus cum accessissent studiorum amor, & in ijs addiscendis pertinax diligentia, magnos fecit progressus; adeò vt Doctoralem S. Theologiæ lauream in Complutensi Vniversitate adeptus, eandem scientiam multis annis, frequentissimo auditorum concursu, & plausu, docuerit. Anno 1626. collegio Cisterciensi, in eadem Complutensi Academia Abbas præerat. Scripsit

In diuersas partes Summa D. Thomæ Aquinatis, docta commentaria.

Vitam etiam Reuerendissimi Patris Petri de Lorcâ (de quo infra,) quæ impressa extat ante tomum de Incarnatione, ipsius Lorcę; quem tomum ipse Dionysius luci dedit, dispositis materijs, & ad articulos Thomæ aptatis. Adiunxit etiam huic operi *Insignem præfationem*, in qua lucē quoque promittit pluribus alijs lucubrationibus ipsius Lorcæ. Viuebat adhuc à paucis annis.

Vide Henriquez in Pœnice.

Dominicus de Aldave, familia nobili in Cantabria natus, religionem amplexus est in Hortensi cœnobio. Vir fuit raris naturæ dotibus præditus, & grauioribus omnibus disciplinis excultissimus. Philosophiam in Meyrensi collegio theologiam in Monte Ramorum professus est, cum fructu eximio. Eius quoque ingenium & doctrinam experta & admirata est Salmanticēsis Academia. Tandē Hortense Monasterium illum sibi vendicans, Abbatem coluit: imò & vni-

& vniuerſa Congregatio (an. 1626.) Reformatorem generalem.

Scripſit *In vniuerſam Ariſtotelis Logicam: in Iſagogen Porphyrij: in Phyſicam: & in Metaphyſicam.*

Varios quoque tractatus theologicos, teſte Henriquez, ſuprà; qui tamen ſe horum titulos ignorare fatetur.

Duiskenſis cœnobij (aliàs S. *Saluatoris*) in Hybernia in Agro Kilkenienſi, Monachus anonymus, ſcripſit anno 1514. iuſſu Caroli Canenach Abbatis ſui, *Annales Hybernicos, quos continuauit vſque ad tempus ſuppreſſionis Monaſteriorum in Hybernia.* Iacobus Waræus, libro de Epiſcopatibus Lageniæ, & Monaſteriis Ciſtercienſium in Hybernia, referente R. Patre Guardiano Recollectorum Hybernicorum, Louanij.

Dunenſis noſtri cœnobij Religioſi varij anonymi, præclariſſima olim ſcripta poſteris ſuis reliquerunt, in omni plane ſcientia; ex quibus tametſi pleraque ſuperiori ſæculo perierint in vaſtatione Monaſterij per Geuſios & Hugonotos, non pauca tamen adhuc rabiem illorum euaſerunt, quæ etiamnum in Bibliotheca noſtra aſſeruantur, ſed aliis ſcriptis anonymis ita permixta, vt diſcerni nequeant. Vide infrà, verbo Ioannes de Wardo. Extat catalogus Bibliothecæ noſtræ M.S. (à me anno 1628. concinnatus) parte 1. Bibliothecæ Belgicæ M.S. anno 1641. publicatæ per Antonium Sanderum Canonicum Iprenſem, &c. Inſulis, ex officina Tuſſani le Clercq.

Habeo & penes me alium adhuc catalogum eiuſdem Bibliothecæ M.S. notabiliter auctiorē multorum codicum acceſſione, quem poſteà anno 1644. compilaui.

Quidam Dunenſium noſtrorum Anonymorum ſcripto reliquerat Libellum *inſignem Spiritualium conſolationum,* qui anno 1653. ex Autographo in lucem productus eſt ſub hoc titulo *Sacrarum conſolationum Pharmaca, ex præſcriptione SS. Patrum.* Brugis, typis Alexandri Michiels Vid. ſupra, verbo, *Benedictus de Bacquere.* Libellus idem mox in linguam Flandricam translatus per R. P. *Ioannem van Blitterſvvik,* Carthuſianum, impreſſus fuiſſe per eundem Impreſſorem, eodem anno.

Dunſtanus Ordinis Ciſterc. Scripſit *Sermones de Tempore,* qui ſolebant ſeruari in S. Martino Tornaci, & apud Minores Colonienſes. *Bunderius, in Indice libb. M.SS.* tit. D. n. 50. & 51.

E.

SANCTVS EAILREDVS, *Abbas,* vide ſuprà, *Ailredus,* Littera A.

Eberardus (*aliis Ebrardus*) *Claræuallenſis Monachus,* vnà cum aliis duobus eiuſdem cœnobij Monachis, & totidem nouitiis, *miracula quæ Sanctus Pater Bernardus Spiræ coram Conrado 3. Imperatore, & aliis in locis per Germaniam & Belgium edidit, ſtudioſe collegit, atque Clericis Colonienſis Eccleſiæ dedicauit.* Huius operis initium eſt: *Dominis & amicis ſuis, Clericis Eccleſiæ Colonienſis, ſalutem dicunt fratres & amicorum, Ebrardus, Gerardus, Gaufridus, qualeſcunque Monachi; Philippus Leodienſis, VVolbemarus Conſtant. Ceterique tyrones ſpiritualis militiæ, &c.* Ita Seguinus in Bibliotheca, ex archiuis (vt ait) cœnobij Sanctimonialium Pontis Dominarum. Reuerendiſſimus verò Angelus Manriquez, tomo 2. Annalium Ciſtercienſium ad annum Domini 1153. cap. 11. num. 6. ſcribit, miracula hæc à S. Bernardo patrata eſſe, dum crucem contra paganos prædicaret, atque in 3. libros digeſta, quorum librorum ſolummodo 2. fuerit conſcriptus ab hoc noſtro Eberardo, cum 4. ſuis confratribus ad clericos Colonienſes; primum vero conſcriptum eſſe à Philippo Claræuallenſi Monacho, ad Henricum Regis Galliæ Fratrem tunc (vt ait) Rhemenſem Archiepiſcopum: tertium denique, per quendam Godefridum Monachum, ad

Hermannum Constantiæ vrbis Episcopum. His consonat Miræus in chronico Cisterciensi, scribens, Libros hos extare in Monasterio Sacri portus, iuxta Melodunum. Item Henriquez in Fasciculo, parte 1. dist. 4 vbi omnes tres hos libros citat sub nominibus iam recensitis.

Extant etiam priores hi duo libri, Tornaci in cœnobio S. Martini, Ord. S. Benedicti, cum hac tamen differentia, quod primus ibidem dicatur scriptus ad Henricum Fratrem Regis, tunc adhuc Claræuallensem nouitium, adeoque diu antequam esset Rhemensis Archepiscopus. Sed de hoc plura infrà; verbo, *Philippus* 2. liber præfert epistolam ad Coloniensem Clerum, iam citatam (quam ad longū videre est apud Henriquez suprà,) continetque miracula à Spira vsque ad Leodium facta. Vide catalogum Bibliothecæ S. Martini, apud Sanderum suprà. Cæterum, de miraculosa horum trium librorum conseruatione, historiam quandam lectu dignā narrat Manriquez loco iam citato.

Ebirbacense Monasterium religionis obseruantiâ, opulentiâ, ædificiorum splendore, & Magnatum Mausolæis celeberrimum, duobus milliaribus infrà Moguntiam, haud longè à Rheno fluuio, situm est. *Huius Monasterij Religiosi anonymi, plures egregias & luce dignißimas lucubrationes, in diuersis scientijs, posteris suis reliquerunt*, quas sæpius non sine admiratione euolui, dum ibidem Lectorem agerem. Vnicorum ibi attribuitur *Vita viri sanctißimi Eberardi, Monachi Ordinis Cisterc. Subdiaconi & Fundatoris Monasterii Sanctimonialium de Comeda*, in Palatinatu inferiori. Quam vitam apud me manuscriptam habeo, transcriptam ad antiquissimum exemplar eiusdem Monasterij Ebirbacensis, in pergameno exaratum, quod autographum esse iudicaui, dum illud vidi, & examinaui, publicaui autem vitam hanc anno 1655. Brugis typis Nicolai Breigelij.

Obiit B. Eberardus anno Domini 1191. pridie Kal. Decembris; cuius ossa (ob crebra quæ ad tumulum patrabantur miracula) postmodum eleuata fuerunt: nunc autem (vastato Monasterio de Comeda) translata quiescunt, & venerationi exponuntur in Hemmenrode. cœnobio Diœcesis Treuirensis, vt scribit Nicolaus Hesius in Manipulo Hemmenrodensi, anno 1641. Coloniæ impresso. Quanquam hic perperam pro *Commeda*, scripserit, *Cumeda* Scripta est autem hæc vita paucis annis ab obitu viri sancti; quod ex eo probatur, quod author dicat se plura habuisse à personis quæ illum viderunt; imo & ei conuixerunt; nominatim Henrico Fratre eius Germano, & Alcide sorore eiusdem, tunc temporis adhuc superstite, & Abbatissa cœnobij de Comeda. Cæterum, quod hic Author fuerit religiosus Ebirbacensis, & quidem Confessarius cœnobij de Comeda, traditionem Ebirbacensium non parum confirmant, 1. quod sub finem: alloquens Moniales dicti cœnobij, vocet illas, *suas Sorores & Filias in Christo dilectißimas*; vnde videtur argui, quod fuerit illarum Pater spiritualis, & ex professione Frater. Deindè, quia constat cœnobiū hoc à prima fundatione semper subfuisse visitationi Abbatum Ebirbacensium; probabilissimum est, Confessarium illum, seu, Patrem spiritualem, fuisse Ebirbacensem religiosum.

Ebro, 13 Abbas Monasterij Zvvetelensis, in Diœcesi Patauiensi (quod vulgo vocatur *Claravallis Austriæ*,) scripsit *Vitam Hadmari, Austriæ Reguli, & dicti Monasterij Fundatoris*. Extat in eodem Monasterio, eiusque compendium publicauit Iongelinus, in notitiâ Monasteriorum Ordinis Cisterciensis, Libro 4. Porrò, Ebro electus fuit Abbas anno 1273. Obiit verò, 1304.

Edilredus, vel *Ethelredus*, Abbas cœnobij Wardensis in Anglia, vir lectioni sacrarum Scripturarum, meditationi rerum cælestium, & prædicationi verbi Dei impensè deditus; nec

nec non Sanctissimi Patris Bernardi per omnia imitator fuit. Cuius in communibus colloquijs, sequebatur affabilitatem; in concionibus, mellifluam dulcedinem; in suaui stylo, delitiosam facundiam; in omnibus actionibus, mitem ac mansuetum spiritum; vt ex Pitsæo, & alijs, refert Henriquez. Quædam ex scriptis eius confundi solent cum scriptis Ailredi Rhieuallensis, vt suprà annotauimus; eiusdem tamen genuina opuscula sunt hæc:

Expositiones in quædam sacræ scripturæ loca, liber vnus.

De vinculo (seu vt alibi, *de veritate*) *perfectionis, lib.* 1. Extendisti Domine, sicut, &c.

Homilias in Sanctum Lucam, lib. 1. *Cum in exordio narrationis, &c.*

Conciones notabiles, lib. 1. *Tempus est fratres charissimi, &c.*

De 3. *hominibus, lib.* 1.

Epistolarum ad diuersos, lib. 1.

Scribitur & ascetica quædam scripsisse. Vide Pitsæum, & alios antiquiores Angliæ scriptores. Obijt in suo Wardensi cœnobio, circà annum Domini 1220. Hunc Trithemius vocat Adilredū. Thomas quoque VValdensis (teste Pitsæo) huius scriptoris mentionem faciens, varijs in locis, plurimum illum laudat, præsertim in concionibus, quas habuit coram Rege Henrico V. Hunc etiam habet Seguinus in suâ Bibliothecâ, sub nomine Adilredi.

Edmundus à Cruce, Claræuallis primum monachus, ac posteà anno 1585. Archi-cœnobij Cisterciensis creatus Abbas, natione fuit Campanus, patriâ Trecensis, & Academiæ Parisiensis Doctor Theologus: vir sanè non minus singulari vitæ sanctimoniâ, quam sacræ Scripturæ exactâ cognitione conspicuus: eloquij tam Italici, quam Latini facundiâ potens: perindè carmine valens, & prosa, teste Seguino in Bibliotheca sua Cisterciana. Vbi fatetur quoque, se in humanioribus litteris, & artibus oratorijs, illum habuisse præceptorem. Ordinis gubernaculis admotus, nihil æquè cordi habuit, ac eundem, per vniuersum orbem, quoad posset, reformare, impetratis ad hoc litteris absolutissimis à Clemente Papa VIII. anno 1603. Hinc varias prouincias non sine magno labore, & euidentibus periculis, ipsemet peragrauit, in quibus saluberrimas leges statuit, quæ adhuc pluribus in locis in summa veneratione habentur. Verum cum visitatis Aragoniæ & Cataloniæ monasterijs, à congregationibus Castellæ & Lusitaniæ contradictionem pateretur, Barchinone detentus, diem clausit extremum, 12 Kal. Septembris, anno 1604. ac Populetum translatus, ibidem sepulturæ traditus fuit. Scripserat autem antè obitum ad dictas Hispaniæ congregationes, *Epistolas aliquot, doctrina, ac religionis zelo refertissimas, cum adiuncto Libello, quem Chartam Confraternitatis inscripsit*: quæ omnia typis vulgari curauit.

Ediderat & anteà quædam alia non contemnenda opuscula, ex quibus à Seguino recensentur sequentia, hoc modo:

Anno Domini 588.1. die Decembris, apud vrbem Matisconensem, coram Henrico Caëtano, Summi Pontificis Sixti V. à latere legato, *Orationem habuit multis rhetorum flosculis ornatam.* Edidit & *Tractatum quendam de Officio diuino quotidie celebrando: carmine.*

Item, *Orationum diuersarum materiarum, lib.* 1.

Epitaphia, aliaque diuersi generis carmina plurima, lib. 1.

Extant & infinitæ propemodum epistolæ, quas ad Pium V. Gregorium XIII. Sixtum V. Summos Pontifices; ad Cardinales, Episcopos, Abbates, Reges, Principes, aliasque personas scripsit. Hæc Seguinus: qui concludens, asserit eum prȩter hæc scripsisse adhuc alia plura, quæ in lucem nondum prodierunt.

dierunt. Certè, extant impressæ (absque anno impressionis, & Typographi nomine *Orationes duæ elegantissimæ* quarum 1.am habuit Cistercij ad Abbates ibidem congregatos in capitulo generali. Cuius initium est: *Quod vniuerso nostro Cisterciensi Ordini* &c. 2. habita fuit ibidem, capitulo generali iam completo; quæ sic incipit, *diuinæ erga nos beneficentiæ* &c. Vtraque impressa est in 4. reperiturque hoc anno 1654. Bruxellis apud Carthusianos. vid. plura apud Ludouicum Iacob Carmelitam, lib. de Scriptoribus Cabilonensibus.

S. Edmundus, cognomento *Richius*, natione Anglus, patre Edubardo Rich mercatore natus; matre vero Mabilia: Iuuenis studiis applicatus, Oxonij humaniores litteras didicit. Indè Parisios missus, philosophicis studijs, linguæque Gallicæ sedulam operam dedit; quam linguam ita exactè didicit, vt frequenter gallicè concionaretur, & etiam quædam Gallicè scripserit. Postmodum Oxonium rediens, ibidem per sexennium integrum, philosophiam & mathesim docuit; indeque denuò Parisios profectus, matris iam defunctæ, sibique apparentis hortatu, ad theologiam transiens, tantum in ea profecit, vt intra paucos annos, in Parisiensi Academia, supremæ illius scientiæ Doctorali donatus laureâ, eandem etiam publicè, summa cum laude, per annos aliquot professus fuerit. Quo tempore, iucunda satis visione meruit honorari. Videbatur ei copiosus ignis in scholam suam illabi, atque indè 7. faculas extrahi: & sequenti die, Abbas quidam Cisterciensis Ordinis eò aduenit, & Lectione absoluta, 7. ex eius discipulis secum abduxit, qui omnes facti sunt Monachi in eius monasterio. Crescente virtutum & doctrinæ fama, non tulerunt diutius tanti viri absentiam. Henricus III. Anglorum Rex, Regnique Proceres, sed Ecclesiæ Satisberiensis canonicatu honoratum in patriam reuocarunt, ac paulò post, anno scilicet 1234. ad Cantuariensem Archiepiscopalem cathedram prouehi curarunt, quantumuis etiam inuitum. Verum cum ob libertatis Ecclesiasticæ defensionem, graues mox inter ipsum & Regem difficultates oriri, inuidorumque malitia vndique se magis & magis circumueniri videret, adeò vt etiam ipsum Cantuariense Canonicorum collegium se eidem opponeret; voluntarium complexus exilium (exemplo Prædecessorum) suorum, Sancti Thomæ. & Stephani Langtoni, Cantuariensium Episcoporum) in Gallias migrauit, & Pontigniacum se contulit, vbi assumpto habitu Cisterciensi, reliquum vitæ in lachrymis & suspirijs transegit. Paucis tamen antè obitum diebus, cum grauissimâ correptus infirmitate (de medicorum consilio, aëris mutationem suadentium) Soliacum, ordinis nostri Prioratum, adijsset, inualescente morbo, ibidē sanctissime obdormiuit in Domino. anno 1242. Vndè corpus Pontigniacum relatum, magnis continuo cæpit clarescere miraculis, quorum intuitu, Innocentius IV. eum Sanctorum numero adscripsit, 6. ab obitu anno. Festum eius colitur 16. Nouembris. Vide Molanum in Annotationibus ad Vsuardi Martyrologium; & Henriquez in Menologio Cisterciensi, eodem die. *Corpus eius etiamnum, à tot sæculis, integrum & incorruptum, & innumeris miraculis gloriosum, conseruatur Pontigniaci. vt diserte testatur Reuerendissimus Dominus Matthæus Abbas Pontigniacensis Modernus, S. Theol. Doctor, &c. Litteris suis ad me datis, 15. Decembris, anni* 1647. Compendium vitæ ipsius vid. apud Harpffeldium, cent. 13. cap. 7.

Varias autem post se lucubrationes reliquit Sanctissimus Edmundus noster, ex quibus adhuc extant sequentes, referente Pitsæo, lib. de Illustribus Angliæ scriptoribus:

Speculum Ecclesiæ. Opus hoc omnibus christianis est vtile, quod monachis Pontigniacensibus

bus dicauit. Incipit: *In nomine dulcissimi Domini* &c. M.S. Cantabrigiæ, & Oxonij in Bibliothecis publicis. Extat & impressum in Bibliotheca Patrum, tom. 5. editionis 2.

Vide Bellarminum de scriptoribus.

De Contemplanda Deitate, lib. 1. Gallice. Quem librum posteà latinum fecit Guillielmus Beufeu, Notthamthonensis Carmelita. incip. *Videte ad quid*, &c.

Synodales Constitutiones variæ; ex quibus apud Linvbodum, se legisse sequentes, scribit Ioannes Pitsæus, suprà:

De Consuetudine: Nullus rectior, &c.

De Temporibus ordinandorum: Eos qui. &c.

De Sacra vnctione: Panni chrismales &c.

De Officio Archipræsbyteri: Item commoneant &c.

De Treuga, & Pace: Magna nobis, &c.

De Voto, & voti redemptione: Præcipimus, &c.

De Religiosis domibus: Quoniam religionum &c.

De Celebratione missarum: In celebratione missarum.

De Baptismo, & eius effectu: Baptisterium &c.

De Custodia Eucharistiæ: Fontes &c.

De Ecclesijs ædificandis: si Rector Ecclesiæ.

De dispensatione impuberum: Ubi non est consensus &c.

De accusationibus, inquisitionibus, & denuntiationibus: sunt in quolibet &c.

De Simonia: Præterea venalitatem &c.

De his, quæ filios occiderint: Fœminæ commoneantur.

De Homicidio: si mulier mortua &c.

De Excessibus Prælatorum: Monemus &c.

De pœnitentiis: & remissione: In confessione habeat &c.

Hæc Pitsæus. At R.mus Pontigniacensis memoratus, in serie Scriptorum monasterij sui, quam pariter (mense & die allegatis) mihi transmisit, testatur S. hunc Edmundum præter hæc adhuc scripsisse, *Commentaria in 12. Prophetas minores.* Item, *speculum Religiosorum*, diuersum à *Speculo Ecclesiæ* supra memorato; quod etiam Pontigniacensibus Religiosis dedicauit. Inc: *videte vocationem vestram* &c. Inuenitur in S. Pantaleone Coloniæ, teste Bunderio.

Cæterum, vitam Sancti Edmundi scripsit (testibus, Molano & Pitsæo) Robertus Richius, eiusdem frater germanus, quem Seguinus Cisterciensem facit, & in Bibliothecâ sua cæteris eiusdem ordinis scriptoribus adiungit: cuius ego sententiæ non ausim subscribere, quia apud nullum Angliæ scriptorem, vel leue huius vestigium reperire potui. Scripsit etiam eandem vitam Robertus Baconus, S. Theol. Doctor, Sancti viri discipulus, & plures alij. Vide Ioannem Molanum, in Annot. ad Martyrologium, 16. Nouembris & Henriquez in Menologio, eodem die.

Edmundus Schnider, Prior & Lector inclyti cœnobij B. Mariæ ad sanctum Vrbanum, iuxta *Lucernam*, Catholicarum apud Heluetios urbium Principe. Edidit, *Philosophiam rationalem, seu Dissertationes Logicas*, præfixa insigni & prolixâ epistola ad Prætores & Senatores Reipublicæ Lucernensis. Lucernæ typis Dauidis Hautti, anno 1640. in 12.

Edmundus Tyraquellus monachus Cistercij, & Actor ordinis in Curiâ Romanâ, posteà Abbas Pontifredi (alias, Sancti Georgij) & tandem Villarij Bethnacensis, ac Suffraganeus Metensis; *Opera Sancti Bernardi recognouit, aliquot nouis epistolis auxit, & in lucem emisit anno, 1601. præfixa insigni epistola dedicatoria*, ad Edmundum à Cruce, Cistercij Abbatem. Scripsit prætereà, & edidit lingua Gallica, diuersos alios libros, sub diuersis titulis, testibus Eximiis Dominis

Claudio Chalemet & Iosepho Arnolfinij, S. Theol. Doctoribus, in relatione M.S. ex Gallijs mihi transmissa. Viuebat adhuc anno 1640.

Elias de Coxida, à patria cognomen sortitus, pago scilicet territorij Furnensis in Flandria, Abbas fuit cœnobij nostri de Dunis, numero 7. ob eximiam vitæ sanctimoniam Menologio Cisterciensi adscriptus, 8. Octobris. Cuius sanctitatem & excellentem doctrinam, vniuersa propemodum Europa admirata coluit, vt videre est in eius vita, quam ex monumentis Dunensis monasterij conscripsit & edidit Henriquez in fasciculo, & latius in libro de Sanctis Eremi Dunensis, quē edidit lingua Hispanica. Hic ille est Elias, qui eloquentia sua, & authoritate qua pollebat apud Leopoldum Austriæ Ducem, Richardum Angliæ Regem ex captiuitate liberauit, vt ad longum in vita describitur. *Plures olim in Dunensi Bibliothecâ legebantur eiusdem conciones, pietate & doctrina refertissima, quæ tamen iniuria temporis modò exciderunt*, duabus exceptis, etiam in capitulo generali Cistercij habitis, quarum primam in antiquo M.S. codice Bibliothecæ nostræ Dunensis, repertam, publicaui anno 1649. in hoc libro; 2.am ex Bibliotheca S. Gisleni (vbi etiam habebatur prior iam dicta) submministrauit vir doctissimus, Georgius Gallopinus, eiusdem cœnobij Religiosus, quam vnâ cum primâ Lectoribus exhibebo:

Sermo 1. Dompni Helyæ Abbatis de Dunis, habitus in capitulo generali Cistercij.

Rectorem te constituerunt, noli extolli; sed esto in illis, quasi vnus ex ipsis.

SI iuxta Prophetam (*Isaiæ 51.*) respicere iubemur ad Abraham Patrem nostrum, & ad Saram quæ peperit nos; vtriusque loco, quasi petram de qua excisi sumus, reputare debemus communiter Ecclesiam istam, hæc enim est mater nostra, in cuius vterum iterum introiuimus, vt iterum renascamur ad vitam, vt potemur à lacte, & satiemur ab vberibus consolationis eius, vt de ea, quasi de horreo veri Ioseph, frumenta percipiamus, nō modò ad eum vt ipsi pascamur, sed etiam ad semen, vt alios reficiamus: & tanta benedictionum gratia fæcundati, non solum ipsi fructum bonorum operum pariamus; sed etiam alios, exemplo nostri, parere faciamus; vt neminem tangat nota sterilitatis, maledictum in filijs Israël. Propter hoc huc vsque cucurrimus, non vt currendi terminum hic figamus, sed vt materno vbere recreati, fortiores, alacriores, & indeficientes curramus, donec ad metam nobis propositam perueniamus: neque enim idcirco ad locum vndè exeunt flumina, reuertuntur, vt ibi sistant, sed vt liberius & vberius iterum fluant. Respicit ad nos turba magna, quam dinumerare nemo potest, ex omni natione, tribu & lingua; populus pendens ad reditum nostrum, fratres, & filij, consortes & conciues nostri, expectantes, & expetentes, vt obuiis manibus cum gaudio suscipiant plenis mercibus redeuntes, referentes sibi vitæ pascua, & pabulum animarum. Quibus etsi fortè præesse videmur honoris dignitate, aut certè oneris grauitate; consortium tamen naturæ, communionem vitæ, originem conditionis nostræ, semper considerare debemus, vt eos quibus honore præferimur, apud Deum in conscientia, vitæ merito præferamus. Sic nos delectat & afficiat dignitas honoris, vt tamen semper magis exterreat pondus oneris, & modis omnibus laboremus prodesse potiùs, quam præesse. Cum enim ad dignitatem duo pertineant, scientia & virtus, dignitatem sine scientia, iudicio sapientis, constat esse satis inutilem; scientiam verò sine virtute, damnabilem. *Sicut* enim, ait quidam, *honor sine humilitate,*

militate, sese perducit ad confusionem; humilitas sine honore, sibi sufficit ad honorem. Vndè Sapiens sapienter instruens, & sapientiæ viam docens, quid Prælatis fugiendum, & quid eligendum sit, paucis exponit & ostendit, cum dicit: *Rectorem te constituerunt, &c.* In quibus verbis, secundum quod ad præsens occurrit, quatuor videntur posse notari: scilicet; ad officium pastorale, cura sollicitudinis ad libertatem canonicè electionis, concordia virtutis; ad cautelam, custodia humilitatis, & vitæ conformitas, ad obseruantiam charitatis.

Cum ergo audis, *Rectorem te* attende curam sollicitudinis. Cum audis, *Constituerunt*, intellige vnitatis concordiam in libertate canonicæ electionis. Cum audis, *noli extolli*, obserua humilitatis custodiam. Et cum audis, *Esto in illis quasi vnus ex ipsis*, vitæ nota conformitatem, ad obseruantiam charitatis. Non est sanè dignus censeri nomine Rectoris nec assumi debet ad opus regiminis, cui deest cura sollicitudinis; cui nec scientia suppetit erga infimos ad medelam salutis, nec vitæ meritum suffragatur in ostensione virtutis. Indebitè satis, & periculosè rapitur, & trahitur ad publicas curas, qui diutius antè non gessit sibi integritate priuata, quia *non decet illum delinquere, qui alios debet sub æquitatis regula continere, ne fiat prauum exemplum, qui electus ad habile nostitur institutum.* Et cum Rectori congruat, vt seipsum, & alios sub disciplinæ censurâ regat, quædam sunt, quibus sibi; quædam quibus aliorum vtilitati consulit & saluti. Sibi consulit, si castus fuerit corpore, corde mundus, vt si tendat ad amplexus Rachelis, septem annis seruiat, & sabbatum ex sabbato faciat: vt non solum se temperet à prauis operibus, sed etiam à cogitationibus quiescat illicitis. Ad officium eius etiã pertinet, vt sit in victu sobrius, in habitu compositus, in gestu disciplinatus, mansuetus in moribus, in vultu serius, in sermone circumcisus, patiens & fortis ad aduersa, humilis & temperatus ad prospera: vt sit in eo, vespere & mane dies vnus: Siue enim mane prosperitatis arrideat, siue vespera aduersitatis insurgat, idem semper animi status, quasi dies vnus esse debet in eo, diem æternitatis desideranti, de qua dicitur: *Melior est dies vna in atrijs tuis, super millia.* Cum hi, qui virtutes Christi Domini mirabantur, Regem eum constituere vellent, fugit ab eis; crucifixoribus verò promptus occurrit: vt scilicet hoc exemplo cauti simus ad blandimenta sæculi deuitanda, prompti verò ad contraria sustinenda. Hæc & eiusmodi sunt, quibus Rector debet seipsum regere, præter alia, quibus tenetur aliorum saluti consulere. Nam erga alios, oportet vt sit vigil & sollicitus, prouidus, & circumspectus, misericors & iustus: vt tanquam omnium curam habens, omnia omnibus fiat, vt omnes lucrifaciat. Oportet vt habeat ad regendum, virgam & baculum: ad sanandum, vinum & oleum: ad charitatis & castitatis exemplum, rosam & lilium: ad offerendum sacrificium, ignem & gladium. Oportet insuper vt habeat ad pascendum, panem in perâ: ad coërcendum & vrgendum, frænum & calcaria: ad terrendum, canem in fune; ad pungendum, in fundâ lapides de torrente: ad animandum & exterminandum, tubam à dextris, & lagenam à sinistris: vt pro salutis verbo quod prædicat, etiam libens, si necesse fuerit, moriendo succumbat, & pro ouibus suis animam ponat. Talibus omninò deesse non credimus post confractionem lagenarum, quo fungentur aduersarij, lumen ardentium lampadarum, siue claritatem bonæ opinionis, per meritum, siue effectum operationis in ostẽsione virtutis. Multitudo talium Sapientium, est sanitas orbis terrarum. Quia nec Salomon in omni gloria sua, coopertus est sicut vnus ex istis, qui talibus est redimitus insignibus. Oportet prætereà, vt Rector, sicut cæteris præfertur

 officio,

officio, sic bonæ conuersationis eos inuitet exemplo, sicut aquila prouocans ad volandū pullos suos & super eos volitans. Quo modò enim potest aquila prouocare pullos suos ad volandum, nisi super eos volitet? est qui infrà, est qui iuxta, & est qui supra pullos suos volitat. Infrà volitat aquila, quando vitæ subditorum vita pastoralis inferior, humilior, & despectior inuenitur. Iuxta volitat, quandò vita eius communis est cæteris, & æqualis. Sed supra pullos suos volitat, quando eos quadam prærogatiua sanctitatis excellit, vt & viam doceat, antè alios volando, & sit eis in vmbraculum diei ab æstu, consolationis, exhortationis, & orationum suffragijs protegendo. Post mortem Iosue consuluerunt filij Israel Dominum dicentes; *Quis adscendet antè nos contra Chananæum, & erit dux belli?* Non dicunt. Quis ibit nobiscum, aut quis sequetur nos: cum illud pertineat ad communem & promiscuam multitudinem: sed, *Quis adscendet antè nos, & erit dux belli?* Dux belli meritò vocatur, qui alios ducere, alios solet animare, & in omni periculo, antè omnes alios primus ire. Hinc illud egregium in laudem Cæsaris habetur, quod nunquam in aliquo periculo dixerit militibus suis, *Ite illuc*, sed, *Venite huc*. Vndè satis eleganter quidam admonet, dicens

In commune iubes si quid, censesque tenendum,
Primus iussa subi, tunc obseruantior æqui
Fit populus, nec ferre negat, cum viderit ipsum
Authorem parere sibi; componitur orbis
Regis ad exemplum; nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, quam vita Regentis.

Sic cœpit Iesus facere & docere, & à nobis requirit, vt os ad axellas retorqueamus vt gladium ponamus super femur nostrum, vt aquam ipsi bibamus de cisterna nostra. Et de Angelo in Apocalypsi de cælo descendente legitur, quod libellum habuit in manu sua. Libellum Angelus in manu habet, quandò nuntius verbi Dei, mandata diuinæ legis, quæ alijs prædicat, ipse bonis operibus adimplet. *Parauit*, inquit, *eos in innocentia cordis sui, & in intellectibus manuum* (id est, in operibus intellectualiter factis) *eduxit eos*: intellectum manuum, actualem vocans intelligentiam. Et hæc dicta sint, vt Rectoribus pastoralis commendetur cura sollicitudinis, & nō tam honoris, quam periculosi oneris debeant meminisse, cum audiunt, *Rectorem te constituerunt*, &c. Non enim ausu temerario irruperunt, nec authoritate propria præsumpserunt, nec per violentiam intruserunt: sed, *constituerunt*, id est, simul vnanimi consensu, pari voto, communi voluntate, & canonica electione statuerunt. Cum enim ad omnimodam perfectionem teneantur Prælati (vndè eis & Aurea debetur, & Aureola) exactiore diligentia debet examinari, quicunque dignè ponendus est Pastor populi Dei; ad colendum, ad regendum, & ad dispensandum patrimonium Crucifixi. Nemo etiam sibi assumit honorem (id est, assumere debet honorem) nisi qui vocatur à Deo, tanquam Aaron. Vocatur autem à Deo, si eligitur qualis debet, & qualiter decet, & à quibus oportet, qui habeant & cognitionem veri, & electionem boni: cognitio enim veri, non permittit errare iudicio; electio boni, amore facit inhærere diuinæ voluntatis arbitrio. Vocatur etiam à Deo, si nec per violentiam superioris intruditur, nec gratia priuati amoris assumitur, nec ambitione prælationis ingreditur; hæc enim tria, scilicet violentia, priuatus amor, & ambitio, promouere solent indignum. Caueant proinde qui in gradu sublimiore positi sunt, ne propter potestatem sibi concessam, iniustè aliquid disponant, nec indignum violenter intrudant: quia sicut habetur in Iure: Priuilegium meretur amittere qui permissa sibi abutetur potestate. Videant & reco-

recogitent, qui priuato amore se diligunt, qui obscurato orationis oculo, quod iustum est liquidè non discernunt, dùm in alteram semper partem, aut gratia labuntur, aut odio: quasi enim duplex quartana est, gratia & odium, cui sola iustitia medicinale apponit antidotum. Caueant & illi quos torquet ambitio magistratus, ne dum gradum se putant conscendere supremum, vsque ad infimum relabantur, & eleuati supra se, infrà se deijciantur, sicut scriptum est: *Deiecisti eos Domine dum alleuarentur.* Caueant ne aliundè quam per ostium in ouile ouium intrare conentur; ne non tam pastores, quam fures & latrones, summi Pastoris iudicio reputentur; & vestem nuptialem non habentes, à cœlestibus nuptijs excludantur, & mittantur in tenebras exteriores, vbi erit fletus, & stridor dentium. *Fletus* est oculorum, qui prouenit ex calore; & *stridor*, dentium, qui contingit ex frigore: quia in tormentis positi, transibunt (sicut dicitur) ab aquis niuium, ad calorem nimium. Mundus eris à sanguine isto, si tu, cuius interest domui Dei dignum ordinare ministrum, iuris ordinem non excedas; si de aliorum iure tibi nihil vsurpare præsumas; si absque omni personarum acceptione, eum qui vocatur à Deo, canonica electione instituas, & talem, qui iuxta Prophetam, euellat & destruat, disperdat & dissipet, ædificet & plantet: euellat, inquam, vitium, vbi radicem iam fixit: destruat, quod in altum iam pullulauit: disperdat, quod per prauam consuetudinem inoleuit: dissipet, quod alios exemplo prauitatis infecit: ædificet demũ, aurum, argentum, lapides pretiosos, vbi naturale repererit fundamentum, & animum ad bonum dispositum: plantet in terra cordis (cum arata fuerit & purgata diligenter, ac impinguata) fidei germina, plantaria virtute: vt sit in domo Dei hortus deliciarum, in suauiiucunditate communiter viuentium, hortus nucum in duritia & asperitate pœnitentium; flores rosarum, in feruenti charitate Deum amantium; lilia cõuallium, in enitenti castitate humilium: & postremò, paradisus pomorum omnium, in dulcedine æterna iam prælibantium, & spirantium longè latèque bonæ opinionis odorem, imitationis exemplum. Huic autem qui taliter est à Deo vocatus, & canonica electione taliter est constituendus, nihil tam necessarium, quam vt virtutem humilitatis custodiat; *Quia qui sine humilitate* (vt dicit S. Greg.) *virtutes congregat quasi in ventum puluerem portat.* Vndè Sapiens, inter cætera quibus Rectorem instruit, ne extollatur admonet, dicens: *Rectorem te constituerunt, noli extolli. Noli extolli*: Bestia diuersorum capitum, quæ ex diuersis causis trahit originem, superbia est, quæ natione cælestis, sublimium mentes inhabitat, in cinere latitat & silice, prima suscipit venientes, vltima recedentes insequitur.

Cum benè pugnabis, cum cuncta subacta putabis,
Quæ post infestat, vincenda superbia restat.

Hæc illa primogenita filia Regis Babylonis, quæ Angelum deiecit de cælo, hominem expulit de paradiso: quia antè ruinam exaltatur cor: hæc è lampadibus fatuarum virginum effundit liquorem olei. hęc ieiunantes & operantes euacuat, & annihilat opera Pharisæi: hæc plerosque qui videbantur euasisse mundi diluuium, retraxit ad vitiorum profundum: quia non habuerunt; quia non habuerunt humilitatis stabile fundamentum. Dominus noster magister humilis formam humilitatis in se nobis expressam ostendens, *Discite* inquit, *à me, quia mitis sum, & humilis corde.* B. Antonio in visione videnti laqueos tensos vsque ad cælum, cum quæreretur, & quæreret, quisnam pertransiret omnes laqueos, illos? cælitus responsum est. Antoni sola humilitas. Abraham Pater vester, cinerem se

vocat & puluerem: Dauid electus à Deo, & vnctus in Regem, canem mortuum, & pulicem vnum: & in conspectu seruorum suorum, & ancillarum suarum, ludit & vilem se facit coram Domino, qui elegit eum potius quam Saul. Et id quidem prouidè satis, & iustè, si enim rerum status, recto ordine, & æquo libramine pensaretur, omnis occasio superbiendi, certa esset causa & materia homini se humiliandi. Si præfulges scientia, si præemines potestate, si diuersis gratiarum donis insignitis, nihil habes quod non accepisti, da gloriam Deo, & quanto maior es humilia te in omnibus. Si splendor domesticus, si præclara Patrum memoria, si gloria sanguinis alti animos tibi tollit: memento, quia gloriosius multò est, vt à te tua nobilitas incipiat, quam vt in te desinat. Satius est, ait ille Romani maximus author eloquij, satius est, me meis rebus gestisque florere, quam maiorum opinione niti, & ita viuere, vt sim posteris meis nobilitatis initium, & virtutis exemplum.

Malo pater tibi sit Tersites, dummodò tu sis
Eacidæ similis, Vulcaniaque arma capessas;
Quam te Tersitæ similem producat Achilles.

Ait ille, nescio quis. Et item:

Stemmata quid faciunt, quid prodest, Pontice, longo
Sanguine censeri, pictos ostendere vultus
Maiorum, stantes in curribus Æmilianos?

Et hoc vanitas, vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Si rectè infirmitatem propriam consideras, si te pudet præteritæ conuersationis, si suscepti beneficij memor sis, si tibi colligis & comparas multos te meliores, si timorem extremi examinis antè oculos ponis, rectè videbis nouissima tua, & in æternum te non exaltabis. De 1. exemplum habes in prædicto Abraham, qui propriam infirmitatem considerans, quo frequentius à Dominò visitatur, & familiarius ad eius admittitur colloquium, eo humilius de se sentiens, *Loquar*, inquit, *ad Dominum meum, cum sim puluis & cinis*. De 2. Exemplum habes in Apostolo Paulo, qui præteritæ conuersationis errores in mentem reuocans. *Qui prius*, inquit, *fui blasphemus & persecutor, non sum dignus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei*. De 3. exemplum habes in Ioseph, qui suscepti beneficij memor. *Non est*, inquit, *quidquam in domo Domini mei, quod non dederit in manu mea, præter te, quæ vxor eius es: & quomodò possum hoc malum facere: & peccare in Dominum meum?* De 4. exemplum habes præclarum in Sancto Ioanne Baptista, qui cum esset testimonio veritatis, aut maximus, aut certè par maximis, in comparatione melioris, multum se humiliauit, dicens: *Non sum dignus vt soluam corrigiam calceamenti eius*. De 5. exemplum habes in Beato Arsenio, qui timorem Dei mente gerens, propter abundantiam lacrymarum, continuè legitur pannum in sinu gestasse, & cum in extremis ageret, interrogatus an ipse timeret: *Timeo*, inquit, *timeo, & hic timor semper in me fuit, ex quo factus sum monachus. Væ omni laudabili etiam vitæ hominum super terram, si remota misericordia discutias eam Domine Deus. Nemo mundus à sorde, & omnes iustitiæ nostræ quasi pannus menstruatæ in conspectu altissimi.* Præmissis authoritatibus & exemplis, Rectoribus virtus humilitatis proponitur, commendatur, & approbatur, vt si fortè superius à Deo vocati fuerint, & præclarè quid egerint, non statim eleuentur, sed potius firmissimè teneant admonitionem Sapientis, qua docet: *Rectorem te constituerunt, noli extolli, sed esto in illis, quasi vnus ex ipsis.* Esto, inquit, in illis, *quasi vnus ex ipsis:* hic notatur vitæ conformitas, ad obseruantiam charitatis. Nihil ita facit ad obseruantiam charitatis, nihil æquè fauorem & gratiam com-

comparat aliorum, quam si in alto non altum sapias, sed consentias humilibus, & eis conformiter viuens, sis in illis quasi vnus ex ipsis. *Esto*, inquit, *in illis quasi vnus ex ipsis*, vt illorum prorsus induens affectum, & gaudeas cum gaudente, & dolenti condoleas, & cum infirmo noueris infirmari, & vri cum scandalizato. Esto in illis, quasi vnus ex ipsis, in affabilitate colloquij, in prouisione subsidij, in perceptione commodi, in æquitate iudicij, quæ maximè videntur pertinere ad conformitatem viuendi. *In affabilitate colloquij*, vt abundes animi sale cum consuleris, melle cum consulis, vt piæ consolationis solatijs attracta currat ouicula tua, colligatur, & quiescat in sinu pastoris, vt ex ore tuo dulcedinem percipiat vnctionis, non asperitatem duræ sententiat punctionis. *In prouisione subsidij*, vt eorum in omnibus prouideas necessitati, sicut tibi velles in similibus prouideri; lex enim naturalis est, *Quæ vultis vt faciant vobis homines, hæc & vos illis similiter facite. In perceptione commodi*, vt nec habitus cultior, nec victus accuratior, nec lautior apparatus quæratur, sed ita de communi suppleatur necessitas, vt omnis superfluitas præcidatur, & sic obseruetur pacis vnitas, & concordia charitatis. *Carnis curam ne feceritis in desiderijs*, ait Apostolus. Dicens, *Carnis curam ne feceritis*, præcidit superflua; addens, *in desiderijs*, non excludit necessaria. Porrò. *In æquitate iudicij*, esto in illis quasi vnus ex ipsis, vt eo modo de alijs iudices, quo te velles ab alijs iudicari: & eo spiritu accedas ad aliorum corripiendos & corrigendos excessus, quo tuos & corripi velles, & corrigi. Nunquam enim (vt ait S. Augustinus) nunquam alieni peccati corripiendi suscipiendum est negotium, nisi quando coram Deo liquidè nobis conscientia nostra respondeat, ex dilectione nos facere. Si corripis, ex dilectione corripe, & salua sunt omnia, habe charitatem, & fac quod vis. Sunt tamen quidam, qui in hac parte minus æquales in iudicando, in seipsos nimis propitij & humani, alios, sicubi fortè errauerint, seuerius quam verius iudicantes, & nihil se fecisse arbitrantur, nisi ad singulos subditorum excessus, mordeant, latrent, & occidant: & videri volentes se exercere iustitiam, tyrannidem incurrere non formidant. Statera & statera, pondus & pondus, vtrumque abominabile est apud Deum. Apud tales melius recipitur sententia illorum, qui fastidiosè conclamantes, dixerunt: *Tolle, tolle, crucifige, crucifige illum*, quam illud benignum benigni iudicis iudicium, *qui sine peccato est vestrum, primus in eam lapidem mittat.* Non sic Sanctus ille, non sic, qui cum audisset alium grauiter peccasse, statim prorupit in fletum, dicens: *Ipse hodiè, ego cras.* Tu itaque Pastor bone, summi Pastoris imitare exemplum, esto in illis, quasi vnus ex ipsis, vt pietatis indutus affectum, sis affabilis in communione colloquij: sis prudens, & sollicitus in prouisione subsidij: sis parcus, & tibi minus indulgens in perceptione commodi: sis iustus, & rationabiliter incedens in æquitate iudicij, aut certè misericordiam superexaltans iudicio, vt idem consequaris & ipse. Hanc autem misericordiam quam vltimò tetigimus, quia in vltimis maximè indigebimus, nobis omnibus Pater misericordiarum concedat, & qui nos vocauit in opus sollicitudinis huius, ipse in nobis, & pro nobis bonum promoueat: & qui sine ipso nihil possumus facere, quemadmodum nec palmes fructum ferre, nisi manserit, in vite, ipse nos tanquam veros palmites, perpetuò manere faciat in se, verà vite, vt postremò perueniamus ad ipsum fontem vitæ, Iesum Christum Dominum nostrum: cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

FINIS.

Sermo

Sermo 2.us Dompni Helyæ, Abbatis de Dunis, habitus etiam in capitulo generali, circà annum 1190. ex antiquo M.S. S.Gisleni, Ord. S. Benedicti.

Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Ioannis 14.

Cum sit perdifficile negotium in multitudine loqui, vbi ætatis & morum diuersa conditio est, non sine verecundiá in tam reuerendo Collegio iniunctum onus loquendi suscipio, cui nec sciētia suppetit ad doctrinam, nec ad exemplum sufficiens vitæ meritum suffragatur. Memor tamen quia subiugale mutum corripuit Prophetæ insaniam, (a) & leprosi salutem Samariæ nuntiabant; tutius & liberius exemplo hoc, fungar vice cutis, acutum quæ ferrum valet reddere, licet expers ipsa secandi. Proindè, *recordare mei Domine omni potentatui dominans, & da sermonem rectum & benè sonantem in os meum, vt placeant verba mea tibi pro alijs, & tam pro me, quam pro alijs placent te.* Placebunt autem, si prudenter & rectè per discretionis prouidentiam exquisita, & ad virtutem audientium, cum omni fuerint humilitate probata: Placabunt verò, si verborum virtute compuncti peccatores, ad pœnitentiam conuertantur, pigri & desides ad currendum fortius animentur, fortes & alacres, in amorem Dei firmius solidentur. Tota sanè intentionis summa circa tria debet versari, vt ad ampliorem dilectionem corda audientium moueāntur, & de diuersis mundi partibus congregatos illo nos igne per Spiritum Sanctum contingat cælitus inflammari, quem Dominus noster Iesus Christus misit in terram, (b) & voluit vehementer accendi.

Huius rei experimentum non fallax, sed certitudinis euidentissimum est argumentum, si professioni vocis opera ipsa respondeant, & dilectionis meritum emendet executio mandatorum. Quia iuxta venerabile dictum Sancti Gregorij, *probatio dilectionis, exhibitio est operis.* Hinc est, quod in hodierno Euangelio Dominus Iesus dilectus Sponsæ, candidus & rubicundus, veros & dilectos dilectores suos, à fictè diligentibus eum, manifestis indicijs, & tritâ ratione distinguens, ait. (c) *Si quis diligit me sermonem meum seruabit.* In quibus verbis, ostenditur conditio propositi, executio mandati, consecutio vtilitatis & commodi. Conditio propositi, vt, *Si quis diligit me.* Executio mandati, vt, *sermonem meum seruabit.* Consecutio vtilitatis & commodi, attenditur in tribus membris consequentibus: *Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.*

Conditio propositi remouet violentiam, & statuit libertatem arbitrij. Executio mandati, parit obedientiam, & tendit ad expectationem promissi. Porrò, consecutio vtilitatis & commodi, in iucunditate spiritus iam ex parte prælibat delicias æterni præmij. Auctor Vniuersitatis & dominus, primum hominem in sui conditione, libero donauit arbitrio, quo non solum liber esse posset à necessitatis coactione, verum etiam à peccato, & miseriarum perpessione. Post præuaricationem mandati, libertas illa depressa est, & ex magnâ parte iam perdita, adeò vt nec sine peccato possimus viuere, in isto corpore mortali, nec etiam diuersis miserijs pro status varietate, quotidiè non turbari; sicut scriptum est: (d) *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miserijs.* Interim, manet libertas à necessitate, post peccatum, æquè vt antè; quia sicut tunc cogi non poterat, ita nec modo. Manet utique libertas voluntatis, uti etiam fit ipsa capacitas mentis. Quoniam sicut ait Beatus Bernardus, (e) *nec peccato, nec miseria*

(a) *Num.* 22. 4. *Reg.* 7. (b) *Luca* 12. *vers.* 49. (c) *Ioannis* 14. (d) *Iob.* 14. (e) *De gratiâ, & libero arbitrio.*

miseriâ amittitur vel minuitur, nec maior est in Iusto quàm in Peccatore, nec plenior in Angelo, quàm in homine: siquidem tam plena est in malis quam in bonis, sed in bonis ordinatior. Tam integra (pro suo modo) in creatura, quam in creatore sed in illo potentior & gloriosior; & ideò, voluntas apud Deum meritò iudicatur, quæ ab omni necessitate libera, potest pœnam mereri vel gloriam. Idcircò Dominus noster neminem violenter impellit, neminem ex necessitate constringit, non destruens, sed statuens libertatem arbitrij, vt ex voluntate meritum augeatur: quia neminem iudicat salute dignum, quem prius non probauerit voluntarium. Omnibus sub liberâ conditione proponit: *Si quis diligit me, &c.* Nullus decipitur, nullus excluditur vel excipitur, sed, *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit.* Inter omnia præcepta quæ fidei Christianæ cultoribus proponuntur, sola dilectio cuiusdam excellentiæ præeminet dignitate, quoniam ipsius testimonio veritatis, (a) *Primum & maximum est mandatum: diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota anima tua, & ex tota mente tua.* In hoc enim præcepto, totius Philosophiæ disciplinæ continetur integritas. Hic Physica, quia omnes omnium naturarum causæ à Deo sunt. Hic Ethica, quia morum nunquam formatur honestas, nisi cum ea quæ diligenda, & quomodo diligenda sunt, diliguntur. Hic Logica, quia lumen & veritas animæ rationalis, non nisi in Deo, vel Deus. Hic Reipublicæ salus, quia ciuitas nunquam benè custoditur, nisi quãdo commune bonum diligitur, quod est Deus. Et ideò, mandatum de dilectione nobis proponitur, & præponitur alijs mandatis, sine quâ sola, salus haberi non potest: *Diliges Dominum Deum tuum.* Tunc benè diligis, si in præsenti nihil contra Deum; in futuro nihil diligas præter Deum. *Diliges Dominum Deum tuum.* Tunc benè diligis, si omnes motus tui sint de Deo, & ad Deum. Sunt autem quidam motus, neque de Deo, neque a Deum, vt quando mouemur ad carnalem concupiscentiam, ad furtum, homicidium, & his similia: Quidam verò sunt motus, de Deo, sed non ad Deum, vt quando mouemur ad illicitum iuramentum, vel blasphemiam. Sunt etiam quidam motus, ad Deum, sed non de Deo, vt quando necessitatibus proximorum subuenimus misericorditer. Denique sunt quidam motus de Deo, & ad Deum, & hi in futuro, quando eum & sine difficultate videbimus, & perfectè diligemus, & ipso sine aliquâ interruptione fruemur. Est ergò Deus diligendus, & ob sui meritum, & ob commodum nostrum; siue, quia nihil iustius, siue quià nihil potest fructuosius diligi. Si causam quæris, & modum, sicut ait Pater noster: (b) *Causa diligendi Deũ, Deus est, modus, sine modo diligere.* Nec absque præmio diligitur Deus, etsi absque præmij intuitu sit diligendus: sed dedit in meritum, se seruat in præmium; se apponit in refectionem animarum sanctarum, se in redemptionem distrahit Captiuorum. Talem itaque Dominum Deum tuum diliges ex toto corde tuo, ex totâ animâ tuâ, & ex totâ mente tuâ; id est, intellectu sine errore, voluntate sine contrarietate; memoriâ sine labore. Quod quidem ex parte nunc est in viâ quandoque perfectius erit in patria. Ad hanc dilectionem sicut omnes benignus Magister inuitat, ita omnibus ad sui cognitionem, argumentum probabile præstat, vt si verè Deum diligunt, id operum veritate demonstrent. Hinc est ergò quod dicit, *Si quis diligit me, sermones meos seruabit.* Sermo tuus, Domine, Sermo tuus veritas est, veritas Dei vna est, qua illustrantur animæ sanctæ: sed in hominibus plures sunt veritates, sicut ab vna facie, plures in pluribus speculis refulgent imagines. Itaque, sermonem Dei seruare, est in veritate ambulare, veritatem ex corde

(a) *Marci 12. & Lucæ 10.* (b) *S. Bern. tract. de diligendo Deo.*

corde & ore proferre, secundum veritatem iudicare, pro veritate libenter occumbere. Primum pertinet ad vitæ innocentiam; secundum, ad fidei constantiam: tertium, ad iustitiæ executionem; quartum ad perfectissimam charitatem. (a) *Maiorem enim hac dilectionem nemo habet &c.* Ergò in 1°. est homo simplex & rectus, in 2°. Confessor inuictus, in 3°. cognoscitur iudex iustus: in 4°. victor mortis ostenditur gloriosus. In primo, viuit homo sine fermento malitiæ, in secundo, ambulat sine duplicitate: in tertio, gratiam excludit & odium: in quarto, acceptabile seipsum Deo offert holocaustum. De 1°. dicitur, (b) *Deduc me Domine in viâ rectâ, & ingrediar in veritate tuâ.* De 2°. (c) *Sit sermo vester, est est, non, non.* Est autem sermo noster, est est, non non, quando duplici veritate, cordis videlicet & oris aliquid asserimus vel negamus; & sicut electi, pro hac duplici veritatis confessione, vestientur duplicibus, & in terrâ duplicia possidebunt: sic reprobi, qui in corde & corde loquuntur, pro falsâ duplicitate, induentur sicut diploide confusione suâ, & duplici contritione conteret eos Dominus Deus noster. De 3°. dicitur: (d) iustè *indica proximo tuo* Hoc indicium veritatis in se commendat Dominus, dicens. (e) *Sicut audio, iudico, & iudicium meum iustum est.* Hoc iudicio veritatis, (f) Daniel liberauit Susannam, misericors Iesus liberauit in adulterio deprehensam. (g) Salomon veræ matri propriũ filium reddidit, & per sententiam mortis, eum à gladij morte liberauit, ne gladio diuisus interiret (h). Ergò ne moriatur, morti adiudicatur. Hoc iudicium veritatis impugnant, timor, odium, & amor. De iudicio timoris dicitur (i) *si dimittimus eum sic, omnes credẽt in eum.* De iudicio odij: *Tolle, tolle, Crucifige eum* (k). Ad iudicium amoris pertinet, quod Dauid dicit, (l) *Parcite filio meo Absalon.* Porrò, de 4°. diuisionis membro, ipse Dominus dicit: (m) *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non habent quid faciant.* Hac animati fiduciâ, *ibant Apostoli gaudentes à conspectu Concilij, quod digni habiti essent pro nomine Iesu contumeliam pati* (n). Hac animati fiducia, *Sancti ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres, lapidati sunt, secti sunt, in occisione gladij mortui sunt pro Christo* (o), qui veritas est. Vt igitur sermo Christi verè seruetur, qui priuatam vitam agit, simpliciter ambulare studeat in veritate. Qui requisitus fuerit testimonium perhibere veritati, sine timore, sine ambiguitate, vel duplicitate, veritatem studeat ex corde & ore proferre. Qui locum tenet Iudicis, sine personarum acceptione, secundum veritatem studeat iudicare. Cui verò, causa, locus, & tempus, iuxta rationem persuaserint animam ponere pro veritate, non dubitet libenter occumbere. Secundum diuersas hominum qualitates, differentiam graduum, & gratiarum diuersitates, diuersis modis curritur via mandatorum Dei, & sermo Dei variè à varijs adimpletur. Iob per patientiam, Abraham per obedientiam, per castitatem Ioseph, Moyses mansuetudine, constantiâ Iosue præeminebat, & quilibet eorum pro modo suo placuit Deo & inuentus est iustus. Dauid humilis saltando placuit, non propter saltum, sed propter deuotionem. (p) Filij Israël cantauerunt Domino, & de perceptis beneficijs gratias exhibentes, accepti sunt ei. Tu vero, quisquis es: qui placere contendis, si tibi vox est, canta, si mollia brachia, salta, & quacunque potes arte placere, place. Non dico tamen hominibus, sed Deo; (q) *si enim hominibus placerem Seruus Christi non essem,* ait ille discipulus Iesu,

(a) *Ioannis* 15. (b) *Psal.* 85. (c) *Matth.* 5. (d) *Leuit.* 19. (e) *Ioannis* 5. (f) *Danielis.* 13. (g) *Ioan.* 8. (h) 3. *Reg.* 3. (i) *Ioan.* 11. (k) *Ioan.* 19. (l) 2. *Reg.* 18. (m) *Matth.* 10. *Luca* 12. (n) *Act.* 5. (o) *Ad Hebraeos* 11. (p) 1. *Paral.* 15. (q) *Gal.* 1.

Iesu, verus seruus Christi. Omnipotens Deus qui omnes potenter creauit, misericorditer omnes redemit, non despicit personam pauperis, nec honorat vultum potentis, cuiuscunque sit gradus, ordinis, vel dignitatis: in omni gente vel natione, qui facit voluntatem eius, acceptus est ei; qui respexit ad Abel & munera eius (a), pluris appretiatur dimidium bonorum Zachæi, quam duo minuta viduæ, quam calicé aquæ frigidæ de manu pauperis, quam is ex bonâ voluntate dedit Sacrificium bonæ voluntatis facit, *vt veniat pauper quoque gratus ad aram, & placeat calo, non minus agna boue.* Cum igitur Dominus noster medium & communem se præstet omnibus, ita vt nullus sit, qui de venia debeat desperare, non cogendo, sed proponendo, ad dilectionem sui, & mandatorum executionem æqualiter omnes inuitat, dicens: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit*, &c. Sed ecce, nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, Domine; ecce, diligimus & diligemus te, sermonem tuũ seruamus, & in æuum (te donante) seruabimus, sed quo fructu? quo præmio? Iesu bone, bone Iesu, quid dabis nobis? *Pater, inquit, meus, diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Hæc est prima quam prædiximus, consecutio vtilitatis & commodi, quæ triplex in se continet bonum; Primum videlicet, in scuto voluntatis bonę, 2um. in frequentiâ visitationis, 3um. in perseuerantia felicitatis. Primum est in affectu, 2um. in effectu, 3um. sine defectu: vt diligat, vt veniat, vt maneat. Felix ille quem diligit, felicior ad quem diligens venit, felicissimus, in quo sedem & mansionem facit. Porrò, diligere Dei, tripliciter accipitur: *Diligit*, id est, ad vitam prædestinat, & ita diligit solos prædestinatos; *diligit*, id est, in tempore gratiam apponit, & ita diligit in iustitiâ bonorum operum ambulantes: *Diligit*, id est, in suo esse conseruat; & ita diligit omnia. Vnde scriptum est: (b) *Nihil odisti eorum quæ fecisti.* Ad illos autem quos diligit, frequenter venit, sed veniendi causa diuersa est. Venit enim tanquam Mercator, tanquam Magister, tanquam iratus, tanquam medicus, aut tanquam hospes. Tanquam Mercator, affluentiam temporalium largiendo, vt per ea sic alliciat ad fidem, & mandatorum custodiam, sicut dicitur: (c) *Dedit illis Regiones gentium, & labores populorum possederunt, vt custodiant iustitiam eius, & legem eius requirant.* 2o. venit tanquam Magister, vt instruat, occultâ inspiratione insinuans voluntatem suam, timentibus nomen suũ, sicut scriptum est: (d) *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Audiam quid loquatur, vt obaudiam ei qui loquitur. Et in Isaiâ legimus: (e) *Ego Dominus docens te vtilia, & gubernans te in viâ quâ gradieris*, quasi Dei virtus. Sapientia, qua docta Græcia nihil habet sublimius; virtus, quæ sufficere potest 3o. Iudæis signa quærentibus, venit tanquam iratus, vt feriat varijs tentationibus, iniurijs, damnis rerum, molestijs corporum, affligens & crucians, vt à malo remoueat, promoueat ad bonum. (f) *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine*, ait Propheta. Et illud: (g) *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, & posteà* quid factum est? *accelerauerunt* ad correctionem. Asina enim Balaam afflicta, quandoque Angelum videt, (h) quem ipse Propheta non videt; quia caro molestijs oppressa, spiritum ad sui cognitionem ducit, quam in statu prosperitatis habere non potuit.

4o. Venit tanquam medicus, vt sanet, semiuiui vulneribus oleum & vinum infundens, (i) & non solum lauans maculas peccatorum, sed etiam languores corporum curans, sicut ait de puero Centurionis, (k) *Ego veniam & curabo eum*

(a) *Gen.* 4. (b) *Sapientia* 11. (c) *Psal.* 104. (d) *Psal.* 84. (e) *Isaia* 48. (f) *Psal.* 82. (g) *Psal.* 15. (h) *Num.* 22. (i) *Luca* 10. (k) *Matth.* 8.

eum. Tanquam medicus ſapiens & potens, occidit & viuificat, percutit & ſanat. (a) *Ego*, inquit, *occidam, & ego viuere faciam* &c. *occidam* in eis vitam culpæ, quia in voluptatibus carnis, & delitijs viuentes, mortui ſunt, *& ego viuere faciam*, in ſtatum meliorem mutatos, vitam gratiæ illis tribuendo, vt poſtremò perveniant ad vitam gloriæ, de qua dicitur: (b) *Cum enim Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloriâ.*

50. Venit tanquam hoſpes, tranſeundo per infuſionem gratiæ, affectum deuotionis indulgens, & pro conſeruatione humilitatis vtiliter ad tempus ſe ſubtrahens. (c) *In momento*, inquit, *indignationis meæ, abſcondi parumper faciem meam à te, & in miſericordijs ſempiternis recordatus ſum tui.* Illi autem per quos frequenter tranſitum facit, de facili obtinebunt vt maneat, ſi cum venerit, inueniat domum paratam, & virtutibus ornatam. Quod figuraliter innuit Sunamitis illa, quæ de Heliſæo ad virum ſuum loquens, dicit: (d) *Animaduerto, quod vir Dei ſanctus eſt iſte, qui per nos tranſit frequenter: faciamus ergo ei cænaculum paruum, & ponamus in eo lectulum, & menſam, & ſellam, & candelabrum, vt cum venerit, maneat ibi. Facta eſt igitur dies quædam, & veniens diuertit in cænaculum, & requieuit ibi.* Congruus ordo per omnem modum. In die venit, in die diuertit, & in die requieuit; nimirum, dies ille in quo tenebræ non ſunt vllæ. Sit ergò cænaculum, cor hominis ad ſuperna ſuſpenſum: ſit parvum, quod ſe in humilitate contineat; ponatur ibi lectulus, vt à mundanarum rerum ſtrepitu ſemotus, quieſcat: ſit menſa refectionis, vt ſacræ ſcripturæ ferculis diuerſis ſe paſcat; ſit ſella diſcretionis, vt opera ſua diſcernat & diiudicet, & ſeipſum diſtrictè iudicet. Poſtremo, ſit ibi candelabrum, vt claræ opinionis radios circumquaque diffundat. Eſt itaque cænaculum idoneum ad hoſpitem ſuſcipiendum; paruum ad humilitatis ſolifundamentum: eſt lectulus, ad dulcedinem contemplationis; eſt ſella, ad cautelam & diſcretionem iudicij: eſt candelabrum poſitum in ſublimi, ad exemplum benè viuendi, vt luceat omnibus qui ſunt in domo Dei. Taliter oportet ornetur & ordinetur domus interioris hominis noſtri, vt cum venerit ad nos verus Eliſæus, & ita inuenerit, non tranſeat, ſed maneat ibi. *Mane nobiſcum Domine, quoniam adueſperaſcit*, & nobis omnibus dies extrema eſt, vel in inſidijs; Mane nobiſcum, vt & nos maneamus in te. Quia ſi manſerimus in te, manebis in nobis, & ſic erit nobis plenum gaudium de eâ quam prædiximus, perſeuerantiâ felicitatis. Omnium quippè laus in fine canitur, & inter virtutes, ſola perſeuerantia coronatur. Cuiuslibet cauſæ iudicium, ab extremâ ſolet expectari ſententiâ; quoniam ſicut cauſa eſt cum proponitur, iudicium cum diſcutitur; ſic ſententia dicitur, cum terminatur. Nec antè licet conqueri de iudice, quam fuerit promulgata ſententia; vt tunc potiſſimum liceat probare vel improbare iudicium, cum iam fuerit per ſententiam terminatum. Sic ſerenum matutini Solis ortum ſubſequens tempeſtas obnubilat, & temporis intemperiem, & pluuiarum iniuriam quandoque clementior aura ſerenat: vt ſemper veſpere laudari poſſit ſerena dies: cuius enim finis bonus eſt, ipſum quoque totum bonum eſt. (e) Sic Ieſus, *cum dilexiſſet ſuos qui erant in mundo, in finem* quoque *dilexit eos.* Ad hoc facit, quod Abraham obit plenus dierum. (f) Quod Dauid videt Angelum in tempore Sacrificij veſpertini. Quod Ieſus in cruce moritur. Quod inter Fratres, Ioſeph tunicâ talari induitur. (g) Ad hoc facit, quod Apoſtoli iubentur excutere puluerem de pedibus, in quibus finis eſt corporis: quod mulieres poſt reſurrectionem, acceſſerunt,

(a) *Deut*, 32. (b) *Coloſſ*. 3 (c) *Iſaia*. 54. (d) 4. *Reg*. 4. (e) *Ioann*. 13. (f) *Gen*. 25. (g) *Dan*. 9.

runt, & tenuerunt pedes Iesu. Tenui enim, nec dimittam, ait illa diligens & dilecta. Sic (quod penè prætermiseram) Israel diligebat Ioseph super omnes filios suos (a), eò quod in senectute suâ genuisset eum. Quia quilibet justus videns Deum aut humiliter per Scripturarum intelligentiam aut certè, dulcius per morum experientiam, illud opus bonum quod ei augmentatur ad præmium (Ioseph enim interpretatur augmentum) specialiter amplectitur, & salvum sibi reputat, quod perseuerantia senectutis commendat; præuijs authoritatibus & exemplis, virtus nobis perseuerantiæ commendatur: cui summo studio debemus intendere, qui volumus ad æternam requiem peruenire. Maneamus igitur in dilectione Dei, & sermonem eius servemus, ut qui prior dilexit nos, ipse amplius nos diligat, & ita diligat, ut per frequentiam visitationis & consolationis ad nos veniat, & ita veniat, ut non transeat, sed in nobis sedem æternam & mansionem faciat Iesus Christus. Amen.

FINIS.

Obijt Venerabilis Abbas Elias, anno 1203. 16. Augusti. vide Henriquez in Menologio, suprà & Necrologium Thesaurum quod modò servatur in Bibliothecâ nostrâ M.SS. Dunensi.

Elias Hallus, Monachus de Caduno, Ordinis Cisterciensis, deinde Abbas Sancti Marcelli, Diœcesis Caturcensis, anno 1378. Scripsit *Formularium valdè utile, Epistolarum in toto Ordine servandum.* Extat hic liber M.S. apud Reuerendissimum Ferdinandum Vghellum, Romæ. Relatio ipsius.

Elinandus, monachus Ord. Cisterciensis, scripsit *Glossulas super Exodum; & expositiones in Apocalypsim.* Extant in Morimundo. Series scriptorum Bibliothecæ Morimundensis, anno 1648. ad me missa ex eodem monasterio. Vide etiam infrà, verbo Helinandus, quia credo hunc esse eundem cum Helinando de Persenniâ.

B. Elizabeth de Sconaugia, diuinis reuelationibus & quibusdam etiam scriptis clara, quæ à Chrysostomo Henriquez in Menologio, 18. *Iunij, & alijs nonnullis scriptoribus, monialis fuisse Cisterciensis scribitur, talis reuera non fuit, sed Benedictina nigri ordinis ut clarè ostendam infrà, verbo Sconaugia. Vnde scripta ejus hic non recenseo. Idem esto iudicium de Eckberto, & Emecho, Abbatibus Sconaugiæ Sancti Florini, quod monasterium est ordinis Sancti Benedicti, non vero Cisterciensis. Vide infrà locum iam citatum.*

Filantii Monasterij in Diœcesi Rhemensi, *monachus anonymus* scripsit *Vitam Beati Rogerij, primi eiusdem cœnobij Abbatis,* qua usus est Henriquez in Menologio. Extat etiam apud Ioannem Bollandum, Societ. Iesu, tomo 1. de Vitis Sanctorum, 4. Ianuarij. Huius compendium etiam Annalibus suis inseruit Angelus Manriquez, tomo 2.

Emanuel Sueyro vel Suerius, Eques Militiæ Cisterciensis, de Christo optimè meritus Hispanorum sui temporis in Belgio decus, in antiquitatibus tum sacris, tum prophanis versatissimus, edidit, linguâ hispanicâ *Annales Flandriæ, tomis 2. in folio Antuerpiæ 1614. impressis.* Citatur ab Henriquez in Menologio Cisterciensi. & Iongelino in Purpurâ Sancti Bernardi, & alijs. Valerius Andreas in Bibliothecâ Belgicâ, hunc scriptoribus Belgis annumerans, asserit illum fuisse natum Antuerpiæ anno 1587. 10. Kal: Martij, parentibus Lusitanis, virum politissimi ingenij, variarum linguarum & disciplinarum, præcipuè historices & mathematices gnarum. Ac præter tomos duos Annalium, iam relatos, *edidisse etiam breuem descriptionem Belgij,* Antuerpiæ quoque impressam, in 8o. anno 1622. Insuper, *Cornelium Tacitum, ac Salustium in Hispanicam quoque*

a Gen. 37.

quoque linguam transtulisse, & publicasse. Plura meditantem mors impediuit, Obijt Bruxellæ anno 1629.

Engelbertus Abbas ordinis Cisterciensis, (testibus, Auberto Miræo in chronico Cisterciensis, Ant. Posseuino in apparatu sacro, & Philippo Seguino in Bibliothecâ M. S.) scripsit *Vitam Sanctæ Hedvvigis Ducissæ Poloniæ*, & posteà monialis cœnobij Trebnicensis in Silesiâ, à Surio tomo 5. editam. Floruit anno 1250. Vide Henriquez in Menologio 15. Octobris, & Ioannem Molanum in annotationibus ad Vsuardi martyrologium eodem die. Porrò extat Tungris apud canonicos Regulares, *Tractatus inscriptus, Speculum virtutum moralium*, Authore Engelberto Abbate: sed vtrum hic idem sit, non ausim affirmare.

Engelhardus (alijs, *Emeramus*) *Teuchlerus*, Abbas 17. monasterij Lancheymensis in Franconia, Diœcesis Bambergensis scripsit, (referente Posseuino) maturo stylo *Vitam sanctæ Virginis Machtildis*, Principis Bertholdi, Comitis de Andechs, filiæ, Friderici primi, Barbarossæ Imperatoris cognatæ; *Abbatissæ in Diessem. Deinde in Oetilsletten.* Hanc vitam è membranis M.S. Monasteri Diessensis, tomo 5. antiquæ Lectionis Ingolstadij edito, ânno 1604. tunc primum Latinam inseruit Henricus Canisius: quam anteà ex Latino Germanâ paraphrasi traduxerat, atque vulgati curauerat Philippus Dobereiner, Decanus ad B. Virginem Monachij. Vide Canisium, præloquio ad Lectorem, antè ipsam vitam Sanctæ Machtildis; Posseuinum in appendice 2. ad primum tomum Apparatus sacri, tomo 3. Miræum in Auctario ad scriptores Ecclesiasticos; & Hugonem Menardum in obseruationibus ad Martyrologium Benedictinum. 6. Iulij, vbi huius vitæ compendium etiam profert. Porro, monasterium de Oetilstetten, situm estque id longè ab Vrspergen, inter Augustam & Vlmam.

Ensfridus, sanctitate & doctrina conspicuus, Prior Monasterij Ebirbacensis (de quo suprà) cuius mentionem faciunt Calendarium Cisterciense, & Henriquez in Menologio, 26. Octobris scripsit *Tractatus aliquot asceticos, pro fratrum suorum instructione*, vt habent ibidem M.S. quædam monumenta. ego tamen, dum Ebirbaci habitarem, nullum horum tractatuum reperire potui, nisi forte inter anonymos libros lateant, qui ibidem satis sunt frequentes. Scripsit & *Epistolas spirituales, ad diuersos*, quarum vna extat tomo 15. Bibliothecæ veterum Patrum, *typis excussa, ad Sanctam Hildegardem, Abbatissam Montis Sancti Roberti, iuxta Bingam*, vnà cum Responsione Hildegardis ad ipsum: tametsi ibidem (vt etiam in Menologio) pro Ensfrido, habeatur Meffridus, sed perperam, vt ex monumentis Monasterij Ebirbacensis apertè conuinci, ostendi in historia meâ Ebirbacensi, quam nuper anno 1640. per R. Iongelinum Coloniæ publicari curaui, in libro, cui titulus: *Notitia Abbatiarum Ordinis Cisterc.* Obijt anno 1246. sepultusque iacet in claustro Capituli, sub epitaphio sequenti, lapidi sepulchrali inciso:

Florens flos florum Prior Ensfridus Monachorum,
Prouidus ac iustus, vita verbo redimitus;
Vnicus in Christo, tumulo requiescit in isto.

Aliud ac prolixius epitaphium in tabellâ descriptum: tumulo adpendet, quod in iam dictâ historia mea etiam exhibui. Sed quid codex rarus est, libenter hic etiam adscribam:

Anno 1246. 17. Cal. Aprilis, obijt.

Epitaphium B. Ensfridi.

Ensfridus quippe Prior, & Pater optimus ipse,
Qui iuuenum forma fuit, atque senum bona norma
Hic iacet in tumba, sed regnans sorte iucundâ,
Ensfridus gratus, venerabilis amplificatus,

Exem-

Exemplum vitæ, doctrinæ formula ritè
Strenuus, incultus iacet hac tellure sepultus.
Inclitus imbutor, Ensfridus in Ordine tutor,
Officio dignus, varia virtute benignus,
Cuius in hac fossa, requiescunt corporis ossa.

Ethardus Abbas, ordinis Cisterc. in Anglia, scripsit *Librum homiliarum in Lucam*, & *Sermones alios plures*. Item *Opusculum de Charitate*: & *Epistolas ad diuersos*. Posseuinus in apparatu sacro Quia tamen hunc apud Pitsæum, inter scriptores Cistercienses non reperi, & de reliquo, opuscula omnia quæ huic adscribuntur, etiam reperiuntur inter opera S. Ailredi Abbatis Rhieuallensis; credo Posseuinum hic iterum lapsum, & Ailredum, quem anteà diuiserat in 3. modò iterum diuidere in 4. scriptores ordinis Cisterciensis; nam *Alredus, seu Ealredus Abbas, Alredus Rhieuallis monachus*, & *Ealredus Rhieuallis*, non nisi vnus sunt, à quo etiam non distingui censeo Ethardum hunc. Similem errorem reperi apud Posseuinum in Arnoldo Carnotensi, seu Bernardo Bonæuallis Abbate, quem etiam in 3. diuidit, aut etiam 4. Primum vocat Arnoldum Carnotensem. 2. Einaldum Abbatem Bonæuallis. 3. Ernaldum Abbatum Bonæuallis. 4 Bernardum Bonæuallis Abbatem. Licet hunc Bernardum ab Arnoldo Carnotensi quidam alij scriptores etiam distinguant, vt suprà quoque annotaui, in verbo *Arnoldus*. Ego autem, quia sufficientes in ordine nostro reperio scriptores veros, nolo fictitijs, aut incertis Bibliothecam meam replere.

Euerhardus, natione Scotus, Sancti VValleni quondam confessarius, & in Canonica de Kirkeam socius, sub eodem Sancto VValleno Cisterciensem habitum assumpsit in Mailros, Scotiæ monasterio: à quo VValleno, ob notam vitæ sanctitatem, & regularis obseruantiæ zelum, mox constitutus fuit Abbas primus monasterij Hulmensis, vbi scripto reliquit *eiusdem VValleni vitam. Vitam etiam Sancti Adamnani* necnon & *vitam S. Cameni*. Et *alia quadam*. teste Demestero, in Scotiæ Historiâ, n. 479. de hoc etiam Scoti Chronicon, lib. 6 cap. 32. floruit, 1145. Porrò Hulmensi hoc cœnobium in Cumbriâ situm est, fundatum à Sancto Dauide Scotiæ Rege, aut eius fratre Simone, vocaturque vulgo, *Hulme Cultraine*, alias, latinè, Holmæa.

Euerardus, *Claremarisciensis Abbas*, scripsit *librum de accentibus* qui solebat reperiri Villarij, referente Bunderio. in Indice, lit. E. n. 45. fuit 4. tus illius cœnobij Abbas, præfuitque annis vndecim cum dimidio.

Eugenius III. Pontifex, natione Pisanus, Sancti Bernardi in Claravalle discipulus, & ab eodem Sancti Anastasij ad tres Fontes iuxta Romam creatus Abbas ac tandem anno 1145. summus Ecclesiæ Pontifex electus, relicto Bernardi nomine, quod in religione gestauerat, Eugenij III. nomen assumpsit, qui (teste Sancto Antonio, parte 2. titulo 17. cap. 1. §. 7.) sicut litterarum eximius erat cultor, & Doctorum hominum promotor, *Constitutiones varias condidit saluberrimas. epistolasque doctissimas scripsit plurimas*: ex quibus adhuc extant.

Canones 17. Concilij Rhemensis, ab ipso sanciti, quos ex Vaticano codice refert Baronius, ad annum 1148. & ex ipso Vinnius, tomo 3. p. 2. Ex quibus canonibus plures in Corpus Canonicum transierunt, vt benè demonstrat Angelus Manriquez, tomo 2. suprà, ad annũ 1148. cap. 4.

Bulla canonizationis Henrici Imperatoris, ad Episcopum & Canonicos Bambergenses. Baronius ad annum 1152.

Priuilegium quoddam Claravallensibus concessum, quod posteà iuri insertum fuit, cap. Imperatorũ, de Iuramento calumniæ. Manriquez ad an. 1150. cap. 6.

Apostolicæ litteræ ad Episcopos, Atrebatensem & Morinensem, quibus scribit se, ad eorum suggestionem proprium Tornacensibus dedisse Episcopum, Anselmum

scili-

scilicet Abbatem Sancti Vincentij Laudunensis; vndè eosdem hortatur, vt tam apud Francorum Regem & Flandrensem Comitem, quam apud alios, pro pace, & honesta ipsius Episcopi receptione, studiosius laborent, &c.

Epistola item ad Bernardum Claræ vallensem Abbatem, in eandem rem: quibus scilicet scribit, se Tornacensibus proprium dedisse Episcopum, eius præsertim exhortatione permotum. Item. *Alia epistola ad Ludouicum Regem Francorum, & Theodoricum Flandriæ Comitem, de eadem re.* Extant hæ omnes epistolæ manuscriptæ in Bibliothecha S. Martini, ordinis S. Benedicti, Tornaci.

Epistola ad omnes Episcopos generaliter declarans, quomodo Superiores ordinis Pramonstratensis (qui eatenus nonnisi Præpositi fuerunt) creauerit Abbates. Manriquez tomo 2. suprà, ad annum 1145. cap. 5. Ex Bibliothecâ Præmonstratensi. lib. 3.

Alia item, Ad omnes Abbates & Præpositos Præmonstratenses concedens ijs liberam celebrationem capitulorum generalium. Suprà anno 1146. cap. 6.

Ad Ludouicum Regem Francorum, & Principes Galliæ, quibus exhortatur illos ad expeditionem terræ Sanctæ. Manriquez suprà, anno 1145. cap. 4.

Ad Conradum Imperatorem consolatoria, qua consolatur eum, ob res in terra sancta infeliciter gestas, admodum turbatum, & tristem. Otto Frisingensis, lib. 1. cap. 61. Baronius, & Manriquez, anno 1149. cap. 2.

Ad Genuensem Rempublicam. Quas ex tabulario Tarraconensis vrbis, producit Diagus, in historia Comitum Barchinonensium.

Ad Godescalcum, Atrebatensem Episcopum, pro Monachis Vedastinis. Item:

Contra Duacenses, rebelles ipsi Episcopo. Locrius in chronico, ad annum 1148. Vbi & quædam alia profert diplomata huius Pontificis.

Ad Arnoldum Coloniensem Archiepiscopum, concedens illi & successoribus eius diuersa priuilegia. Seuerinus Vinnius, inter epistolas Eugenij, to. 1103 p. 2. Et Manriquez, anno 1151. cap. 4.

Ad Hillinum Treuirensem Archiepiscopum, qua illum & alios monet, vt exhortentur Fridericum Imperatorem, de Guicmanno Cicensi Episcopo, quem Gerardo prælatum, Magdeburgensi præfecerat Ecclesiæ, vt sequatur pactum, de inuestitura Episcoporum, sicut sub Henrico V. inter Pontificem & Imperatorem conuenerat. Otto Frisingensis, lib. 2. cap 8.

Ad quosdam Episcopos, ne Guicmannum Cicensem (alibi, Cirensem) Episcopum Magdeburgensibus obtrudi patiantur: suprà: & Manriquez, ad annum 1152. cap. 1. Item Seguinus in Bibliotheca.

Ad Radulphum Abbatem de Cantauis, id est, Hortensis Monasterij, in Hispania. Manriquez 1151. cap. 10.

Ad Moysem Archiepiscopum Rauennatensem. Idem ad annum 1147. cap. 8.

Ad eundem alia, de confirmatione Ioannis Episcopi Placentini, ex Ordine Cisterciensi. supra, anno 1148. cap. 4.

Epistolam insignem eiusdem ad Gossuinum Abbatem Cisterciensem, cæterosque Abbates in capitulo generali congregatos, qua eos hortatur ad studium & zelum religiosæ perfectionis. edidit Iacobus Merlonus. inter epistolas Sancti Bernardi, nu. 384 in operibus Sancti Bernardi à se recognitis, & editis, anno 1641.

Ad eundem Gossuinum Abbatem, qua chartam charitatis confirmat, & alia quædam priuilegia concedit, anno 1150.

Ad Sanctam Hildegardem, ex Concilio Treuirensi, quod Concilium Manriquez refert ad annum 1148. Trithemius verò in chronico Hirsugiensi, ad annum 1150.

Priuilegium datum monachis Bonæ vallis Viennensis, quo illos à decimarum solutione eximit, &c. Man-

Manriquez, ad annum 1147. cap. 15.

Ad vniuersum Clerum Romanum, vt Capellani promittant obedientiam Rectoribus titulorum: supra, 1148.

Ad Archipresbyterum tituli Sancti Marci, de eodem subiecto.

Ad fideles Hispaniæ, contra Saracenos. Manriquez anno 1148. cap. 13. n. 10.

Diploma, quo Canonicis Sancti Petri Romæ, quædam priuilegia concedit: anno 1153.

Quatuor eius concilia habentur tomo 7. Conciliorum, cum notis Binianis, vt annotauit Ludouicus Iacob à Sancto Carolo, in Bibliotheca Pontificia Lugduni edita anno 1643. Addens quoque, omnes Eugenij epistolas M.S. haberi ab Andrea du Chesne, authore variis scriptis satis noto, qui haud dubiè illas quandoque publici iuris faciet.

Curauit etiam Eugenius compilari Decretum, per Gratianum monachum Benedictinum: Regiumque titulum Lusitanis Principibus concessit. Gubernauit Ecclesiam annis 8. & aliquot mensibus, tandemque anno 1153. migrauit ad Dominum: miraculis variis post obitum clarus, quæ in antiquo codice M.S. leguntur in Monasterio nostro de Dunis, conscripta ab anonymo illi coæuo, & teste oculari. Vitam & gesta huius Pontificis scripserunt plures, nouissimè autem Henriquez in fasciculo, vbi pariter hæc dicta miracula, ex codice citato, profert, & postmodum fusius adhuc Reuerendissimus Angelus Manriquez, tomo 2. Annalium, per annos plures; Qui etiam anno 1153. cap. 5. antiquum refert epitaphium, quod post obitum eidem Pontifici positum fuit:

Hic iacet Eugenius defunctus: cerne sepulchrum,
Cui pia cum Christo viuere vita fuit.
Pisa virum genuit, quem Claravallis alumnum
Exhibui, sacra relligionis opus.
Hinc ad Anastasij translatus martyris ædem,
Ex Abba Pastor summus in orbe fuit.
Eripuit solemne iubar, mundique decorem
Iulius, octauum sole ferente diem.

Eugenius Martinez, Hortensis Monasterij in Hispania monachus, ingenio felici, memoria firma; ac conuersationis gratia præditus, sacrarum litterarum apprimè callens, & in theologicis non mediocriter versatus, at politioribus maximè addictus, in quibus etiam excellebat, quasque diu in Galetiæ quodam collegio, antè religionis ingressum docuit. Scripsit (adhuc sæcularis, antè conuersionem) librum quendam, inscriptum, *Discreta Toletana*; impressum Toleti anno 1599. in 4°. Item,

Tractatum insignem, de natura Deorum: quem se vidisse profitetur Henriquez. Post religionis ingressum, scripsit:

Vitam S. Agnetis virginis & martyris, carmine heroico, excusam Toleti an. 1590.

Vitam etiam S. Catharinæ, virginis & martyris, versu item heroico.

Henriquez in Phœnice.

Eugenius Martinez, alius à præcedente Vallis ecclesiarum monachus, Ouile primum, dein, sui Vallis ecclesiarum Præsul. posteà solitudinis amore ductus, in grangiam quandam cœnobij sui secedens, solo pane & aquâ contentus, per annos (plus minus) duos solitariam ibidem vitam duxit; quo tempore, *in sensu mystico, non minus eruditè quam piè, caput 25. Exodi, & Prophetiam Ionæ, ex integro, exposuit.* Biennio hoc elapso, Deus pietatem & pœnitentiam deuoti Præsulis nouo quodam prodigio confirmare visus fuit: nam cum iam tentasset illum eadem penè plaga, qua sanctissimus Iob se multum affligi clamabat, cum dicebat, *qui me comedunt, non dormiunt*, posteà Eugenio ex hac vita migrante, multitudo illa pediculorũ è corpore illius in modum formicarum discedens in planitiem grangiæ, conglome-

ciense Chrysostomi, Henriquez, cap.4. eundem quoque librum editum esse Coloniæ, anno 1614. sub hoc titulo: *Exordium cœnobij, atque Ordinis Cisterciensis, à primis Patribus Cisterciensibus conscriptum.*

2. Liber vocari solet, *Exordium magnum*, scriptusque videtur circà annum 1212. à Religioso item anonymo. Scio quidem nonnullos arbitrari eius authorem esse Helinandum, Frigidi montis religiosum (vt infrà etiam dicemus:) sed improbabiliter, vt benè ostendit Manriquez, tom.1. Annal. ad annum 1110. cap.1. Hoc saltem certum est, si non fuerit Claræ-vallensis, saltem quandoque in Clara-valle habitasse, vt videre est apud Henriquez, loco iam citato, vbi pluribus etiam agit de antiquitate & authoritate horum librorum. Cæterum, Exordium hoc magnum quidam etiam anonymus monachus antiquus, & grauis, ornauit additionibus, quas plurimum commendat Reuerendissimus & eximius Dominus Pacis Augustæ Episcopus, Angelus Manriquez suprà, ad annum 1136, cap.7. vbi præclara exempla ex ijs refert, vti etiam in sequentibus annis. Vide etiam infrà, verbo Helinandus.

F.

Sanctus Famianus (*Quardus* anteà vocatus) patria Coloniensis, religionem Cisterciensem professus in Hispania, in cœnobio S. Laurentij quod iam vnitum est Abbatiæ de Vrsaria, in Diœcesi Compostellana, scripsit compendiosè *Historiam vitæ suæ*, quæ post obitum in breuiario eius reperta, iam typis excusa legitur, in fronte Fasciculi Sanctorum Ordinis Cisterciensis Chrysost. Henriquez, editionis Coloniensis. Eadem ab anonymo quodam ampliata & figuris delineata, nuper an. 1626. Galesij in Italia impressa fuit, & Margaritæ Madrusiæ, Ducissæ Galesij, dicata.

Floruit circa annum Domini 1150. Obijtque Galesij, multis miraculis clarus; in tantum, vt ex miraculorum fama (teste Philippo Ferrario Seruita, de Sanctis Italiæ) proprium eius nomen, *Quardus*, transierit in *Famiani*. Quod posteà etiam ab Adriano 4. Pontifice, confirmatum fuit, dum illum Sanctorum numero adscripsit.

Sanctum hunc Famianum, Patronum veneratur vrbs Galesina, ingenti populi deuotione; circumferturque viri sancti effigies Romæ edita, sub hac inscriptione: *Sanctus Famianus monachus Cisterciensis, in Galesia.* Addito disticho, miracula exprimente:

Claudus adest firmus, cæcus videt, vtitur aure
Surdus, ab obsessis spiritus ater abit

Fastradus, nobili apud Hannones in Belgio procreatus familia, sub disciplina S. Bernardi in Claravalle tantùm profecit, vt ab eodem constitutus fuerit primus Abbas, & Fundator monasterij Camberonensis in Hannonia; vbi tam præclarum sanctitatis ac doctrinæ specimen edidit, vt ad ipsius Claræuallensis cœnobij, ac tandem etiam Cistercij, regimen assumi meruerit. Extat apud Henriquez in Fasciculo, ab ipso Fastrado conscripta *insignis exhortatio, per modum epistolæ, ad quendam Abbatem ordinis Cisterciensis, ex filiatione Claravallensi*: ex qua exactè colligitur antiquus feruor Cisterciensium nostrorum illius temporis. Hanc exhortationem, seu epistolam, nuper etiam edidit Iacobus Merlonus, ad calcem operum Sancti Bernardi, cum Oratione ad Beatam Virginem Camberonensem. Obijt non sine euidentibus sanctitatis indicijs, anno 1163. die Aprilis 21. quo die etiam Menologio Cisterciensi adscribitur. Vita eius extat, Latinè quidem apud Henriquez in Fasciculo lib.1. dist.8. Gallicè, apud Ioannem d'Assigny; & fusior à me concinnata Flandricè,

apud moniales Vallis Cæli, Dixmudæ in Belgio, vti etiam apud me M.S.

Ferdinandus Vghellus, Ordinis Cisterciensis gloria, Italiæ decus & ornamentum, nec non vniuersalis Ecclesiæ lucidissimum sidus, natione Italus, Patriâ Florentinus, professione verò monachus est Sanctæ Mariæ Magdalenæ Cistelli (quod est Cœnobium Ord. nostri Florentiæ) vbi paucorum annorum tempore, tantos in pietate & litteris fecit progressus, vt primum celeberrimi Cœnobij, de septimo Abbas constitutus fuerit (dicitur autem cœnobium hoc de septimo, quia septimo lapide ab vrbe Florentinâ fundatum existit) deindè, semel & iterum electus in publicis Comitijs, congregationis suæ Præses Generalis, dignitatem resignauit, vt commodius studijs incumberet: Posteà tamen Abbatiæ ad aquas saluias Sanctorum Vincentij & Anastasij præfectus Abbas, anno 1649. Sacræ congregationis Indicis Consultor quoque constitutus fuit. Hinc anno 1651. vniuersæ congregationis suæ Visitator maior, & nunc denuò, SS. Vincentij & Anastasij Abbas, anno 1654. Vir sanè, ob eximios pro illustratione Ecclesiæ exantlatos labores, maioribus etiam titulis dignissimus. Porrò, tametsi in omni scientiarum genere præstantissimus sit; venerandis tamen antiquitatibus ecclesiasticis, præ cæteris deditus, continuâ earundem indagatione tandem assecutus est, vt passim melioribus huius æui Historicis adnumerandus censeatur. Illustrium suorum scriptorum seriem, diuersis à me rogatus litteris, nuper, (4. nonas Augusti, anni 1654) mihi transmisit, hoc modo:

Series omnium nostrorum operum quæ hactenus scripsi, & adhuc præ manibus habeo, hæc est:

Italia, Sacra, siue, de Episcopis Italiæ, & Insularum adiacentium, rebusque ab ijs præclare gestis, ad nostram vsque ætatem: opus in 20. Prouincias distinctum, &c. In fol. Romæ, tomus 1. mus anno 1642. typis Bernardini Tani. Tomi 2. us & 3. us anno 1645. apud eundem. Tomi 4. us & 5. tus apud Vitalem Mascardum, (Opus est lectionis infinitæ & prorsus singulare; in quo, Ecclesiarum origines, Vrbium conditiones, Principum donationes, recondita monumenta in lucem proferuntur.

Annotationes ad Ciaconi opus, de vitis Pontificum & Cardinalium, Romæ typis Vaticanis 1630.

Elogia Pontificum & Cardinalium Ordinis Cisterciensis. Florentiæ, apud Dominicum Faleciurn. 1624.

Columnensis familia nobilissima, S. R. E. Cardinalium ad viuum expressa imagines, & summatim exornata elogijs. Romæ typis Hæredum Corbelletti. 1650. in folio.

Genealogia de Capisucchis, Romæ 1653. in folio, typis Iacobi Cabelletti.

De Vetusta Christiana Italica nobilitate. Opus magnum & laboriosum, nondum absolutum.

De quatuor Patriarchalibus ecclesijs orientalibus, Lib. nondum absolui.

Vita Pontificum & Cardinalium in epitomen redacta. absolutæ sunt, sed nondum editæ.

Tendunt ad finem, Italiæ adiacentiumque Insularum, sacrorum Præsulum monumenta, è vetustissimis, recentioribusque tabulis accuratissime collecta. Restant nimirum adhuc tres tomi, nimirum, 6. 7. & 8. vt compleatur Opus quod inscribitur:

Italia Sacra.

De Viris Illustribus Ordinis nostri. libri 20.

Illustrium scriptorum Ordinis nostri, centuria 1.

Antiqua inscriptiones, & Epitaphia, notis illustrata, & explicata.

Vita illustrium fœminarum quæ floruerunt in Paradiso Cisterciensi. Scriptum est hoc opus linguâ Toscana.

Beneficia specialia sacro Ordini Cisterciensi, à Sanctissima

ctissima Virgine collata, in sex sacula diuisa.

Alia etiam excogitaui, qua necdum perfeci, qua vita comite, absoluam. &c.

Romæ. 4. nonas Augusti. 1654.

Viuit, & scribit continuo, vir clarissimus, multis titulis mihi colendus, vtpote qui rerum sibi notarum citra inuidiam communicator humanissimus, plurima de Scriptoribus Italiæ mihi communicauit, diuersisque litteris me honorauit, annū nunc ætatis (ni fallor) agit 58. Cui Deus alios addat longissimos, ad Ordinis nostri gloriam, & Ecclesiæ vniuersæ illustrationem.

Huius Viri, non sine illustri encomio mentionem facit Hippolytus maraccius, in Bibliothecâ Marianâ pag. 389. & 390. Item Aubertus Miræus, parte 2. Bibliothecæ Ecclesiasticæ, cap. 214. fol. 235. & iterum, cap. 242. fol. 262. longelinus in notitiâ, & plures alij.

Florus Brunus, natione Florentinus, monachus Cistelli, in Patria, & præcipuis ibidem Antiquarijs adnumerandus, vt viri doctissimi censent, compilauit opus insigne, ingentis laboris, cui (de patriæ more) *Prioristа*, nomen dedit. Cōtinentur in eo, *Origines pracipuarum familiarum vrbis Florentia; & quibus quisque ex familijs ortus, in Republica muneribus functus sit, aut vndecunque honoribus auctus.* Recensentur præterea veteres simul & moderni Florentinæ vrbis magistratus, & plurima alia antiquitatis monumenta, quæ curiosum Lectorem oblectare, & erudire possunt. Obijt anno 1648. in monasterio S. Saluatoris de Septimo. Relatio Italica.

Fossa noua, monasterium est Terracinensis Diœcesis, in Italia, obitu & sepultura Sancti Thomæ Aquinatis nobile. Huius monasterij religiosi quidam anonymi conscripserunt, & per plura sæcula continuarunt, *Chronicon sui monasterij, omnibus Italia chronologis familiarissimum.* Laudat hoc chronicon Baronius, illudque sibi multoties vsui fuisse in Annalium ecclesiasticorum descriptione, fatetur. vide illum, ad annum 1150. 1151. &c.

Fraylanus siue, Froilanus de Vrosâ, ex Priore Palatiolensi, anno 1629. electus Abbas Regalis Cænobij Hortensis, in Hispaniâ (cuius erat professus) tum vniuersæ congregationis Cisterciensis de obseruantiâ per Regna Castellæ, Visitator, & mox diffinitor, vir siue doctrinam, siue pietatem spectes, omni laude dignissimus. Inprimis, Orationi & contemplationi eximiè deditus fuit, in quibus proindè per annos 45. quos in religione vixit, sedulò se semper exercuit: vitam quoque modestam, puram, & senilem à primo sui monachatus die, sine intermissione aut remissione talem traduxit, vt apud quoscunque in summa semper veneratione habitus fuerit. Cum in collegio Salmanticensi Præsulem ageret, sæpius à discipulis extra se seu potius supra se in extasi inuentus fuit, tantaque ibidem virtutum omnium claritate effulsit, vt liquidò omnes aduertere possent, non minus illum Deo quàm hominibus charum existere. Pietati eruditionem & doctrinam coniunxit prorsus exquisitam, tum ex continua Sacræ scripturæ sanctorumque Patrum lectione, maximè Sanctissimi sui Bernardi, tum etiam aliorum Scholasticæ, & moralis Theologiæ Authorum (pro suo acuto & claro ingenio) perspicua intelligentia, vt ipsius opera apertè testantur, quæ partim edita sunt, & in Bibliotheca nostrâ suprà recensuimus; partim adhuc manuscripta latent, non sine publici boni iniuria. Quanquā ipse tantæ semper fuerit humilitatis, vt nihil vnquam ex scriptis suis vulgari acquieuerit, nisi imperij quasi violentia coactus; nam cum 1. Opus authoritate Capituli generalis impressum fuisset Compluti, anno 1636. apud Antonium Vasquez, in 8. Libellam verè aureum pro tyronum ad ordinem venientium educatione. Secundum, *quod elegantissimus continet meditationes*

per totum annum, vt quadam amicabili, & ferè raptim excellentissimus Princeps, ac Dux Metinæ Cæli, (qui eundem venerabilem Patrem intensè diligebat) de sub modio extraxit, & vt lucem daret omnibus, sumptibus proprijs, Valentiæ (vbi Proregem agebat) prælo subiecit apud hæredes Chrysostomi Garriz, anno 1642. in 8o. 3. Opus, à morte Authoris inuentum, quod adhuc manuscriptum asseruatur, *Tomus est ingens Consiliorum moralium, seu, Speciosiorum florum ex immenso difficultatum & resolutionum conscientiæ Campo, Fasciculus pulcher, suauis, & odoriferus.*

Cæterum, pijssimus hic Pater, cum per 21. annos, quos in diuersis officijs & dignitatibus inuitus consumpsit, penè sine intermissione ad Deum clamasset; dimitte me paululum vt plangam peccata mea; tandem in generali congregatione, mense Maio, anni 1647. celebrata, violenter quodammodò se sibi rapuit à fratribus, vitamque priuatam in monasterio suæ professionis amplexus, per spatium vnius anni (quo solum superuixit) totum se Deo, ac orationi impendit, donec per tres generales confessiones, & quotidianas ferè particulares, dilutis iam ex integro ante actæ vitæ maculis, & infirmitatis neuis, ex hac mortali vita, ad immortalem commigrauit (summo sui relicto desiderio) die 16. mensis Aprilis, anno 1648. huius viri celebrem mentionem facit Reuerendiss. Angelus Manriquez, in serie Abbatum Hortensium, ad calcem tomi 2. Annalium Cistercensium.

Franciscus Alcobaciensis Abbatiæ in Lusitania monachus, vir consilio fuit prudens, sermone disertus, & opere circumspectus; qui vniuersis mundi opibus studia prætulit, præsertim sacrarum litterarum; quas etiam primò in ordine priuatim, ac posteà etiam publicè in Conimbricensi Academia professus est. Edidit *Insigne volumen contra Iudaicam perfidiam, maximè contra huius temporis Iudæos*, qui magno numero in Lusitania adhuc degunt. Floruit circa annum 1597. *Henriquez.*

Franciscus à Sancto Bernardo, aliàs, Minardus, è monte Regali, Pedemontanus, Congregationis Fuliensium olim Superior generalis, edidit Gallicè, *Speculum contritionis, ad excitandam animam ad fugam peccatorum*, &c. Prodijt Parisijs, in 12. Item, Italicè, librum qui dicitur,

Idea del maestro Claustrale. Prætereà, alium, cui titulus. *La sede aulata dell' Esaminator Reglare.* Et alia plura. Catalogus illustrium Scriptorum Fuliensium anno 1651. ex Vrbe transmissus. Item gallicè Religlemens interieurs pour les ames deuotes & Religieuses. *Franciscus Biuarius.* vide, *Franciscus Fiuarius* Parisijs 1620.

Franciscus Brauus, de Acunna, ordinis Cisterciensis de Calatraua Eques, Hispaniæ præclarum ornamentum; cuius ingenij acumen, facundiam, & diuersarum linguarum peritiam (præsertim Græcæ) omnes mirantur docti. Scripsit patrio idiomate, stylo eleganti, *Librum de origine, progressu, &c. ordinis Calatraua.* Pleraque alia ab illo expectantur.

Franciscus Cæsar, vulgò, *de Keysere*, Dixmudanus, Flander, Religiosus B. Mariæ de Dunis, S. Theol. Doctor Pariensis, cuius meminerunt (præter Antonium Sanderum, de scriptoribus Flandriæ) Meyerus lib. 10. Annalium Flandriæ, in Guidone Dampetra & Iacobus Marchantius, in descriptione Flandriæ; asserentes eum circà annum Domini 1293. famigeratum fuisse theologum, & *Libros Magistri Sententiarum in Academia Parisiensi enarrasse.* Solebant subtilissima hæc commentaria asseruari in Dunensi bibliothecâ, sed anno 1578. dum hæreticorum insano furore monasterium incensum fuit, pariter perierunt. Dicuntur tamen alibi adhuc extare in quibusdam Galliæ bibliothecis, discipulorum calamis excepta.

Scripsit

Scripsit & *Tractatum exactissimum, de 3. votis monasticis.*

Edidit quoque carmine, *Vitam Sancti Bernardi*, impressam posteà Parisijs, anno 1483. Obijt Dunis, anno 1294.

Adrianus Mesdagh in chronico Dunensi, & alia antiquiora eiusdem cœnobij monumenta.

Franciscus Carreyro, religiosus monasterij de Alcobaciâ, in Lusitaniâ, S. Theol. Doctor, eiusdemque in Academiâ Conimbricensi publicus Antecessor, qui vel docente ibidem R. P. Francisco Suarez (sæculi nostri oraculo) inter primarios meruit numerari. Scripsit *Commentaria doctissima in vniuersam Summam Diui Thomæ*, quæ M.S. extant in Alcobaciâ. Floruit anno 1609. & deinceps.

Franciscus Coquelin, Patria Salinensis, ex comitatu Burgundiæ, Procurator Ordinis nostri in curia Romana, edidit anno 1652. Romæ

Compendium vitæ, & miraculorum Sancti Claudij, Archi-episcopi Vesuntini, lingua Italica. Romæ, in 8o. apud Ignatium Lazari. Libri titulus est. *Compendio della vita D. Miracoli, del glorioso san Claudio Arciuescouo di Besanzone nella Borgogna Contea, descritta dal M. R. P. di Francesco Coquelin, di Salins, Procurator Generale de Monaci di S. Bernardo, 8. in Roma, anno 1652. nella stamperia di Ignatio de Lazari, con Licenza de Superiori.*

Franciscus Fernandes de Velasco, Prior de Baudeloo, in Flandriâ, anno 1653. sub nomine communitatis Baudeloënsis, publicauit insigne opusculum huius inscriptionis; *Sancti Bernardi mellifui doctoris Ecclesiæ pulcherrima & exemplaris vita medulla, 53. iconibus illustrata, anno 1653. qui est quingentesimus ab eiusdem Sancti felici obitu, ac proindè, illius solenni Iubilæo quinto, sacer.*

Antuerpiæ, typis Guillielmi Lestenij. in 4.

Franciscus Hedelinus, Abbas Albiniaci (quod est monasterium Ordinis nostri in Gallia, & Diœcesi Bituricensi, edidit lingua Gallica Panegyricum doctum in funere excellentissimi Comitis Iosiæ de Ranzau, Marescalli Franciæ, nec non ciuitatis Duynkercanæ, & aliarum aliquot vicinarum Vrbium pro Rege Galliæ Gubernatoris: habitum 26. Octobris 1650. in ecclesia nouorum Catholicorum. Ibi denique posteà impressum, eodem anno, per Carolum Sercy. Porrò, vtrum hic Abbas Regularis sit, an solum commendatarius, nondum comperi.

Franciscus Iehan, vulgò Gallicè, Ma vie, in Parisiensi facultate S. Theologiæ Baccalaureus formatus, monachus & Prior Pontigniacensis, cuius apud omnes memoria in benedictione est.

Librum piarum meditationum, conciones varias, & alia quædam opuscula egregia reliquit, quæ in dies ibidem religiosorum manibus teruntur.

Relatio Reuerendissimi Domini Pontigniacensis Abbatis, anno 1647. mihi transmissa.

Franciscus Machadus, religiosus illustrissimi cœnobij Alcobaciensis in Lusitaniâ, Sorbonicam S. Theologiæ doctoralem lauream, doctrinæ suæ excellentia, in Parisiensi Academia promeruit. Parisijs domum reuersus, statim à Tomarensibus ordinis nostri monachis, Abbas electus fuit. Vndè doctrinæ, ac prudentiæ suæ radios, per vniuersum regnum longè latèque diffudit; in tantum, vt plurimi Ecclesiarum Prælati, alijque seculares Principes, grauissima passim negotia (consilium petituri) ad eum deferrent: quibus prudentissimè satisfaciens, summam nominis claritatem consecutus est. Porrò, cum circa idem tempus rursus feruere incepisset populi deuotio erga sanctas Reginas, Teresam & Sanctiam, quæ mundi delicijs & luxu spretis, habituque nostræ religionis sumpto, in vita, & post mortem claruere miraculis; ipseque Serenissimus Lusitaniæ Rex Sebastianus, eas Sanctarum albo inscribi à Pontifice petijsset, Francisco nostro demandata fuit inquisitio

super

super vitis, & miraculis earum; cui diligentissimè incumbens, scripsit *Vitas & miracula dictarum Beatarum, Teresæ & Sanciæ, Reginarum, & sanctimonialium ordinis Cisterciensis.* Extant apud Henriquez in Lilijs Cistercij, *compendiosa harum Reginarum vitæ*; verum, an sint eædem quas hic Franciscus scripsisse refertur, me latet. Scripsit & *epistolas varias, ad Henricum Lusitaniæ Principem, S. R. E. Cardinalem*, quæ extant impressæ apud Bernardum Britum, 1600.

Item, *Duo egregia volumina contra Iudæos*, quæ M. S. extant Alcobaciæ.

Vide Henriquez in Phœnice, & Reuerendissimum Angelum Manriquez in serie Abbatum Alcobaciensium, iam citata. Floruit circa annum 1550.

Franciscus Mauroi, religiosus Claræuallensis, Theologus, & suo tempore poëta insignis, scripsit *Compendiosam vitam Sancti Patris nostri Bernardi, carmine*, non minus neruosè, quam dulce fluente, (vt loquitur Manriquez tomo 2. annalium, ad annum 1153. cap. 11. n. 10.) vel (vt scribit Seguinus) *Tractatulum exhortatorium, de Laudibus ipsius Sanctissimi Patris*, ad Michaelem Boudet, Lingonensem Episcopum, vnà cum *alijs aliquot versibus, ad Lectorem, & librum*: cuius tractatuli initium est;

Te quocunque feras, nusquam dignissime Præsul,
Hoc te Bernardi codice destituas.

Solebat extare impressus in frontispicio operum Sancti Bernardi antiquæ editionis, vt testatur Philippus Seguinus in bibliotheca sua M. S. nunc verò in recentioribus editionibus, reiectus est ad calcem eorundem operum, sed truncatus.

Franciscus Maurolycus, Patruus Syluestri nostri, quem Aubertus Miræus in sua Bibliotheca Ecclesiasticâ scribit fuisse Ordinis Cisterciensis Abbatem, non fuit vnquam nostri Ordinis, sed solummodò Abbas Commendatarius Benedictinus; vt me monuit doctissimus Vghellus, litteris ex Vrbe datis, Calendis Februarij 1651.

Franciscus de Neufville, Abbas Ordinis Cisterciensis (iuxta Possevinum, in apparatu) edidit Tractatum de vitis virorum illustrium. Item;

Genealogiam Christi Domini.

Errat tamen Posseuinus, dum hunc Cisterciensibus adscribit; quia fuit Ordinis Grandimontensis, vt videre est in Bibliotheca Gallica, Ant. du Verdier, fol. mihi. 405. & iterum in appendice, 1197.

Franciscus Portes, Monasterij Vallis bonæ in Hispania Monachus, pius & doctus, Ordinisque sui illustrationi studiosissimus, magna diligentia in *volumen vnum redegit*, vndique collecta, *Priuilegia Congregationis Hispaniæ Ordinis Cisterciensis*, quod Compluti impressum est, anno 1574. Obijt ipse, anno 1613. in suo Vallis bonæ monasterio.

Henriquez in Phœnice.

Franciscus Radesius Andrada, nobilis Hispanus, Eques militiæ Cisterciensis de Calatraua; edidit patria lingua *Historiam ordinum, Calatrauæ, Alcantaræ, & sancti Iacobi.*

Citatur sæpius à Manriquez, tom. 2. Annal. Item in serie Abbatum Morimundensium & Cisterciensium, post tomum primum. Vide etiam Posseuinum, in apparatu sacro.

Franciscus Scipio ab Ecclesia, perillustri familia apud Saluties, in Pedemontio natus, Ordinem Cisterciensem in iuuentute amplexus, tantos ibidem in virtutibus & litterarum studijs progressus fecit, vt vix annos 26. natus SS. Theologiæ, & iuris Canonici Doctoralibus Laureis redimitus, Abbas creatus fuerit B. Mariæ de Macerijs, in Burgundia, & unà, Vicarius Generalis Ordinis sui Cisterciensis, per Italiam. Scripsit, *diuersorum Virorum illustrium vitas, &*

Libros septem, lingua vernacula, *Della Nobilità delle*

delle donne. Præclariora haud dubiè, paulatim scripturus, nisi inuida Parca immaturè nimium vitæ filum præscidisset. Obijt in ipso ætatis suæ flore, annos dumtaxat natus 28. Sepultus iacet in Abbatiâ Ordinis nostri de Stafarda, in Sabaudiâ, sub Epitaphio sequenti:

Franciscus Scipio ab Ecclesia,
Per illustri Salutiis familiâ
Cisterciensium Ordinis Professor
Macerearum ad Sequanos Abbas
Et totius eius Ordinis in Italiâ
Vicarius, Sacræ Theologiæ, sacrique
Iuris Doctor, omni ferè scientiarum
Peritiâ insignis, octo super viginti
Annos natus, obijt decimo kalendas
Aprilis Filio prædilecta Anna Parens
Tumulum mæstissima posuit. 1578.

Franciscus Sylvius, patriâ Cortracensis, Flander, religiosus monasterij Beatæ Mariæ de Laude, in Gallo Flandriâ, poëta insignis, conscripsit (plaudente Mineruâ) *Vitam Sancti Bernardi, carmine hexametro*, quæ M.S. asseruatur in monasterio Laudensi.

Catalogus bibliothecæ eiusdem monasterij apud Sanderum parte 2. bibliothecæ Belgicæ M.S.

Franciscus Suarez, Vallis Paradisi in Hispaniâ monachus, non minus virtutum, quam doctrinæ fama clarissimus; præfuit successiuè diuersis monasterijs, tanta discretione, & prudentia, vt concordibus Electorum suffragijs, in Generalem vniuersæ congregationis electus fuerit. Quâ dignitate non solum se non extulit, sed è contrà, constantius per consuetam virtutum semitam incedens, plurimos ad sui imitationem inuitauit. Quibus excitatus Philippus II. Hispaniarum Rex, illum Oliuetani monasterij, in Regno Nauarræ, Abbatem creauit perpetuum; quo munere vsque ad obitum suum valdè laudabiliter functus est. Eruditionis autem suæ monumenta reliquit.

Commentaria perpetua in quatuor libros sententiarum, in fol. Et

Compendium priuilegiorum congregationis Hispanicæ, impressum Vallisoleti, in 8° 1596.

Henriquez in Phœnice reuiuiscente.

Porrò habuit Franciscus noster Fratrem, Ludouicum nomine, Senatorem Taurinensem, qui historiam Pedemontanam, aliaque opera edidit. Nec non & Nepotem, Franciscum Augustinum ab Ecclesia, qui hodiè Cathedræ Episcopali Salutiensi præsidet, varijs quoque publicatis operibus clarum, adeò vt proprium esse videatur nobilissimæ huic familiæ, doctos eruditosque viros, & in historiis versatissimos in omni sæculo gignere.

Franciscus Viuarius (siue vt alibi, *Biuarius*) Madriti in Hispania natus, ibidem in Nucalensi cœnobio monachum induit. Vbi naturæ bonitate, ingenij magnitudine, animi contentione, studijque assiduitate, mirabiles in virtute, & litteris fecit progressus. Matheseos abstrusa penetrabat, poëta erat acutus, orator eloquens, philosophus omnibus numeris absolutus, theologus profundus. Hinc cum primum philosophiam, ac tum etiam theologiam per annos aliquot summa cum laude docuisset, specialiter electus fuit Procurator generalis ordinis in curia Romanâ. Quam commissionem ita administrauit, vt ordinem suum non parum illustrauerit, sibique tam apud summum Pontificem quam S.R.E. Cardinales, aliosque Magnates, nomen celeberrimum & gratissimum conciliauerit. Fuit etiam in historijs versatissimus, à quo se plurima didicisse, ingenuè fatetur Henriquez. Quin & Reuerendissimus ac Doctissimus Angelus Manriquez, tomo 2. Annalium Cisterc. ad annum Domini 1164. cap. 10. n.9. huius viri immaturam deflens mortem, incunctanter asseuerat, quod scriptis suis vniuersam

sam illustrasset Ecclesiam, nisi immaturâ morte sublatus fuisset.

Lucubrationes edidit diuersas, quibus nominis sui claritatem apud posteros continuauit; nimirum:

Vitam Beatæ Iulianæ Cornelienſis, ordinis Cisterciensis sanctimonialis, impressam Vallisoleti, apud Hieronymum Marillo, anno 1618.

Vitam B. Beatricis de Syluâ, ordinis Cisterciensis, & Institutricis ordinis Conceptionis Beatæ Virginis, impressam ibidem apud eundem, in 4°.

Compendium vitæ Apostolici viri, Candidi Furlongij, monachi Nucalensis, natione Hyberni. Ibidem, apud eundem.

Apologiam pro sanctitate beati Ioannis de Sacris mœnibus conuersi, teste Angelo Manriquez in Annal. ad annum 1141. cap. 8.

Sanctos Patres vindicatos, libros 3. siue, *Bernardum, Anselmum, Augustinum, & alios Patres vindicatos in controuersia de immaculata BB. Virginis conceptione*:

Lugduni apud Horatium Cardon, anno 1624.

De paruo officio B. Virginis, lib. 1.

De antiquo colore habitus Monachorum Cisterciensium, lib. vnum.

De viris illustribus Ordinis Cisterciensis, lib. 1.

Item, *De fœminis illustribus Ordinis Cisterciensis, lib. 1.*

De bello Turcis inferendo, lib. 1.

De Incarnatione Verbi Diuini, lib. vnum.

Commentaria in logicam, physicam, & metaphysicam Aristotelis. Denique

Opus aliquod ingens & curiosum, quo monachatum deducit ab Apostolis: de quo videndus etiam est Manriquez supra, ad annum 1164. cap. 10. num. 9.

Chronicon item Flauij Lucij dextri Barcinonensis, ex tenebris eruit, & amplissimis commentarij apodicticis illustratum, publici iuris fecit, titulo sequenti:

Flauij Lucij dextri, Barcinonensis, Viri clarissimi, Orientalis Imperij Præfecti, & diuo Hieronymo amicissimi, Chronicon omnimodæ historiæ; primum quidem eidem Hieronymo dicatum, sed eo ad Superos translato, multis locis locupletatum, Paulo Orosio Tarraconensi iterum nuncupatum. Nunc demum opera & studio Fratris Francisci Biuarij, Mantuæ Carpentani; ex obseruantia Sancti Bernardi, Cisterciensis Monachi, eiusque in Romana Curia Procuratoris Generalis, ac Sacræ Theologiæ ac Philosophiæ Magistri, commentarijs Apodicticis illustratum, quibus vniuersa ecclesiastica historia à Christo nato, per annos 430. rerum tam ad Italiam, Galliam, Germaniam, aliasque Orbis Christiani Prouincias spectantium, quam Hispaniam, de qua, bona ex parte differit Author, ad amussim expenditur. Vbi vulgare nihil, innumera verò quæ Scriptorum penè omnium notitiam aufugerant: eaque admiratione dignissima reperire licet. Lugduni 1627. sumptibus Claudij Landry.

Et licet Gabriel Pennottus Lateranensis Canonicus Regularis, in sua Generali totius sacri Ordinis Canonicorum Regularium historia tripartita; & post illum, Matthæus Raderus Soc. Iesu, ac quidam alij citati ab Auberto Miræo, parte 2. Bibliothecæ ecclesiasticæ, cap. 6. effrænata libertatis audacia, tam hoc ipsum Chronicorum opus, quam ipsius commentatorem, *Viuarium*, varijs conuicijs inpertinenter proscindant, hos tamen omnes egregiè repulit, eorumque rationes ac calumnias neruosè refutauit ipsemet Viuarius, *conscriptis duabus Apologijs, tam pro Chronico ipso, quam pro Commentarijs suis*, quæ unà cum Chronico impressæ extant, 1a. scilicet in initio operis, 2a. ad calcem ipsius operis. Quas Apologias si legisset ipse Miræus, non tam temerè huiusmodi conuicijs ac contumelijs assensum præbuisset, nec calculum suum adiecisset: accedentibus præsertim censuris præclarissimis operi præfixis, Virorum doctissimorum, omni exceptione longè maiorum, videli-

videlicet, Gabrielis, S R.E. tituli Sancti Bartholomæi in insula, Presbyteri Cardinalis de Treio: *Hilarionis de Rancate*, Abbatis Sanctæ Crucis in Hierusalem, Viri non solum Græcè & Latinè, verum etiam Hebraicè, Arabicè, & Chaldaicè doctissimi, &, Lucæ Wadingi SS. Theologiæ prælectoris, ac totius Seraphici Ordinis Archi-chronographi: cuius postremi, hæc ipsa sunt verba, loco citato: *Optimas Hispaniæ antiquitates vindicasti* (alloquitur Viuarium, de suo commentario in Chronicon dextri) *res exteras illustrasti, sepultam optimarum rerum memoriam plenè resuscitasti. Et si præclaras quasque nationes magno tibi deuinxisti beneficio, vltra omnes, tua tibi debet Hispania, cuius res, vtpotè sibi notiores, maiori cura & fide, dexter notauit, & tu demum dexterè illustrasti. Genus omne Sanctorum vestram protulisse hesperiam, ostendi omnimoda hac historia, cui tu plenè fidem, quantumuis duram, docta commentatione concilias. Felicem certè, & vltrà commendabilem tuum euasisse conatum, iam plenè probasti, dum & dextrum hunc ipsum esse, fundatè confirmas, & Sanctorum gesta ab apocryphis ritè discernis. Gratam forè omnibus, hanc tuam historiam, ausim spondere.* Hæc Wadinghus. Videantur etiam quæ de hoc dextri Chronico scripserunt, *Sancius d'Auila*, Seguntinus, & Placentinus successiue Episcopus, in libro Sancti Vitalis Archi Presbyteri Toletani, & Martyris: & in opere suo, de Veneratione Reliquiarum. *Bertrandus de Ladron, de Gueuara*, Archiepiscopus Compostellanus, in libro de Aduentu Sancti Iacobi: &, *Prudentius de Sandoval* Episcopus Tudensis, & Pampilonensis, ac Regius Historiographus, in libro, ecclesiæ Tudensis; & alij plures, relati in Apologiâ primâ *Viuarij*, citatâ.

Porrò in dictarum Apologiarum posteriore, pariter exploduntur futiles & inpertinentes rationes, quas (suprà) etiam Pennottus effutijt in vniuersum Ordinem Cisterciensem, contendendo illum nequaquam à Sancto Benedicto descendere.

Cæterum, Scripsit etiam Author noster, Franciscus Viuarius, *Commentaria similia in Chronicon Marci Maximi, Braulionis, & aliorum continuatorum Flauij dextri*, quæ nuper etiam anno 1650. Madriti fuerunt impressa, hoc titulo: *Marci maximi Episcopi Cæsar-Augustani, viri clarissimi, continuatio Chronici omnimodæ historiæ, ab anno Christi 430. (vbi Flauius Lucius dexter definit) vsque ad 612. quo Maximus peruenit: unà cum Additionibus S. Braulionis, Helecæ (seu Helecanis) Taionis, & Valderedi, Cæsar Augustanorum itidem Episcoporum, accuratissimis, opera & studio Reuerendi Adm. P. F. Francisci Biuarij, Cisterciensis Ordinis, aliàs Diui Bernardi, ex insigni, Regioque cœnobio B. Mariæ de Nogales, almæ Regularis obseruantiæ Castellæ & Legionis, eius olim in Curia Romana Procuratoris Generalis, Sacrorummœnium, & Vallis Dei Cœnobiorum Abbatis, apodicticis commentarijs illustrata, quibus vniuersa historia ecclesiastica innumerabilium fere rerum, scitu admiratione que dignissimarum, & quæ Scriptorum penè omnium notitiam aufugerant, seu aliter quam euenerint à recentioribus referantur, tam ad Italiam, Germaniam, & Galliam spectantium, quam ad Hispaniam (de qua bona ex parte differit Author) ad amussim exponditur. His viam parant Apologeticæ prælocutiones pro dextro, & maximo, veritatis atque authoritatis vtriusque Chronici vindices, quibus ignotissimorum Sanctorum, Martyrum præsertim Vrgabonensium auspicijs, religione ac pietate Emmentissimi Domini Cardinalis, Domini Balthasaris de Sandoual, & Moscoso, nupera ac mirabilis inuentio, fidem adstruit, & conciliat.*

Accessit, S. Ioannes, cognomento, Panygua, ab obliuione vindicatus.

Cum priuilegio, Madriti, ex Typographiâ Didaci di . . . . . anno 1650.

Commentaria hæc, tam priora quam posteriora, maximo cum plausu per vniuersam Hispaniam

paniam recepta, præclarum nomen Authori pepererunt, qui obijt Madriti anno 1636. summo cum mœrore omnium qui illum nouerunt.

Fulcardi Montis (quod est monasterium in diœcesi Rothomagensi) *Religiosus quidam anonymus*, scripsit

Historiam Comitum de Eusij (d'Eu) in Normanniâ, Fundatorum Monasterij Fulcardi montis; quæ ibidem seruatur M.S. *Relatio ex Gallijs transmissa.*

Fulco, cognomento; vulgo, *Massiliensis*, Poëta vernaculis celeberrimus, Religiosus, & Abbas primum *Thoroneti*, aliàs *Floragiæ*, seu *de Floregijs*, in Prouincia rum Grandisylnæ, in Diœcesi Tholosana; exindè Episcopus Massiliensis; ac tandè Archiepiscopus Tholosanus, num. 28. Ad quem plures extant epistolæ Innocentij III. Pontificis. Vir fuit non minus sanctitatis opinione, quã doctrina celebris, & Catholicæ veritatis propugnator acerrimus. Raymundum Tholosanum Comitem, & alios plures Albigensium hæreticorum fautores, fulmine pontificio percussit. S. Dominicum Tholosam euocauit, eumque in fundatione ordinis sui plurimum iuuit, imò (vt scribit R.mus Angelus Manriquez, in annotationibus ad bibliothecam Seguini, quas apud me habeo) eidem author fuit dicti ordinis fundandi; hinc ipsemet illum apud Innocentium Pontificem duxit, & introduxit, atque Tholosæ ecclesiam, & domum dedit, primo sui ordinis cœnobio ædificando.

Scripsit plurima, carmine vernaculo, ex quibus extat libellus huius tituli: *Las complanchas de Beral*, siue *Querimonia Beraldi*. Vbi introducitur quidam Dominus Massiliensis, nomine Beral, deplorans mortem vxoris suæ Adalasiæ. De quo plura Antonius du Verdier, in Bibliothecâ suâ Gallicà, vbi latè exponit, quisnam & qualis fuerit hic Beral. Scripsit quoque ad diuersos Magnates & Principes, *De Albigensium hæresi eliminanda, deque eius authoribus profligandis, epistolas plures luce dignas.*

Huius mentio fit in Bulla Honorij 3 confirmantis ordinem Sancti Dominici, anno 1216. Eidem etiam dedicat vitam Beatæ Mariæ Ogniacensis, Iacobus Cardinalis Vitriacus. Denique huius viri magnâ cum laude meminerunt Danthes poëta Hetruscus, Franciscus de la Croix in Bibliotheca Gallica, Petrus de Vallibus Sernay in historia Albigensium, Petrarcha lib. 4. triumphi amoris, Cæsar Nostre Damè in historia Prouinciæ (vbi particulariter notat illum in arte poëtica excelluisse) Belleforestus, & alij plures. Floruit maximè circa annum 1215. Obijt autem dum sacra natalis Christi solennia ageret, in bello sacro contra Albigenses, anno 1231.

Fuliensium religiosorum constitutiones, anno 1595. Romæ in capitulo generali amplsata, & ad singula capita regulæ Sancti Benedicti accommodata, à Clemente VIII Pontifice approbatæ & confirmatæ fuerunt; prodierunrque Romæ eodem anno, typis Nicolai Murij.

Fuliensis congregationis, ordinis Cisterc. *monachus* (cuius nomen mihi incognitum) edidit Gallicè Parisijs anno 1622. typis Ioannis de Heuqueville, in 8°. *Vitam Venerabilis Patris Caroli à Sancto Bernardo*, eiusdem congregationis religiosi, & Fundatoris monasterii Fontanensis, in solo Castri paterni Sancti Bernardi, propè Diuionem in Burgundia: qui Carolus obiit Parisiis anno 1621. 14. Martij. Chrysostomus Henriquez in Menologio Cisterciensi, eadem die. Huius quoque Caroli virtutes præcipuas breuiter complexus est Carolus à Sancta Maria, Prior Sancti Bernardi Parisiensis, in catalogo Fuliensium sanctitate illustrium. Apud Henriquez. ibidem.

Fuliensis alius, scripsit *Epistolam, seu potius, Libellum quendam insignem, responsorium ad litteras Patris sui, quibus illum fuerat conatus retrahere ex Religione ad sæculum.* Impressa extat in 8. anno 1588.

1588. tacito loco impressionis & Impressoris nomine. Initium est: *Monsieur, ie ne puis nier*, &c.

Fulienses item alij (suppresso nomine suo) transtulerunt ex Italico in Gallicum idioma, ac typis mandarunt Libellum inscriptum, *Le combat spirituel*, id est, *Conflictus, siue, Pugna spiritualis*; insigni præfatione præfixa, ad animas deuotas salutis viam strenuè gradientes. Porrò, hunc libellum posteà à Patribus Theatinis recognitum, & 27. capitibus auctum, denuò transtulit quidam Parisiensis D.S. & in lucem emisit, Parisijs, 1645. in 16. typis Georgij Iosse.

G.

GAbriel Castellanos, Hortensis in Hispania monachus, vir pietate & doctrina commendabilis, Abbas quondam & Visitator generalis, ac Diffinitor congregationis, *Librum Sancti Patris nostri Bernardi ad sororem, ex Latino Hispanū fecit*, iussitq; imprimi Vallisoleti, 1602.

Henriquez in Phœnice, inter scriptores Hispaniæ.

Gabriel Franciscus, Nobili apud Florentinos familia procreatus, Monachus Cisterciensis in patria, Poëta fuit clarissimus, & omnium sui temporis suauissimus, teste Ferdinando Vghello Italiæ sacræ, tom.1. inter Episcopos Fanenses, fol. 717. multa præclara ingenij sui monumenta reliquit, quorum titulos hactenus assequi nequivi. videatur Nicolai Baccerij historia Septimiana, lib. 7. vbi Authoris huius cum laude fit mentio.

Gabriel, de Franairilis, Florentinus, Monachus Cistelli, lepidus, nobilisque fuit Poëta Laureatus, qui *plura scripsit egregia opuscula, digna quæ lucem aspiciant*. Extant diuerso carminum genere conscripta, in Bibliotheca eiusdem cænobij. obijt à paucis annis.

Gabriel à Sancto Malachia, Religiosus Congregationis Fuliensis, *multo exactius quam antè, transtulit in linguam Gallicam, Epistolas Sancti Bernardi*, easque imprimi curauit Parisijs, anno 1649. typis Gasparis Meturas, in plateâ S. Iacobi, sub intersignio SS. Trinitatis. Prodierunt & eodem anno translationes nouæ in linguam Gallicam, *Vita Sancti Bernardi*, & aliorum aliquot Tractatuum, eiusdem Sancti Patris, nimirum, *de Conuersione Morum, de vita solitaria, & de Precepto & dispensatione*. Parisijs, apud Antonium Vitrè, Typographum Regium, &c. 1649.

Galfredus Romavallis, instituti Cisterciensis (teste Pitsæo) monachus Anglus, vir pietate & eruditione multiplici, suo sæculo multum celebris; absolutis feliciter humanioribus & philosophicis studijs, maturescente cum annis ingenio, in S. Theologię palestram descendit, tanto discendi studio, vt sacras scripturas, antiquos Ecclesiæ Patres, & scholasticos Doctores, penè nunquã cessaret nocturna versare manu, versare diurna. Ex quibus hausit, quæ postmodum divite vena dictando & concionando populis propinauit. Plurima scripsisse dicitur, ex quibus tamē hactenus nihil repertū est, præter *Doctarum concionum librum vnū*; olim Londini impressum, à Reinero Wolffio: hoc initio: *Si filius Dei es, mitte te &c.* Quo anno vixerit, incertum est. Vide Pitsæum in appendice ad librum de scriptoribus Angliæ, centuria 1. nu. 87. Et Balæum, centuria 12. n. 39.

Gallus, *Abbas* regalis cœnobij Aulæ Regiæ (iuxta Pragam Bohemiæ Metropolim) Regum Bohemiæ Mausolæis celebris, vir veterū lectione diues, diuinarum rerum contemplator egregius, eloquio compositus, & conuersatione vitæ regularis insignis, varia scripsit, ex quibus extant (teste Trithemio de scriptoribus) *Sermones ad fratres*, & volumen magnū, quod prænotauit Author, *Malogranatum*, cuius initium est: *Fili accedens ad seruitutem Dei*, &c. Est autem scriptum per formam Dialogi inter Patrem & Filium. Extatque impressum in folio, anno 1487. (suppresso loci & Typographi nomine) sub hoc titulo:

Dialogus dictus, Malogranatum, in 3. libros diuersus, Interlocutoribus, Patre & Filio. Agit autem primus liber, de statu incipientium, sub tribus distinctionibus, 1.ma est, de conuersione hominis ad Deum, 2. de Contritione, & confessione; 3. de satisfactione.

Liber 2.dus, agit de statu Proficientium, tribus etiam distinctionibus, quarum primâ agitur, de vitiorum detestatione, 2.da de virtutum operatione 3.tia de Tentationum perpessione.

Liber 3.tius agit de Statu Perfectorum, sub tribus distinctionibus; Prima est de cordis munditia, 2. de Dei & proximi Charitate. 3. de Creatoris omnium contemplatione.

Ad calcem operis subiungitur: *Explicat dialogus, dictus Malogranatum compilatus à quodam Venerabili Abbate, Aula Regia in Bohemia, Ordinis Cisterciensis.* An. Domini M. CCCC.LXXXVII. Prologus verò huius operis sic incipit: *Ecce dabo tibi mustum granatorum meorum, &c.*

Vidi hoc opus M.S. in Bibliothecâ Veteris Campi, iuxta Coloniam. In cuius 3. parte continebantur etiam *Resolutiones omnium dubiorum & difficultatum quæ à Statu Religioso quempiam auocare possent*, per Abbatem Gallum conscriptæ, quarum initium est:

Instantibus tuis precibus, &c.

Extat etiam *Malogranatum, in Flandricam linguam translatū*, Louanij in Valle Sancti Martini.

Cæterum non abs re hic annotandum duxi, sub finem elapsi sæculi, ad regimen huius monasterij *Aulæ Regiæ*, assumptum fuisse ex cœnobio nostro Dunensi D. Antonium Flamingum, natione Belgam, qui tanta cum laude eidem præfuit, vt vniuersi ordinis nostri per Bohemiam, Morauiam, Silesiam, & Lusatiam, constitui meruerit Vicarius generalis. Quarum prouinciarum monasteria ita etiam reformauit, vt eadem (ante nuperam Suecorum irruptionem) in religionis obseruantia, paucissimis per vniuersum Romanum Imperium cœnobijs cedere debuissent. Quo facto, prudentiæ, cæterarumque virtutum suarum claritate inita diffudit, vt Inuictissimus Romanorum Imperator Rudolphus, eadem excitus, illum consilijs suis ordinarijs adhibuerit. Obijt anno 1599. gloriosissimam post se nominis famam relinquens.

Habeo penes me *prolixam quandam epistolam historialem*, quam anno 1583. in festo S. Barnabæ Apostoli, ex Aula Regia scripsit ad Reuerendum nostrum Abbatem de Dunis, *in qua summatim totam suam describens vitam, inter cætera, ait se à iuuentute in Monasterio nostro Dunensi fuisse enutritum, & ante 24. aut circiter) annos, in eodem professionem emisisse.* Vide de hoc Abbate etiam Iongelinum in serie Abbatum Aulæ Regiæ, quam edidit in notitijs suis.

Garnerius, Vide *Guarnerius.*

Gasbertus, cognomento, *dú Puy Cibot*, patria Lemouicensis, cœnobij B. Mariæ de Floregijs, alias de Thoroneto, monachus, scientiæ musices professor eximius, antequam cœnobiticam vitam profiteretur, quo tempore etiam scripsit lingua Analitia (quam Prouincialem vocamus) quendam libellum, cui nomen indidit: *Las baudias des Amoures.* Obijt anno salutis 1263. Ioannes Nostradamus in libro quem inscripsit, de poëtis regionis Analitiorum; Franciscus de la Croix in bibliotheca Gallica; Hugo de Cæsano in catalogo poëtarum Prouinciæ, apud Seguinum in bibliotheca sua M.S. littera G.

Gaspar Iongelinus, Antuerpiensis Belga, ordinem Cisterciensem professus ad sanctum Saluatorem, in patria, migrauit indè in Germaniam, vbi nominatus fuit primò Abbas Disenbergensis (siue, Montis sancti Disibodi) ac posteà Vterinæ Vallis, vulgò Eusserthal, in diœcesi Spirensi; mihi à pluribus annis, litterarum & scriptorum communicatione familiarissimus. Edidit *Notitiam Abbatiarum Ordinis Cisterciensis, per orbem*

orbem vniuersum, libris decem, quibus singulorum Monasteriorum origines, & incrementa; Benefactorum, aliorumque illustrium virorum monumenta, donationesque recensentur. Coloniæ apud Ioannem Henningium, anno 1640. in folio.

Origines item ac progressus Ordinis Cisterciensis Abbatiarum Ordinum Equestrium, de Calatraua, Alcantara, &c. Librum alium in folio. Coloniæ typis Birckmannicis, anno 1641.

Purpuram Diui Bernardi, repræsentantem elogia & insignia gentilitia, tum Pontificum, tum Cardinalium, necnon & elogia Archiepiscoporum, & Episcoporum, qui assumpti ex Ordine Cisterciensi, in Sacra Romana Ecclesia floruerunt. Coloniæ typis Henrici Krafft, anno 1644. in folio.

Publicauit etiam, *Purpuram S. Benedicti*, repræsentantẽ elogia & insignia gentilitia Pontificum, Cardinalium, Archiepiscoporum, & Episcoporum eiusdem ordinis. *Cuius operis compendium (quoad primam partem, quæ est de Pontificibus) iam etiam impressum est per formam tabulæ, ad parietem pendendæ.* Præter hæc, meditatur

Notitiæ Abbatiarum &c. editionem alteram duplo auctiorem. Item

Opus aliquod genealogicum, continens genealogias omnium Regum, Principum, aliorumque illustrium virorum, qui aliquod olim Cisterciensibus cœnobium fundarunt, per vniuersum Christianum orbem.

Denique, *Catalogum Serenißimorum vtriusque sexus Principum, qui spreto mundi schismate, Christo Regi Regum in Ordine Cisterciensi, ad mortem vsque militarunt. Additis omnium & singulorum armis, siue insignibus gentilitijs,* in artis Heraldicæ curiosorum gratiam.

Plura excogitabunt, felix eius ingenium, & zelus illustrationis ordinis feruentissimus; quibus excitatus, vel inter ipsos etiam armorum strepitus, Musas colere pergit, hoc anno 1654. adhuc superstes. In Hungariâ alibi degens, Monasterio Vterinæ Vallis, per hæreticos occupato.

Gaspar de Valle Petrosa, monachus celeberrimi & verè Regalis cœnobij Populetani in Catalonia, multiplici doctrina, & omni virtutum genere ornatissimus, varios conscripsit theologicos tractatus, (teste Montalbo, lib. 2. chronicorum. cap. 33.) ex quibus non nisi vnicum producit Henriquez in Phœnice, scilicet *Summam de Sacramentis.* Obijt Gaspar anno 1599.

Gaspar Verstockt, Religiosus loci S. Bernardi ad Scaldim in Brabantiâ, *Transtulit ex latino in Flandricum, vitam S. Bernardi 5. libris comprehensam, quibus, pro 6. libro adiecit Epistolas Alexandri 3. de canonizatione eiusdem S. Patris.*

Item, *Calendarium Sanctorum ac Beatorum Ordinis Cisterciensis, ex Menologio Henriquez collectum.* Excudit Antuerpiæ Guillielmus Lesteens. 1650.

Concinnauit & *Chronotaxim Ordinis Cisterciensis, siue, filiationes monasteriorum Ordinis eiusdem.* Ex quibus, prodijt eodem anno 1650. Linea Claræuallensis, in diuersis folijs patentibus. Viuit adhuc hoc anno 1655. plura, forrè, daturus.

Gaubertus Fabritius, natione Celtiber, professione verò monastica cœnobita monasterij *Fontis Clari*, quod aliter vulgò dicitur *Sancta Fidei*, in Aragonia. In quo viro tantum ab ipso tyrocinio enituit ingenium, tantusque ad studium feruor animi, vt magnam de se spem Superioribus suis præbuerit. Disciplinis altioribus egregiè excultus, animum historijs applicuit; specialiter autem illustriora quæque regni Aragoniæ archiua lustrauit, in quibus cum plura reperisset notatu dignissima, quæ tempus rerum edax lethæa obliuione obduxerat, nocturno, diurnoque studio, ea in ordinem digessit, & ex ijs conscripsit, ac in lucem emisit.

Historiam vniuersalem regni Aragoniæ. Opus rarum, & curiosum, quod extat impressum in folio. Henriquez in Phœnice.

Gaufredus siue *Gaufridus* (*Seguino, Godefridus*) Altæcumbæ Abbas, vir non minus religionis obser-

obſeruantiâ,quam doctrinæ ſplendore conſpicuus ſcripſit.

Super Cantica Canticorum. Quod opus ſeruatur in Villario Brabantiæ,& in Sancto Martino Tornaci. Vide catalogos dictorum monaſteriorum, apud Sanderum in bibliotheca M.S. Belgica. Porrò,codicem Villarienſem longo tẽpore apud me habui. Eſt liber in folio, nitidiſſimo charactere in pergameno conſcriptus. Opus in cantica, vaſtiſſimum eſt, cuius præfatio ſic incipit. *Plurima quidem audiuimus, plures ex nobis &c.* Operis autem initium eſt: *Ad ſingulos profectus virtutum, canenda ſunt cantica graduum*, &c. Exponit autem Author cantica,moraliter, ad imitationem S.Bernardi (licet longè infra ſtylum & ſpiritum Bernardi) interſerens expoſitioni ſuæ, plures integros ſermones, præcipuis quibuſcunque annis feſtiuitatibus accommodato. In Præfatione verò citatâ, aſſerit Author ſe à pluribus fuiſſe ſollicitatum ad proſecutionem operis S.Bernardi, quorum petitioni nullatenus acquieuerit,ſed magis ab initio incipiendo,eodem tenore ad finem vſque expoſitionem ſuam continuauerit.

Bunderius,in Indice libb.M.SS. dicit hunc etiam ſcripſiſſe *Parabolarium*,ſeu, *librum Prouerbiorum*,qui ſolebat extare Dunis,in Euerſcham, & apud Prædicatores Audomarenſes.

Cæterum, ſcripſit etiam *Vitam Sancti Petri Archiepiſcopi Tharentaſie*, iuſſu Reuerendiſſimorum Patr, Petri Ciſtercienſis Abbatis,& Attrebatenſis Eccleſiæ Epiſcopi electi; ac Beati Petri Monoculi, Abbatis Claræuallenſis, quibus Lucius III. Pontifex iniunxerat, vt vitam eius conſcribi curarent. Vide Ioannem Molanum, in annotationibus ad Martyrologium, 8. Maij. Et Menologium Henriquez ibidem. Edidit hanc vitam Surius,tomo 3.& Henriquez in Faſciculo. Gallicè verò Ioannes d'Aſſigny,in Conclaui,parte 1,extatque & Flandricè à me reddita,apud moniales Vallis cæli,Dixmudæ in Belgio M.S.& etiam apud me.

Gaufridus Antiſiodorenſis(à patria cognomen ſortitus)Petri Abaillardi quondam diſcipulus, ſed ne fieret etiam imitator erroris,ad magiſterium Sancti Bernardi ſe contulit,ſub cuius diſciplina inſtitutus,religione & doctrina clariſſimus euaſit,in tantum vt Guillielmus Eiſegrenius,lib de ſcriptoribus orthodoxis (viſis eius ſcriptis)illum vocare non dubitauerit, virum ſuæ ætatis eloquentiſſimum, poëtam grauem, theologum ſacrarum legum exercitatiſſimum. Scripſit

Contra Petrum Abaillardum, lib. 1.

In Apocalypſim S.Ioannis, librum vnum, doctum & elegantem teſte Eiſegrenio,ſuprà.

Epiſtolas ad diuerſos. Trithemius de ſcriptoribus, Poſſeuinus, Sixtus Senenſis in bibliotheca ſacra,& Seguinus in bibliotheca Ciſtercienſi; vbi tamen malè annotat, hunc fuiſſe Epiſcopum Antiſiodorenſem; vt benè aduertit doctiſſimus Manriquez,in annotationibus ad dictam Seguini bibliothecam. Huic etiam Gaufrido idem Seguinus attribuit *Librum tertium miraculorum Sancti Bernardi in Germania & Belgio patratorum*(de quo ſuprà quædam diximus, verbo Eberardus:) ſed in hoc etiam refellitur à Manriquez tomo 2.annalium,ad annum 1147. cap.5.n.13.qui Gaufridum horum miraculorum ſcriptorem, contendit eſſe diuerſum ab hoc Gaufrido Antiſiodorenſi:ſed(quod ſalua reuerentia tanti viri dixero) ſine ſufficienti ratione, vtpotè quam ſolam adfert,quia Gaufridus ſcriptor libri miraculorum iam citatorum, aſſerit ſe fuiſſe præſentem dum à Patre Sanctiſſimo patrata fuerunt ea,quæ ipſe ſcribit; at Gaufridus Antiſiodorenſis in 2.ſuo libro de vita eiuſdem Sanctiſſimi Patris Bernardi,eadem commemorans,ſcribit ſe ea referre ex relatione eorum qui interfuerunt. *Nam vt teſtati ſunt* (inquit) *qui affuere*:

affuere: quod nequaquam dixisset, si adfuisset. Hæc Manriquez. Sed quia fundamentum huius rationis in eo consistit, quod præsupponat, Gaufridum Antisiodorensem esse eundem cum Gaufrido notario Sancti Bernardi, & posteà Claræuallis Abbate, qui 3. postremos scripsit libros vitæ ipsius Sanctissimi Patris: totum hoc corruit, si dicamus Gaufridũ Antisiodorensem, diuersum esse à Gaufrido notario, & illum quidem scripsisse miracula hæc in Germania patrata, & alia quæ iam recensuimus, hunc verò 3. posteriores libros vitæ Sancti Bernardi, prout celebriores, & doctiores scriptores ordinis nostri, Gallicæ nationis, testantur, nominatim (vt iam vidimus) Philippus Seguinus (qui præ cæteris Claræuallensium monumenta exactissimè excussit, vt ex scriptis eius euidenter colligitur;) & doctissimus Claudius Chalemot. S. Theol. Doctor. Abbas modernus cœnobij de Columba, qui in breui, clarissimis suis scriptis, quæ præ manibus habet, vniuerso ordini (imò & orbi) innotescet. Hic in serie amplissima scriptorũ Cisterciensium, ex diuersis Galliæ monasteriis collectorum, quam anno 1647. humanissimè mihi transmisit, apertè Gaufridum Antisiodorensem à Gaufrido Abbate Claræuallensi & Sancti Bernardi notario, distinguit; quorum singulis sua adtribuit diuersa opera. Cuius sententiæ libentissimè subscribens. Gaufridum Antisiodorensem asseram eundem esse cum Gaufrido scriptore libri 3. miraculorum à Sancto Bernardo in Germania patratorum; distinctum autem à Gaufrido notario Sancti Bernardi; cuius diuersa quoque reperio scripta. Cæterum, Ioan: Garetius, lib. de veritate corporis Christi in Eucharistia, citat huius Gaufridi Antisiodorensis scriptum *In epistolas Pauli*. Demsterus, asserit extare aliquot ipsius epistolas in cœnobio Paracletensi, in Trecassinis, & apud Paulum Petauium.

GAVFRIDVS (alibi, *Gofridus*, vel *Godefridus*) ex monacho Claræuallis, & notario Sancti Bernardi, primum Igniaci, ac posteà Claræuallis Abbas 4. post Guillielmum Sancti Theodorici, & Bernardum Bonævallis Abbatem, scripsit 3. *libros vltimos de vita magistri sui Sancti Bernardi Abbatis*, qui cum operibus eiusdem Sancti passim extant. Is lib 3. cap. vltimo, recenset opera à Sancto Bernardo scripta, quæ sine dubio illius sunt.

Scripsit & *Vitas SS. Martyrum, Eutropij, Sozimæ, & Bonosæ*, quorum corpora in Claravalle quiescunt.

Legitur etiam scripsisse *De transitu S. Bernardi, librum vnum*, ad Eskilum Lundensem Archiepiscopum: sed dubium est, an sit distinctus liber à libro vltimo vitæ S. Bernardi.

Extat quoque apud Baronium, tomo 12. Annalium, ad annum 1148. *Eiusdem Gaufridi epistola historica de rebus gestis in concilio Rhemensi, ab Eugenio III. in causa Gilleberti Porretani celebrato*, scripta ad Episcopum Albanensem.

Extat & alia elegans & docta epistola eiusdem Gaufridi, apud Baronium supra, ad annum 1188. *De transubstantiatione aquæ mixtæ vino, in Sanguinem Christi*: scripta ad eundem Henricum Cardinalem Albanensem.

Scripsit insuper, *expositiones eruditissimas in Cantica Canticorum*. Quod opus seruatur in Morimundo, vt habet series codicum manuscriptorum bibliothecæ Morimundensis, ad me transmissa per Reuerendissimum D. Claudium Abbatem eiusdem loci; tametsi ibidem pro *Cantico Canticorum*, habeatur *Canticum Amoris*: quod tamen credo in idem coincidere.

Huic etiam adtribuitur *Liber de personis illustribus in Claravalle sepultis*; qui liber inscribi solet, *Liber sepulchrorum Claravallis*; qui sæpius citatur ab Henriquez in Menologio.

Insuper Henriquez in Fasciculo, libro 2. dist. 26. hunc

26.hunc etiam auctorem ſcribit *cuiuſdam ſermonis(quem alij tribuunt B.Roberto de Brugis) habiti in anniuerſaria die S.Bernardi.* Quem ſermonem nuper etiam(ſub eiuſdem Gaufridi nomine) edidit Iacobus Merlonus Colonienſis paſtor,cum operibus S.Bernardi, aſſerens illum eſſe habitum anno 1163. Quod ſi verum ſit, haud dubiè Gaufridi eſt,& non Roberti.

Denique Seguinus in Bibliotheca M.S affirmat illum etiam ſcripſſe *Orationem quandam funebrem*,memoria dignam, in laudem diui Bernardi.Credo tamen eſſe ipſammet Concionem iam memoratam. Cæterum Gaufridus hic Sanctis ordinis noſtri adſcriptus legitur in Menologio 8.Nouembris,de quo ſequentes leguntur in Claravalle verſus:

Igniaci Paſtor, Gaufredus,legis amator,
Quatuor hic annis claruit,atque fuit
Præſul is electus,virtutum nomine clarus,
Noluit hoc fieri,dignus amore Dei.

Gaufridus Claravallenſis, quem Bunderius in Indice ſuo ſcribit edidiſſe *Comment.in Cantica Canticorum*, ipſe eſt Gaufridus de Altà cumbà, conſtat & initio operis à Bunderio citato,quod idem eſt cum eo quod ſuprà recenſuimus in Gaufrido de Altà cumba.Alij nonnulli,Gaufridum Claræuallenſem vocant,Notarium Sancti Bernardi.

GAVFRIDVS *Lingonenſis Epiſcopus*,S.Bernardi conſanguineus,eidemque ab infantia familiaris,ac poſteà vnus ex 30.ſodalibus cum illo Ciſtercium ingreſſis,& ex primis monachis qui Claramvallem in ſudore ſuo fundarunt. Ex Priore Claræuallis, primus Abbas Fonteneti, hinc anno 1138.Epiſcopus Lingonenſis 58.creatus fuit.Verum anno 1161. Epiſcopatu ſe abdicans,Claramvallem reuerſus eſt,vbi poſt triennium(anno 1165.)pijſſimè obijt,in cellâ Sancti Bernardi.In quâ cellâ eidem ſucceſſit venerabilis Alanus,poſt reſignationem epiſcopatus Antiſiodorenſis. Andreas du Sauſſay in martirologio Gallicano,ad 22. Iulij, putat hunc ſcripſiſſe 3.poſteriores libros vitæ Sancti Bernardi, ſed fallitur,ſolummodò enim ſcripto reliquit *Annotationes quaſdam in vitam Sancti Bernardi*, quæ poſteà vſui fuerunt ipſi Alano in ſua compilatione vitæ compendioſæ Sanctiſſimi Patris Bernardi,vt ipſemet fatetur in epiſtola dedicatoria ſui operis, ad Beatum Petrum Abbatem Claræuallis. Vide Manriquez,tomo 2. Annal. ad annum 1153. cap.11.n.5.

NOTA.

Mirum videri non debere, tot hic à nobis ex Clara-valle produci Gaufridos; nam (præter eos,qui fortè nobis non innotuerunt) 6. diuerſos eodem ferè tempore, in Claravalle vixiſſe legimus,eiuſdem nominis,omnes doctrina, & ſanctimonia vitæ claros; ſcilicet,

1. Gaufridũ hunc Lingonenſem Epiſcopum.
2. Gaufridum de Amayo,qui pariter cum S. Bernardo religionem ingreſſus,& cum illo etiam Claramvallem miſſus, obijt priuatus in Claravalle,in præſentia ſancti Bernardi.
3. Gaufridum de Perona,Priorem Claræuallis,qui electus Epiſcopus Nannetenſis, noluit conſentire.
4. Gaufridum 1. Claromariſcenſem Abbatẽ.
5. Gaufridum Antiſiodorenſem.
6. Gaufridum notarium Sancti Bernardi, & poſtea quartum Abbatem Claræuallis.

GAVFRIDVS VILLARIENSIS monaſterij in Brabantia religioſus,celeberrimus(teſte Henriquez in menologio)ſui temporis hiſtoricus,*plures ſcripſit Sanctorum vitas, ſuppreſſo licet ſemper nomine ſuo.* Eius tamen adhuc extat nomine inſignita *Inſignis epiſtola,ad Idam ſanctimonialem.* Alibi tamen,pro *Ida*, legi *Odam*; vnde hunc eundem eſſe coniecto,cum Godefrido,qui ſcripſiſſe legitur *Vitam Sanctæ Odæ Virginis*,quæ aſſeruatur in Corſendonc Brabantiæ monaſterio Canoni-

corum

corum Regularium. Vbi etiam reperitur *Epistola alia apologetica, pro eadem vitâ*, Authore Godefrido eodem, quæ sic incipit: *Godefridus Ordoni & Victori*, &c. Vide catalogum bibliothecæ Corsendoncanæ, apud Ant. Sanderum, in Bibliotheca M.S. Belgica.

Georgius à Sancto Benedicto, Congregationis Fuliensium, edidit, *Enchridion dialectica*, *& alia plura*, quæ ad notitiã meam non peruenerunt. Relatio PP. Fuliensiũ an. 1651. Ex vrbe missa.

Georgius VVeinberger, Furstenveldensis Cœnobij Prior, scripsit *In omnes Regulas Iuris Canonici, Opus valde utile, in quo, ad singulas, omnes illi conscientiæ casus, quos varij Doctores ex ipsis resoluerunt, ponuntur, examinantur, iudicantur*. Ita Caramuel, in Theologiâ fundamentali, de Regulis Iuris, cap. 5. n. 38 fol. 239.

GERMANVS BVGESIVS, Hortensis cœnobij in Hispania religiosus, S. Theol. magister, lingua promptus, sermone politus & facundus, ingenio subtilis, iudicio solidus, orator disertus, concionator zelosus; qui varijs in locis, magna populi concurrentis frequentiâ, nec minore fructu, verbum Dei prædicauit. Experta & mirata hoc ipsum fuit, clarissima Cæsar-augustana ciuitas, dum eum per aliquod tempus concionatorem habuit: quemadmodum etiam regia Madritensis vrbs, dum in Cisterciensi nostro S. Annæ cœnobio cathedram moderatus est, vbi sæpius tanta spiritus vehementia, & efficacitate ad populum dixit, vt obduratissima etiam corda emolliret. Scripsit

Cosmographiam Christianam, siue, *Volumen insigne concionum de Aduentu, & de Quadragesima*, impressum Brugis, in 4o. anno 1623.

GERARDVS BORLVTVS (sic enim vocabatur, & non, *Carolus*, prout in primâ editione huius libri, scripsi) nobili apud Gandenses familiâ procreatus, monachus Monasterij Dunensis in Flandriâ, scripsit linguâ vernaculâ, in gratiam Sanctimonialium de Rauensberge, diœcesis Audomarensis, (quarum spirituali directioni deputatus erat) *Tractatum insignem, de pulchritudine & perfectione virtutum*: quem M.S. apud me asseruo. Scripsit circà annum 1574.

GERARDVS LEODICENSIS, ordinis Cisterciensis, scripsit *Librum de remedijs contra amorem illicitum*. Reperitur M.S. Audomaropoli ad Sanctum Bertinum, teste Valerio Andrea in bibliotheca Belgica. Videtur fuisse Claræuallensis religiosus, & idem qui etiam collegit quædam miracula à Sancto Bernardo in Germania perpetrata, ex quibus, & alijs quæ collegerat Eberardus Claræuallensis, iustum volumen conflatum est. Seguini bibliotheca M.S. huius etiam meminit Bunderius in Indice, Litt. G. n. 98.

GERARDVS ex monacho Claræuallensi, *Longipontis Abbas* in Galliâ, scripsit etiam (teste Angelo Manriquez, tomo 2. Annalium, ad annum 1153.) satis accuratè

Gesta Sancti Bernardi. Vide etiam Henriquez in apparatu ad Menologium.

GERARDVS POREPART, Prior cœnobij de Cristâ, scripsit

Paraphrasim super hymnos Ordinis, excusam Catalauniæ anno 1619. dicatamque Reuerendissimo Domino Claudio Masson, Abbati Morimundensi.

Relatio admodum Reuerendi, & Eximij Domini Claudij Chamelot, Abbatis de Columba.

GERARDVS, monachus de Riue, Ordinis Cisterc. scripsit, defensorium *Iuris contra Actorem*. Bunderius suprà. n. 207.

F. GEROCH, ordinis Cisterciensis monachus sed incerti Monasterij, edidit

Scriptum quoddam insigne *de simonia*, ad Sanctum Bernardum. Reperitur M.S. in Bibliothecâ nostrâ Dunensi.

G. *Monachus* Cisterciensis (fortè idem) conscripsit:

Tractatum doctum *de casibus reseruatis Superioribus Regularium*: M.S. Ibidem.

GERVASIVS HERBLOCIVS, vulgò, *Herbelot*, monachus Longipontis, & confessarius Monsteoli, edidit an. 1628. Rhemis, libellum quendam huius tituli: *Les rayons esclatans du Soleil de Iustice; Ou, L'histoire de la sainte face gardee au Monastere de Montreuil, Diocese de Laon.*

Relationes M.S. Eximiorum Dominorum Claudij Chalemot, & Iosephi Arnolfinij, S. Theol. Doctorum.

GERVASIVS, dictus, *de Parco*, habitum sancti Benedicti iuuenis assumpserat in cœnobio S. Mariæ Eboracensis; sed cum tanto perfectionis flagraret amore, vt de virtute in virtutem procedens, semper se melior fieri contenderet, Cisterciensem reformationem affectans, Monasterio de Fontibus initium dedit, vnà cum Richardo Priore, & alijs 10. Eboracensis sui cœnobij religiosis, (opus promouente, & sumptus subministrante Thurstano siue Trustino, Eboracensi Archiepiscopo.) Quorum piam resolutionem mellifluus Pater Bernardus, in epistola 96. ad ipsos directa, plurimum laudat. Fundationem Monasterij huius, *de Fontibus* refert Manriquez tomo 1. Annalium Cisterciensium, ad annum 1132. cap. 8.

Porrò Geruasius, præcipuus huius reformationis author, sacrarum litterarum studijs, & pietatis exercitijs se totum applicans, tantum profecit, vt Parchensis cœnobij ad Ludam oppidũ, Abbas primus fuerit constitutus. Ex quo tempore, Beato Ailredo Rhievallis Abbati, pietate & doctrina celeberrimo, cœpit esse familiaris; cui etiam author fuisse legitur, vt in lucẽ emitteret, *Speculum suum charitatis*. In quod opus ipse Geruasius (teste Lelando apud Ioannẽ Pitseum) scripsit *Prologum elegantem & prolixum*; qui diuersis scriptoribus occasionem dedit suspicandi, integrum opus à Geruasio esse conscriptum. Hinc Seguinus in bibliotheca sua, agens de Geruasio hoc, asserit illum edidisse librum, cui titulũ dedit, *Speculum charitatis*, hortatu Ailredi Abbatis &c. citans pro se Balæum. Scripsit tamen Geruasius adhuc *Epistolarum ad diversos, librum vnum*; & alia plura, quorum tamen tituli hactenus inuenti non fuerunt. Vide Pitsæum de scriptoribus Angliæ, vbi eundem vocat *Beato Ailredo parem pietate eique valdè familiarem.*

Gico, Prior in Euersbach, scripsit *librum quendam* excerptum ex libris & Prophetijs Sanctæ Hildegardis. Extitit in S. Bertino, teste Bundeerio, litt. G. n. 230.

S. Gilbertus, cognominatus, vulgo de Sempringhã, à loco scilicet Natiuitatis, Angliæ vico, &c. Ordinis Gilbertinorum in Angliâ, fundator, à Chrysostomo Henriquez in Menologio, 4 Februarij. & alijs aliquot Authoribus ibidem citatis, asseritur fuisse Cisterciensis, & Sancti Bernardi discipulus: Quorũ authoritate motus, illum Scriptoribus Ordinis nostri adscripsi in primâ editione Bibliothecæ nostræ; addens. Eum in Claravalle fuisse professum. Verũ, quia posteà ex Guillielmo, Neubrigensi, Nicolao Harpsfeldio, & aliis Angliæ Scriptoribus, didici, illum non solum non fuisse sub Beato Bernardo professum, sed etiam in Anglia Ordinem suum fundasse, antequam vllam haberet notitiam aut familiaritatem cum ipso Sancto Bernardo; idcirco priusquã *adhuc exemplaria dictæ editionis publicarentur, adiecto ad calcem, correctorio, totum hoc de professione Ordinis nostri deleri curaui, relictis tamen reliquis omnibus, eo quod non desint graues Authores, qui scribant, Gilbertum post initam familiaritatem cum Sancto Bernardo, de huius consilio, Ordinem suum in multis conformasse constitutionibus Cisterciensium; atq; hinc factum esse, vt Barnabas de Montalbo, & Miraus in Chronicis suis, alijque nonnulli, hunc Ordinem vocent Cisterciensem.*

Videantur, *Neubrigensis*, lib. 1. cap. 16. & *Harpsfeldius*, centuriâ 12, cap. 37. Qui tamẽ Authores in hoc

in hoc discrepant, quod *Harpsfeldius* asserat illū in Gallias profectum ad Eugenium. 3. Pontificem (qui tunc Cistercij diuersabatur) vt Ordinem suum authoritate Pontificia, directioni & Regimini Cisterciensium subijceret: Pontificem verò de ipsius vita & sanctitate accuratius informatum, ordinasse, vt per seipsum propriā prolem foueret, educaret, & proueheret; Qua de re, cū valdè anxiaretur, consilijs Sancti Bernardi (qui tunc fortè ibidem aderat) fuisse animatum & confortatum. Verba Harpsfeldij sunt, loco citato: *Magna Virorum & mulierum ad hoc vitæ genus accessio facta est: quam ille tantam fecunditatem videns, seque pro animi sui demissione, indignum qui tot pijs præesset, arbitratus, Cistercium adijt, vbi tum Papa Eugenius diuersabatur, vt eius authoritate liceret Cistercienses aliquos assistere, qui huius recentis prolis curam, administrationemque susciperent: qui cum accuratius, curiosiusque de illo vitaque eius inquisisset, certiusque edoctus de illo, & quod eum Deus stupendis operibus edendis nobilitasset, indoluit eum sibi virum tam serò cognitum, &c.* Et post pauca: *Et igitur suæ nimirum prolis fouendæ educandæ, & provehendæ, licet valdè reluctanti, munus maximè commendandum arbitratus est. Hoc loco incidit in notitiam celeberrimi illius Malachiæ, Armachani Archiepiscopi, & Abbatis Bernardi, cuius consilijs animatus, piè cœpta, feruentius executus est. &c.* Hæc Harpsfeldius. At Guil. Neubrigensis, suprà, nulla facta mentione Eugenij Papæ, aut Cistercij, asserit simpliciter, Gilbertum excitum fama sanctitatis & doctrinæ Sancti Bernardi, illum accessisse, eiusque consilijs informatum, & in proposito roboratum redijsse. Verba Neubrigensis sunt: *Cum captu eius sapor videretur arridere diuinus, veritus ne forte in vacuum curreret, aut cucurrisset, si erumpentem zelum moderatrix scientia non condiret, præsertim minus adhuc à maioribus institutus, tam arduam solicitudinem arripuisset; Virum Sapientia & sanctitatis titulis clarum, venerabilem scilicet Abbatem Clara-vallensem, Sanctum Bernardum adeundum putauit, cuius venerandis consilijs informatus, atq; in suo proposito roboratus, tanto feruentius, quanto confidentius pijs cœptis insistere non cessauit &c.*

In hac Authorum discrepantia, Angelus Manriquez, tom. 1°. Annalium, ad annum Christi 1135. cap. 8. putat Gilbertum, eodem anno in Gallias profectum causa consulendi Sanctum Bernardum, iuxta relationem Neubrigensis, Viri qui circa eadem tempora vixit, & ipsum Gilbertum assecutus sit; quam relationem ab ipso Authore referri scribit hoc anno 1135. decem nimirum annis, antequam Eugenius ad Pontificatum promoueretur. Ex quo, sequeretur, improbabile esse quod narrat Harpsfeldius, scilicet Gilbertum, solummodò anno 2. aut 3. Eugenij Papæ incidisse in notitiam Sancti Bernardi, idque quodammodo per accidens, quod illum Cistercij apud Pontificem reperisset; verum (salua reuerentia Manriquez) attento diligenter contextu ipsius Neubrigensis, & ijs quæ immediatè sequuntur, omninò videtur contigisse tempore Eugenij Papæ, id quod narrat de profectione Gilberti ad Sanctum Bernardum, nam cum continuo annorum tractu, eademque serie res Anglicanas describat, narratis ijs quæ de Gilberto recensuimus, immediatè subiungit promotionem Henrici Abbatis Fontanensis ad Archiepiscopatum Eboracensem, per Eugenium Papam; quæ quidem peracta fuit etiam non statim initio Regiminis Eugenij, vt ex eodem etiam loco colligitur; quià hanc adhuc præcessit electio cuiusdam Guillielmi Archidiaconi ad eandem sedem, per Regem facta, quam electionem, cassatam fuisse per Eugenium, narrat idem Neubrigensis, suprà cap. 17. hinc aptè vtrumque Authorem conciliabimus, si dicamus cum Neubrigensi, Gilbertum ex intentione quidem profectum in Gallias, vt S. Bernardum consuleret; sed cum illum

illum reperisset in Cistertio apud Eugenium Papam, negotia sua ipsi communicasse, eo modo quo scribit Harpsfeldius, & vnà etiam consuluisse S. Bernardum. Vt, vt sit, in hoc omnes Authores conueniunt, quod super Ordine suo, & monasteriorum regimine, consuluerit S. Bernardum, eiusque salutaribus consilijs fuerit informatus.

Scripsit autem Gilbertus, *Leges & Constitutiones Congregationis suæ*, ab Eugenio 3. approbatas. Fertur & scripto reliquisse *volumen epistolarum, & insignes quasdam conciones.* Verum, vtrum hæc iam perierint, an in Anglia adhuc alibi lateant, incertum; Scriptoribus Britanniæ hunc etiam adnumerat Balæus.

Gilbertus Brunus (alijs Richardus) Abbas vltimus (ante fidei Catholicæ in Scotiâ suppressionem) Cœnobij *Dulci cordis* seu, *Seuthaert*, in diœcesi Candidæ Casæ; Vir natalium splendore, ac varia doctrina spectabilis. Scripsit, *Collectiones historicas Regni Scotiæ.* Citantur à Demstero, lib. 17. n. 37.

Gilbertus de Hoylandia, in Anglia natus, & ibidem in virtutis & bonarum litterarũ studiis ab ætate tenera educatus, ita vt pietas, boni mores, & eruditio, in eo simul cum ætate coalescerent. Successu temporis, sub mellifluo Patre Bernardo (vt scribit Pitsæus) factus Cisterciensis ordinis monachus, sanctissimum Abbatem tanto cum feruore imitatus est, vt simillimus ei euaserit penè in omnibus. Quorum intuitu, electus fuit Abbas cœnobii Svvinshetensis in Hoylandia, insula diœcesis Lincolniensis; vbi suos verbo exemplo, & scripto studiosè pauit, & ad perfectionem promouit. Erat autem theologus summus, & (referente Trithemio) in diuinis scripturis studiosus, & egregiè doctus; cælestiumque rerum contemplationi impensè deditus. Passionum suarum motus tanta animi moderatione repressit, vt non tam prauas inclinationes restringere, quam nullas prorsus habere videretur. Natura mitis, affabilis, sermone comptus, ingenio subtilis, eloquio clarus & facilis, in omni actione dulcis & humilis, adeo vt Sanctus Pater Bernardus iam mortuus, in huius doctrina, & moribus, quodammodò videretur viuere. Vnde (teste Sixto Senensi) scripsit ad imitationem sancti Bernardi, *In 3. Cantici Canticorum capita*, 48. *sermones elegantissimos*; indè incipiens, vbi diuus Bernardus scribendi simul & viuendi finem fecit; hoc est, ab eo loco 3. capitis, *In lectulo meo quæsiui, &c.* vsque ad illum locum 5. capitis, *Dilectus meus candidus &c.* Quo cum peruenisset, & ipse in viuis esse desiit. Solet hoc opus vnà cum operibus Diui Bernardi, nomine tantum Authoris apposito, coniungi: quod etiam ipsius Sancti stylum & spiritum ita sapit, vt si sine nomine opus reliquisset, ipsum sibi quodammodo Bernardi nomen imposuisset, omnesque Bernardum authorem iudicassent, vt scribit quidem Pitsæus, & ex eo Henriquez. At Henricus Gandauensis, libro de scriptoribus, agens de sermonibus his Gilberti, subtiles quidem, & valdè spirituales fatetur, sed reuera sancti Bernardi eloquentiæ & sensibus impares.

Scripsit autem Gilbertus & alia plura, quæ hoc ordine, ex Bostono Buriensi, recenset Pitsæus, & ex hoc Henriquez in Phœnice, & Manriquez tomo 2. Annalium, an. 1166. cap. 4.

In Cantica Canticorum, sermones 48. Inc. *Varij sunt amantium affectus &c.*

In psalterium, librum vnum.

In Matthæum, lib. 1.

Super epistolas sancti Pauli, libros quatuordecim. Extant hi M. S. in Camberona.

In Apocalypsim sancti Ioannis, lib. 1.

Theologicarum sententiarum, lib. 1.

De statu Animæ, lib. 1.

De vita sancti Bernardi, lib. 1.

Homi-

Homiliarum diuersarum, lib. 1.

Epistolarum, librum vnum, M.S. Oxoniæ, in Bibliothecâ publicâ.

De casu diaboli, librum vnum. Et quedam alia. Hæc Authores citati. Præter quæ extat etiam in Camberona, eiusdem Gilberti.

Scriptum super Lamentationes Hieremiæ prophetæ. Edita etiam nuper (anno 1641.) Coloniæ sunt, industriâ Iacobi Merloni, S.Theol. Licentiati ex Bibliothecâ Oxoniensi eruta, sequentia huius Gilberti opuscula:

Epistolæ 3. 1. Ad Fratrem Richardum: 2. Ad Adam: 3. Ad Guillielmum.

Dissertationes asceticæ 6. quarum 4. priores sunt de meditatione & contemplatione rerum cælestium, ac diuinarum. 5. de illo loco Apostoli: Omne datum optimum, & omne donum perfectum, &c. 6. de mysterijs redemptionis humanæ. Denique,

Sermo de semine Verbi Dei.

Reperiuntur hæc omnia ad calcem operum S. Bernardi, ab ipso Merlono recognitorum, & Coloniæ editorum anno citato.

Claruit Gilbertus anno 1160. & posteà. Ioannes Bunderius, in indice, scribit se reperisse Camberonæ & Villarij, *Scriptum* huius Authoris, in *Canonem*, sed credo legendum, *in Cantica*. Cæterum, Demsterus suprà, asserit hunc fuisse natione Scotum, & monachum Melrosensem, ac posteà Abbatem Hoylandiæ, siue Holyilande, id est, Insulæ sacræ, quod est Cœnobium ditionis Scoticæ, in Diœcesi S.Andreæ, in quo nunquam fuerint alij Abbates nisi Scoti.num. 617. fides penes illum sit.

Gilbertus Hunt (teste Demstero, in historiâ, n. 651.) Diui Bernardi habitum induit Lutetiæ, & rarâ ingenij famâ claruit. Scripsit

Lecturas Theologicas. lib. 1.

Replicationes Scholasticas. lib. 1.

Scribebat anno 1363.

Gilbertus, cognomento Magnus, vel, *Theologus*, ex Vrsi campi Abbate, anno 1163. electus Abbas Archicœnobij Cisterciensis; vir (vt loquitur Pitsæus de scriptoribus Angliæ, ætate 13 ad annum 1280.) acuti ingenij, solidi iudicij, tenacis memoriæ. Quibus fretus adminiculis, ad eminentem planè peruenit eruditionem. Poëta non contemnendus, rhetor eloquio clarus, stylo nitidus, sermone grauis, philosophus etiam subtilis & sublimis, historicus insignis, in concionibus celebris, in quibus Sanctorum Gregorii Magni, & Bernardi, fuit diligens imitator. Theologus denique profundus, & solidus. Postquam Anglicas Academias frequentasset, Gallicas etiam inuisit, maximè Parisiensem & Tholosanam, bibliothecas celebriores, vbique perlustrauit, selectiores omnium scientiarum libros euoluit, notatu digniora diligenter vndequaque, tanquam flores decerpsit, in ordinem redegit, & ex iis plurima ad posteritatis vtilitatem edidit. Nimirum, vt referunt Pitsæus, Henriquez, & Manriquez, tom. 2. Annal. ad annum 1166. cap. 5.

Commentarios in diuersos sacræ scripturæ textus, libros plures.

In psalterium, librum vnum. Christus est integer caput cum membris, &c. Hoc opus refert etiam Drandius, in bibliotheca vniuersali.

Distinctiones theologicas, lib. 1. Duplex est absentia detestabilis, &c.

Doctorum collectanea, lib. 1.

Concionum, lib. vnum. Rom. 15. Quæcunque scripta sunt. &c. Concionibus his indices addidit Alanus de Lynna.

Pro Christianis contra Gentiles, versu elegiaco, lib. vnum.

Quid sit Monachus, lib. vnum.

Conciones in oraculum Cyrilli, Carmelitæ Græci, lib. 1. Cum ad monasterium Cluniacense, &c.

Epistolarum ad diuersos, lib. 1.

Historiam

Historiam quandam, Scropum imitatus, lib.1. Hæc Authores citati.

Guillielmus Eisegrinus lib. de scriptoribus orthodoxis, de hoc Gilberto agens, asserit illum scripsisse, *Sermones penè sine numero.* Iacobus Philippus Bergomensis quoque, in suo Supplemento supplementi chronicorum lib.12. refert hunc Gilbertum etiam scripsisse, *In epistolas Pauli, libros 13.* (Vereor tamen ne hoc sit idem opus, quod supra adscripsimus Gilberto de Hoylandia.) Et *in Boetium de Trinitate, lib. vnum*: qui sic incipit: Libros quæstionum, &c.

Obijt Gilbertus anno (secundum Manriquez suprà) 1166. aut (secundum Montalbum, & Iongelinum in notitiâ) 1168. Kal. Nouembris post obitum Sanctis ordinis nostri adscriptus, à Ioanne de Zireyo, Cistercij Abbate clarissimo, & missali antiquo ordinis. Hinc corrigendi Eisegrenius & Pitsæus, scribentes illum floruisse anno 1280. Corrigendi etiam Miræus lib.5. Orig. monast. cap.15. & Henriquez in Menologio 17. Octobris; ille dum diem obitus illius notat 1. Nouembris, hic verò die citato. Vide Manriquez suprà, vbi plures detegit errores Chrysostomi Henriquez, circà hunc Gilbertum Magnum.

Gislebertus, Aureæ-vallis Abbas, Ord. Cisterc. Scripsit carmine *pium aliquod opusculum, de Sanctissimâ Eucharistiâ*, quod extat penes Philippum Labbeum. vid. illum, parte 1. Coronidis Poëticæ, in nouâ Bibliothecâ M.SS. Librorum, vbi dicit se hæc habuisse ex Indice Petauiano. Attamen, quià in serie Abbatum Aureæ-vallensium (quam nobis exhibet Iongelinus in notitijs Abbatiarum Ordinis Cisterc.) nemo habetur istius nominis, Gisleberti, oportet vel hîc, vel in serie illâ mendum irrepsisse.

Gondissaluus, de Serda, Hispanus, eques militiæ Cisterciensis de Alcantarâ. Philippo II. Regi Catholico à secretis, edidit anno 1583. *Commentarium in epistolam Sancti Pauli ad Romanos.* Relatio eximij Domini Claudij Chalemot, Abbatis de Columbâ.

GODEFRIDVS, Vide *Gaufridus.*

GONDISALVVS, Vide *Gundisaluus.*

Gossuinus Bossutus, monachus & cantor Villariensis in Brabantiâ, *scripsit libris 2. Vitam B. Arnulphi Cornibaultij, Conuersi Villariensis, cum Lectionibus & notis de eodem.* Extat M.S. Villarij, plenior & distinctior ea quam Atrebati Franciscus Moschus edi curauit. Habeo & ego eãdem penes me, descriptam ad antiquum exemplar Ebirbacense. Edidit hanc eandem vitam Gallicè à se redditam Ioannes d'Assigny, tomo 2. personarum illustrium ordinis Cisterc. Huic Gosuino eximius D. Chalemot adtribuit etiam *Vitam B. Abundi monachi*, quæ in Villario asseruatur.

Gossuinus Claræuallensis monachus, vir sanctitate & doctrina celebris, scripsit *Vitam Beatæ Hemelinæ Virginis*, cuius reliquiæ quiescunt in Vurlencuriâ (alibi Boulencuriâ) monasterio ordinis nostri in Campania, diœcesis Trecensis. Fuit Author coæuus Virgini. Vita hæc habetur M.S. in Clarâvalle, eiusque compendium in Menologio Henriquez, 27. Octobris.

Vitam etiam beatæ Ascelinæ, monialis, neptis Sancti Patris Bernardi: teste Nicolao Camuzæo, in miscellaneis historicis Ecclesiæ Trecensis, apud Hugonem Menardum in obseruationibus ad Martyrologium Benedictinum, 23. Augusti. Extat impressa in Lilijs Cistercij, lib. 2. dist. 3. Colitur verò beata Ascelina 18. Maij vid. & post finem Menologij inter omissa, fol. 165.

Scripsit insuper *Librum miraculorum sui temporis* ad Gerardum Abbatem Ebirbacensem, vt habetur in antiquo libro M.S. Claræuallis, his verbis: Testimonium Domini Gossuini monachi quondam Claræuallis, qui apud Cheminiũ diu

diu mansit, & in Vutlencuriâ requieuit: hic ergo scripsit libellum quendam miraculorum, ad Abbatem Ebirbaci, Gerardum, &c. Vide apparatum ad Menologium, cap. 3. Fuit verò hic Gerardus 1. Prior Claræuallis, ac deindè 3. Abbas monasterij Ebirbacensis, in Diœcesi Moguntinâ, vbi obijt anno 1201. & sacræ eius reliquiæ adhuc requiescunt, vt fusius (contra Henriquez) ostendi in fundatione Ebirbacensi, quàm à me concinnatam, nuper publicari curaui per Iongelinum, in notitia Abbatiarum; & latius adhuc in historia eiusdem monasterij, quam etiam conscripsi, dum Ebirbaci degerem, & M.S. apud me asseruo.

Grandisilua monachus anonymus, vir multæ eruditionis elegans volumen conscripsit, *De vitâ & miraculis Beati Bertrandi*, Abbatis illius cœnobij sanctissimi.

Philippus Seguinus in bibliotheca sua M.S. littera M. numero 17. Vide etiam Molanum in appendice ad Martyrologium Vsuardi. littera B. vbi testatur quoque extare collectas, & antiphonas, de hoc Beato viro Bertrando editas. Id quod etiam refert Henriquez in Menologio, 20. Nouembris.

Gregorius Bridlingtonus, ab oppido Northumbriæ, vbi educatus fuit, nomen accepit, eo scilicet tempore, quo Northumbria Regi Scotiæ parebat; in cœnobio *Glenluce*, Monachum Cistercienſem induit, & maximâ sanctitatis & eruditionis famâ floruit; sed quia altus est in Northumbriâ, illum ciuem suum faciunt Angli, scripsit,

Super Cantica Canticorum, *lib.* 1.
Super varios Sacræ Scripturæ textus, *libros* 30.
Sermones. *lib.* 1.
De Arte Musices, *libros*. 3.
Lecturas publicas. *lib.* 1.

Floruit anno 1217. Ita Demsterus suprà.

S. Gualterus, Dauidis Regis Scotorum filius, contempto Episcopatu Sancti Andreæ, Monachum induit, & Abbas Melrosensis factus, in tanta vixit sanctitate, vt Sanctorum albo adscriptus sit. Colitur die 3. Maij. Molanus in addit. ad Vsuardum. Arnoldus Wion. lib. 3. & lib. 60. cap. 24. ex Leslæo. Scripsit:

Commentarium in Regulam ecclesiasticam.

Floruit anno 1170. Ita Demsterus, n. 568.

Gualterus Daniel, Sancti Ailredi Rhieuallensis Abbatis Diaconus, & optimus discipulus, qui ijsdem virtutis & eruditionis vestigijs, quibus insistere vidit magistrum, ipse etiam firmiter insistere, sancta quadam æmulatione, nitebatur; vndè ad summum in vtroque genere perfectionis gradum peruenit. In scriptis suis (teste Pitsæo) nonnunquam easdem tractauit materias, quas magister suus Ailredus tractauerat. Scripsit plurima, ex quibus sequentia (ex Lelando, & Ioanne Pitsæo) referunt Henriquez in Phœnice, & Manriquez tomo 2. Annalium Cisterc. ad annum 1171. cap. 5.

De conceptione B. Mariæ Virginis, libros duos, contra Nicolaum monachum Benedictinum, olim Sancto Bernardo à secretis, tunc autem apostatam.

De virginitate eiusdem B. Virginis: Crebrius me Gualterum prouocas &c.

De verâ amicitia, *libros* 5. Quasi in biuio iam dudum spatiatur, &c.

De onere iumentorum Austri, libros duos. Animaduertens in Isaiæ capite 30. &c.

De honesta virginis formâ, *librum* 1.

Homiliarum 100. *lib.* 1. Aduentus Domini nostri in carnem &c.

Epistolarum librum vnum: Mandasti mihi vt hoc supra vires, &c.

Centum sententiarum, *lib.* 1.

Super Missus est, *librum vnum*.

In aliquot loca sacræ scripturæ, *librum* 1.

Obijt in Rhieualle, circa annum 1170. Pitsæus

sæus (ex Lelando) asserit, omnia hæc scripta olim curiosissimè fuisse asseruata in Rhiëvalle, tanquam immortalitate dignissima.

Gualterus Morganius, apud Demetas in australi Wallia natus, artium liberalium, & philosophiæ scientijs egregiè instructus, habitum Cisterciensem induit in Morganiensi cœnobio, vbi tantum in virtutibus profecit, vt ad Abbatialem dignitatem electus fuerit. A Lelando, & Ioanne Frumentario Abbate Sancti Albani, libro de viris illustribus, impensè laudatur, quod naturas rerum inuestigando, versibus eleganti-bus scripserit:

De animalibus terrestribus, lib. 1.

De volucribus, lib. 1.

Carminum lib. 1. *de varijs rebus.* Et alia plura, tam prosa, quam versu.

Claruit circa annum Domini 1219. Vide Pitsæum, de scriptoribus Angliæ, & Henriquez in Phœnice.

Habentur autem in bibliotheca M.S. monasterij nostri Dunensis (classe 1. num. 114.) insignes quædam *Concordantiæ in Diuum Bernardum super Cantica, cuiusdam Abbatis Morganensis*; verum, vtrum sint huius Gualteri, an alterius eiusdem cœnobij Abbatis non constat.

Gualterus de Ocbies, S. Theol. Doctor (imò Doctorum splendor, vt verbis chronici Cisterciensis vtar) Abbas primum Longipontis, ac postmodum Cisterciensis, & totius ordinis Generalis; scripsit *Vitam beati Ioannis de Monte mirabili*, cui ipsemet in Longoponte habitum tradiderat ordinis. Asseruatur M.S. in Longoponte, ex qua plura fragmenta recitat Henriquez in Menologio, 29. Septembris: vti etiam Hugo Menardus in obseruationibus ad Martyrologiũ Benedictinum, eodem die. Benedictus autem Gononus Celestinus, in opere suo de vitis Patrum occidentis, Lugduni anno 1625. impresso, lib. 4. refert compendium vitæ huius Beati Ioannis de Monte mirabili, aitque, *vitam integram asseruari manu scriptam apud Calestinos Suessionenses, ducentorum foliorum.* Porrò Gualterus hic ob vitæ sanctitatem, & doctrinę excellentiam, tantæ fuit apud omnes æstimationis, vt etiam Honorius III. Summus Pontifex (referente Angelo Manriquez, in serie Abbatum Cisterciensiũ) eidem dedicauerit opus sermonum suorum, petieritque ab illo monachos Cistercienses, in Apostolos Liuoniæ, & Prussiæ. Floruit an. 1222. Quo anno tanquam Legatus Pontificius, missus fuit ad Philippum Regem Franciæ componendum cum Episcopo Parisiensi. Manriquez suprà.

Guarnerius, seu Garnerius, ex 1. Abbate Fonteneti, Lingonensis Episcopus, scribitur ab Eximio D. Claudio Chalemot, scripsisse librum quendam miraculorum Sancti Bernardi. Verum re attentius examinatâ, reperio hunc esse eundem cum Gaufrido Lingonensi, de quo suprà. Quocircà vide quæ ibi diximus.

S. Guerricus, Tornacensis primum scholæ moderator, dein Cathedralis ibidem Ecclesiæ B. Mariæ Canonicus; posteà Sancti Bernardi in Claràvalle discipulus, ac demum Abbas Igniacensis cœnobij in Diœcesi Rhemensi; vir (vt rectè scribit Trithemius, ingenio facilis, eloquio dulcis, & ad persuadendum idoneus. Scripsit

Sermones de tempore, & de Sanctis, verè mellitos & aureos, editos Parisijs, annis 1539. & 1547. semel Latinè, & semel in linguam Gallicam traductos à Ioanne Gagneio viro doctissimo, Fráncisci primi Galliarum Regis Ecclesiaste. Prodierunt & Antuerpiæ anno 1576. opera Ioannis Costerij. Eosdem iterum anno 1630. imprimi curauit Lugduni Frater Maurus Raynaldus Benedictinus. Denique nuper quoque prodierunt & Coloniæ ad calcem operum Sancti Bernardi, opera Iacobi Merloni ibidem editorum.

Reperiuntur etiam M.S. in Abbatiâ Lætiensi, Ord. Sancti Benedicti, & Tornaci ad Sanctum Martinum, eiusdem ord.

Scripsit & *Postillas super psalterium*, quæ manuscriptæ leguntur etiam Tornaci in sancto Martino, in 2. tomis. tomi 1. initium est: *Cum transcendissent qui portabant arcam &c.* tomi 2. initium est: *Exultate Deo, Verbum istud est Dauid &c.*

Tractatum insuper *de languore animæ amantis*: M.S. ibidem, & etiam Brugis in cœnobio nostro de Dunis.

Extant in bibliotheca Tigurina *Commentaria in Euangelium S. Matthæi*, sub nomine Guerrici, quem Gesnerus (in bibliotheca) putat esse hunc Guerricum. Id quod satis videtur esse probabile; quia etiam Philippus Seguinus in Bibliotheca sua M.S. refert hunc, inter alia, scripsisse *Commentaria in Matthæum.*

Addit ipse Seguinus, asseruari pariter in magno codice membranaceo bibliothecæ Caroli loci eiusdem Guerrici.

Commentaria in Diui Pauli epistolas. Initium est: *Obuians nos ab ardore, &c. dicitur extare Villarij. Bunderio indice.*

Item, *in epistolas canonicas.*

Angelus Manriquez tomo 2. Annalium Cisterc. ad annum 1163. huic etiam Guerrico adscribit *Sermonem de purificatione B. Mariæ Virginis*, qui sub nomine S. Bernardi, in operibus eiusdem excusus legitur.

Denique, Trithemius eundem scripsisse dicit, *Epistolas plures*, & *alia*, quæ ad notitiam eius non peruenerunt. Id quod totidem etiam verbis asserit Seguinus, suprà. Floruit Guerricus circa annum 1150. obijtque circa annum 1157. vt benè ostendit Manriquez, ad eundem annum 1157. cap. 2. Cui etiam consonat Valerius Andreas, in bibliotheca Belgica. Hinc corrigendi Trithemius & Sixtus Senensis; quorum hic scribit illum claruisse anno 1300. Vide & Menologium Cisterciense 19. Augusti; & Valerium Andream, suprà. Cæterum, Guerricum hunc Sanctis adnumerant, Ioannes Abbas Cistercij, missale antiquum eiusdem ordinis, Martyrologium monasticum in appendice 1. littera G. 19. Augusti; Arnoldus de Raysse in Auctario ad Molanum, eadem die; Miræus in origin. monast. cap. 15. lib. 5. & alij plures, apud Henriquez supra.

Guibertus, Abbas de Laneyo, Ordinis Cisterciensis in Picardia, scripsit

Historiam quandam sui temporis. Item

Conciones plures. Florebat anno 1261. Relatio reuerendi & eximij Domini Abbatis de Columba, suprà sæpius citati.

Guibertus, vide, *VVibertus.*

Guichardus 2. Abbas Pontigniacensis, & postmodum Lugdunensis Archiepiscopus, scribitur ab Angelo Manriquez (in serie Abbatum Pontigniacensium, subiuncta tomo 1. Annalium Cisterc.) meritis gloriosus, & *Scriptis clarus*, quæ à Seguino recensentur. Attamen, bibliothecam scriptorum Cisterciensium M.S. Seguini (ab ipsomet Manriquez mihi transmissam) consulens, nulla scripta huius Guichardi reperi; quin imò è contra, Seguinus expressè fatetur, se non reperisse, quod aliquibus scriptis nomen suum posteritatis commendauerit. Producam ipsissima illius verba, ex libro citato, littera G. nu. 18. Vbi agens de hoc Guichardo, & S. Petro Archiepiscopo Tharentasiæ, hæc habet: *Hos sanctissimos viros, vti contemporaneos, hic recensere volui, quia fuerant ambo moribus compositi, & doctrina præstantissimi; sed quod illi scriptis nomina sua posteritati commendarint, necdum deprehendi*; hæc Seguinus. Hoc ipsum nuper etiam cõfirmauit Reuerendissimus Matthæus Pontigniacensis Abbas

modernus, S.Theol. Doctor eximius, litteris à me consultus. En verba ipsius, in epistola ad me data Parisijs, 2. Februarij, anno 1648. *De Guichardo autem sic existimes; licet illum virum insignem, de litteris & ordine nostro optimè meritum facilè crediderimus, nos nihil certi, aut scripti reperisse.* Hinc non video, quo fundamento Reuerendissimus Manriquez (in alijs tam exactus) hunc Guichardum vocet *Scriptis clarum.*

Guido de Arbona, Monachus Cisterciensis Italus, scripsit.

Sermones insignes de tempore, & de Sanctis, qui in Italia extant.

Syluester Maurolycius, lib. 2. Maris oceani, De quo libro vide plura infrà, suo loco, verbo *Syluester.*

Guidò Cormatius, siue Cornatius, ex religioso Claræuallensi, & S. Theol. Professore, Abbas Vallis Claræ, à Philippo Seguino, cum insigni elogio, scriptoribus ordinis adcensetur, propter *Constitutiones quasdam, ab illo pro reformatione ordinis concinnatas*, quæ postmodum à pluribus ordinis religiosis auidè acceptatæ fuerunt. Credo esse constitutiones illas, quas modo obseruat religiosi strictioris obseruantiæ per Gallias, qui plura satis celebria occupant monasteria.

Florebat Guido anno 1590. quo bibliothecam suam scribebat Seguinus.

Guidò de Parè, natione Gallus, ex Abbate 55. Archi-cœnobij Cisterciensis, Archiepiscopus Rhemensis 55. Hinc anno Domini 1190. à Clemente III. Cardinalis S. Mariæ trans Tyberim; deinde à Cælestino 3. Presbyter Cardinalis S. Calixti: ac demum ab Innocentio III. Episcopus Cardinalis Prænestinus, renuntiari meruit.

Scripsit adhuc Cistercij residens, *Constitutiones & Leges nouas pro militibus Calatrauæ*, quas ijsdem obseruandas dedit, anno 1187. Habentur impressæ apud Henriquez, libro priuilegiorum; editionis Antuerp. an. 1630. Vide etiam Aubertum Miræum in Auctario, de scriptoribus ecclesiasticis. Vir fuit ingenio & doctrina insignis, verbi Dei præco zelosus & varijs pontificijs legationibus celebris. Coloniam missus, vt nomine Pontificis, electionem Otthonis Imperatoris confirmaret, optimam ibidem consuetudinem induxit, & præcepto firmauit, vt ad eleuationem hostiæ, omnis populus in ecclesia constitutus, ad sonitum campanulæ (quam hàc de causa altari affigi iussit) veniam peteret, sicque vsque ad Calicis benedictionem prostratus iaceret. Ordinauit etiam, vt quoties venerabile altaris Sacramentum, ad infirmum deferendum esset, quispiam sacerdotem præcedens, per nolam illud proderet, sicque omnis populus, tam in plateis, quam in domibus, Christum transeuntem adoraret. Iongelinus in purpura Sancti Bernardi, ex Cæsareo Heisterbacensi, miraculorum libro 9. cap. 71. & Arnoldo Wion lib. 5. Ligni vitæ. Vghellus, tom. 1. Italiæ Sacræ inter Episc. Prænest. fol. 230. & 305.

Leodium quoque veniens, *in canonicorum, & sacerdotum luxum ac auaritiam, multa decreta salutaria condidit, & in lucem emisit.* Quæ Fredericus Imperator æmulatus, quibusdam etiam adiectis, in Namurcensi collegio Sanctorum Petri & Albani, obseruari præcepit: quod collegium ipse anteà dotauerat, vt scribit Seguinus suprà, ex collectionibus historicis Guillielmi Cantin, canonici regularis Sancti Victoris Parisiensis. Obijt Gandaui in Belgio, anno 1220. 13. Kal. Iunij, ibidemque primum sepultus fuit in ecclesiâ S. Petri, sed posteà Cistercium translatus, vbi in choro tumulus eius visitur, sub hoc Epitaphio:

Nobis donatus de Culmine Pontificatus
Rhemis translatus, iacet hic vir Guido beatus.

In M. S. autem monasterij nostri Dunensis, de hoc eodem Guidone, alij duo leguntur versus, nimirum,

Ornant Guidonem doctrinæ dogmata sacra,

Cui

Cui Romana dedit rubeum post curia sertum.

Cæterum Ioannes Bunderius in Indice suo, n.333. refert extare Parisijs apud Victorinos, huius Guidonis, *Summam Theologiæ*, cuius initium est, *contestare populum, ne fortè, &c.* Item, Librum *alium quæstionum Theologicarum.*

Guido, Claravallensis Abbas, ex operibus S. Bernardi, compilauit opusculum, in Euangelium, Ecce nos reliquimus omnia, &c. ad Henricum Cardinalem S.R.E. quod sic incipit: Vt tibi, dilectissime præsentes exhortationis schedulas &c. Vidi illud anno 1651. in Bibliothecâ M. S. Collegij Societatis Iesu Louanij est libellus in 8. Vidi etiam ibidem scriptum insigne.

Guidonis Claravallensis (eiusdem, an alterius monachi Claravallensis, incertum) *In 4. um Sententiarum*, quod sic incipit: duo ubera tua, sicut duo hinnuli caprarum, &c. Est liber in magno quarto. Vtrum autem scripserit in omnes quatuor libros sententiarum, non constat, certum tamen est hic non haberi nisi in 4to.

Guido monachus cuiusdam Monasterij Filiationis Claravallensis, Scripsit.

Sermones de Festis totius anni, quorum initium est: Sicut dicitur ad Hæbræos 4. Solebant extare Dunis, teste Bunderio lit. G.n.33ij. Scripsit etiam

Parabolarium, cuius initum est: Suadente mihi quodam amico, &c.

Extat hoc opus adhuc in Bibliothecâ M.S. monasterij nostri Dunensis, sub titulo: *Parabolæ ad Sanctum Bernardum.* Quia nimirum Author dedicavit opus suum Sancto Bernardo (qui tunc videtur adhuc in viuis fuisse) Porrò, in Epistola dedicatoria Author expressè asserit se esse Religiosum cuiusdam monasterij filiationis Claravallensis. Et Abbatē sum vocari, Iulianum vel Iordanum (non enim potui distinguere) Opus est morale luce dignum. Scriptum in paruo 4.

Guillielmus Albæ Ripæ. vide Wilhelmus.

Guillielmus de Campellis Gallicanæ ecclesiæ ingens lumen, ex glorioso Catalaunensium Episcopo, humilis Claravallensis Monachus iuxta aliquos) scripsit imprimis, *varios philosophicos tractatus, quibus Realium doctrinam non parum illustrauit.* Deindè & *insignem epistolam ad Innocentium II. Pontificem, condemnatoriam errorum Petri Abaillardi, quondam discipuli sui*: teste Seguino in bibliotheca sua, littera G. numero 2. Fuerat hic aliquando Archidiaconus Pariensis, ibidemque cathedræ philosophicæ moderator, cum eximio famæ & doctrinæ splendore; in tantum, vt etiam Petrus Abaillardus eius disciplinæ libens subiecerit. Postmodum tamen, mundi fugiens strepitum, habitum suscepit Canonicorum regularium S. Augustini, fundauitque monasterium S. Victoris iuxta Parisios; vndè, an. 1112. (aut secundum alios 1113.) ad cathedram Episcopalem ecclesiæ Cathalaunensis euectus, eandem non minus vitæ sanctitate, quam doctrina, egregiè decorauit. Sanctum Bernardum Claræ vallis Abbatem benedixit, vt legitur in vita eiusdem S. Patris, lib. 1. cap. 7. à quo tempore, Cisterciensi ordini mirè cœpit esse addictus, adeo vt anno 1117. eidem in diœcesi sua celeberrimum extruxerit cœnobium *Trium fontium* primam Claræ vallis filiam. Quinimò, an. 1119. episcopatu se abdicans, eiusdem ordinis habitum, sub beatissimi Bernardi magisterio, in Claravalle assumpsit, in quo, non sine magnâ sanctitatis opinione, migrauit ad Christum, vt scribunt Seguinus suprà (& iterum lib. de his qui pontificia dignitate se abdicarunt, vt monasticam vitam profiterentur, cap. 5.) rerum ecclesiasticarum per Gallias scriptor exactissimus, Henriquez in Menologio pridiè nonas Iulias: & Iongelinus in Purpurâ Sancti Bernardi. Qui duo posteriores, ipsa Seguini proferunt verba, huius tenoris: *Guillielmus de Campellis, vir*

sanctus & doctus, ætate grauis, laboribus multis fatigatus, atq; omnibus corporis viribus fermè exhaustus, Cathalaunensi episcopatu abdicato, & prædicationis iam suscepta ministerio derelicto, quietis & contemplationis ergo, apud Claravallis cœnobium, insignem religionis habitum suscepit, in quo, non sine magna sanctitatis opinione migrauit ad Christum: Hæc Seguinus, & post illum Henriquez, & Iongelinus suprà. Scio quidem, Reuerendissimum Angelum Manriquez, nunc Pacis Augustæ Episcopum, Tom. 1. Annal. ad annum 1119. cap. 1. n. 6. contrariæ esse opinionis, & transitum hunc ad Claramvallem reijcere; quia (vt ait) nec Clarævallis, nec ecclesiæ Cathalaunensis monumenta, sed nec alius quispiam author, ex ijs quos ipse vidit, eiusdem transitus mentionem faciunt. Nihilominus doctissimus Caramuel, in Bernardo suo triumphante, numero 36. folio mihi 40. argumento huic purè negatiuo nihil deferens, Seguino & Henriquez adhæret, ab ijs non recessurus, donec quispiam clariora in contrarium adducat. Audi ipsius verba, loco iam citato *Ego in re omninò obscurâ, quia non habeo rationem ob quam à Chrysostomo Henriquez discedam Guillielmum in Menologio Cisterciensi pridiè nonas Iulias interlegens, quo vsque clariora occurrant veritatis indicia, Claravallensem monachum existimabo, & dicam eum anno 1112. vt tenet citatus Manriquez, aut fortè sequenti, vt alij existimant, ad Cathalaunensem episcopatum promotū, sedisse annis 7. & tunc resignata illa sublimi dignitate, monachum induisse in Claravallensi monasterio, sub annū* 1119. Hæc Caramuel, qui ibidem n. 33. affirmat quoque hunc Guillielmum, cum Parisijs philosophiam profiteretur, ad mentem Realium, talis fuisse æstimationis, vt vnus sufficiens esset, qui Vniuersitatem illam aliàs illustrem, suo magisterio & doctrinâ famosissimam redderet. Porrò clarissimi huius viri authoritate & ratione motus venerabilem quoque Guillielmum Campellensem, cum Seguino scriptoribus ordinis nostri adcensui: maximè quod etiam Andreas du Sauslay, in supplemento ad Martyrologium Gallicanum 25. Ianuarij, testetur illum in Claravalle sepultum. Cæterum Seguinus in bibliothecâ suprà, asserit illum *plura alia* scripsisse, quæ tamen ad notitiam eius non deuenerunt.

Guillielmus Cistercij Antistes, eius nominis 5. religione plenus, & doctrina venerandus, scripsit (referente Philippo Seguino in bibliotheca, littera G. n. 9.) in gratiam scholasticorum Cistercienfium, in collegio S. Bernardi Parisijs operam litteris nauantium, *Librum quendam in 3. partes diuisum. In quarum 1. agit de septena Laudis decantatione Deo singulis diebus exoluenda. In 2. decernit de Authoritate & officio Prouisoris, Magistri Regentis, Superioris Magistri studentium, &c. In 3. tractat de Magistris in theologia, de Baccalaureis, & studiosa iuuentute, optimis artibus, maximisque disciplinis instituenda, & excolenda.* Hæc author citatus, qui subdit, multa in illo libro contineri falsitaria, quæ prudens silentio prærerit. Obijt Guillielmus anno 1520. secundùm Seguinum; aut 1521. secundum Reuerendissimum Manriquez, in serie Abbatum Cisterciensium sæpius citatâ, de quo hi leguntur versus:

Ornant Guillielmum doctrina dogmata sacra,
Virtute ornatum genuit Vasconia tellus.

Manriquez quoque scribit Librum eius memoratum, eruditione esse conspicuum.

Guillielmus Claravallis monachus, scripsit *In epistolam ad Romanos, Libros septem*, qui manuscripti extant in Abbatiâ Lætiensi, ordinis Sancti Benedicti in Belgio. Ant. Sanderus in catalogo Bibliothecæ Lætiensis, littera G.

Guillielmus Frigidi montis, in Diœcesi Beluacensi monachus, pius, & religione clarus, Helinandi historici socius, scripsit (secundum aliquot)

quot)insignem Libellum, cui titulus est, *De reparatione lapsi*, ad germanum suum Galterum Clericum, qui ordinem Cisterciensem, deindè Præmonstratensem amplexus, nondum emissis solemnibus religionis votis, ad sæculum redierat, & vxorem duxerat. Hæc Seguinus in bibliotheca; qui tamen benè subiungit, Vincentium Beluacensem lib. 29. Speculi historialis, cap. 108. asserere libellum hunc esse scriptum ab ipso Helinando, sub personâ ipsius Guillielmi. Vixit anno salutis 1200.

Guillielmus cognomento, *de Guillavilla*, natione Parisiensis, monachus & Prior Chalisij, seu Caroli loci, vir elegantis ingenij, & eruditionis, edidit versibus Gallicis librum insignem, quem inscripsit: *Le Romant des trois pelerinages. Le premier est, de l'homme durant qu' il est en vie, Le second, de l'ame separée du corps: & le Tiers, de nostre Seigneur Iesus Christ.* Impressus est Parisijs in 4°. & in folio, anno 1511. per Antonium Verardi recognitus anteà & plurimis in locis emendatus per quendam *Petrum Virgin*, Religiosum Claræuallensem, virum eruditum. Vide bibliothecas Gallicas, Antonij du Verdier, & Francisci de la Croix. Exemplaria manuscripta huius libri asseruantur in bibliotheca Sancti Victoris, Parisijs; & Caroli loco. Librum hunc etiam in prosam transtulit, & edidit quidam Andegauensis clericus. Ioannes Gallopes ad petitionem Isabellæ de Laual Reginæ Hierosolymorum, & Ciciliæ, Comitissæ Prouinciæ, &c. fuit autem 1. impressus post recognitionem, Lugduni per Matthæum Husz. anno 1499. Extat hic liber in Bibliothecâ Ducum Burgundiæ, Bruxellis in tribus aut quatuor exemplaribus (quorum aliqua illustrata sunt raris imaginibus) sub hoc titulo: *Le Pelerin de vie humaine.* Hic est Guillielmus Caroli loci, cuius meminit Labbeus, & alij. Cæterum Philippus Seguinus eiusdem Cœnobij de Caroli loco quondam Prior, in Bibliothecâ suâ refert, præter memoratum librum, reperiri adhuc in ipso Caroli loco, huius Authoris opuscula sequentia:

Libellum quemdam precationum, editum Latinè & Gallicè.

Libellum alium piarum meditationum. Sermones & orationes plures.

Libellum Dialogorum & colloquiorum familiarium. & *Epistolas varias.*

Florebat Author anno Domini, 1330.

Guillielmus Kethus, vernaculè, Keith, Abbas de *Killes*, in Murauia, egregius concionator, eloquens Rhetor, Poeta ingeniosus, multa versu & prosa scripsit. In his Index loci memorat, *Quadragesimale libr. Hymnus de Sanctis, lib.* 1. Claruit anno 1350. Demstesus in Historia Gentis Scotorum, n. 779.

Guillielmus Parisiensis Episcopus, eius nominis 2. *qui obijt in Pontigniaco, suscepto habitu ord. nostri (vt etiam scribunt Iongelinus in purpura, & Henriquez in Menologio, 6. Maij) refertur à Seguino, scripsisse Summam theologiæ, librum de diuinis officijs, & alia plura; sed fallitur Seguinus, quia Guillielmus Parisiensis Episcopus, Author Summæ theologicæ, ac aliorum plurimorum operum, quæ refert Bellarminus, lib. de scriptoribus, non fuit Guillielmus secundus, sed tertius qui vixit anno* 1240. *& obijt* 1248. *noster autem obijt anno* 1222. *secundum ipsum Seguinum, aut saltem* 1223. *secundum Iongelinum. Vide etiam Henriquez in Menologio suprà. Hinc quia nullibi reperitur Guillielmus secundus (seu de Solygniaco) quidquam scriptorum posteritati reliquisse, nullus hic etiam Guillielmus Parisiensis scriptoribus nostris adnumerandus, vtpote, quia nullus alius Guillielmus legitur fuisse ordinis nostri, præter hunc secundum istius nominis, seu de Solygniaco.*

Guillielmus, dictus, *de Passione*, monachus Regalis

galis cœnobij de Alcobacia, in regno Lusitaniæ, circa annum 1572. concinnauit *insigne chronicon domus suæ*, quod plurimum illustrare poterit historiam Portugalliæ; hinc recentioribus historicis multum solet esse familiare. Inter alios, sæpius illud citat Reuerendissimus Manriquez, nominatim tomo 2. Annal. ad an. 1147. cap. 17.

Scripsit etiam. *De fundationibus cœnobiorum Regni Lusitaniæ.* Manriquez suprà, ad ann. 1171. cap. 8. n. 11.

Guillielmus Petroburgensis, *monachus cœnobij Ramesiensis in Angliâ; item Guillielmus alius Ramesiensis, posteà Croilandiæ Abbas à Chrysostomo Henriquez in Phœnice adnumerantur scriptoribus ordinis nostri; quorum opera proinde fusè recenset. Verum, neutrum fuisse eiusdem ordinis, clare cognoscet, qui Pitseum, aliosque Angliæ scriptores legerit: nam statim reperiet, monasteria Ramesiense, & Croilandense, fuisse semper ordinis S. Benedicti, & plurimos alios viros eruditione clarissimos produxisse, quorum scripta ab eodem Pitsæo etiam recensentur.*

Sed nec vllus reperitur antiquus catalogus cœnobiorum Ordinis Cisterciensis, in quo hæc referantur monasteria. Hinc dictorum auctorum opera hic non recenseo.

Guillielmus Remingtonus (alibi, *Rymingtonus*, & *Rymstonus*) Ordinis Cisterciensis monachus, in Angliæ cœnobio de Salley, S. Theologiæ Doctor Oxoniensis, vir ingenij subtilissimi, acerrimi iudicij, indefessæ industriæ, ac miri zeli, tanti fuit nominis in dicta Oxoniensi Academia, vt (teste etiam Balæo, infensissimo aliàs religionis catholicæ, & imprimis omnium religiosorum hoste) senatus illum communibus calculis, I. Academiæ classe donauerit, non alia ratione, quam vt Wicleffistis frenum imponeret. Id quod etiam egregiè præstitit, nequissimas illorum hæreses, & contra Ecclesiam fraudulentas argutias detegendo, & solidè refutando. Scripsit itaque

Contra VVicleffistas, librum vnum, per formam dialogi, inter catholicum, & hæreticum. Inc. *Quadraginta quinque conclusionibus meis*, &c.

Conclusionum catholicarum, librum alterum.

Ad quendam anachoretam, librum vnum.

Et plura alia, oratione tam vincta, quam soluta, quæ vel temporis iniuria perierunt, vel saltem ad notitiam nondum peruenerunt. Claruit anno 1390. Vide Pitsæum, & Balæum.

Guillielmus Rhievallensis, natione Anglus, monachus cœnobij de *Rufordia*, seu, *Rusheforda*; Ordinis Cisterciensis, insigni pietate vir, nec minori doctrina, atque omnigena (vt ferunt) eruditione; quem proindè Richardus & Ioannes Hagustaldenses, Ranulphus Higidenus, Ioannes Pitsæus, Balæus, alijque scriptores Angli, præcipuis gentis suæ scriptoribus adnumerant, non sine encomijs sanè elegantibus. Varia olim scripsit, ex quibus tamen hodie nihil reperitur, præter *magnum, & amplum chronicon Angliæ*, Ailredo Rhievallis Abbati dedicatum, cui titulum Author præfixit: *Historia Anglorum*: cuius initium est: *Reuerendissimo Patri & Domino*, &c. Vocatur autem Guilhelmus Rhievallensis, quia (vt apparet) à Beato Ailredo, ex Rhievalle cum alijs aliquot monachis missus fuit Ruffordiam, dum hoc cœnobium à Rhievallensibus primò fundatum fuit.

Vixit adhuc anno 1160. quo Anglici regni clauum tenebat Henricus II. Vide Pitsæum de scriptoribus Britanniæ, & Manriquez tomo 2. ad annum 1160. cap. 6. num. 1.

Guillielmus Sladeus, monachus Anglus, cœnobij Bucfastensis, in Comitatu Deuoniensi, ad Darentum fluuium, cuius viuidum, expeditum, & acre ingenium (vt ait Lelandus) spinosos sophistarum agros egregiè excoluit; ex qua cultura,

tura, vberem messem, & ex messe, prouentus cumulum recepit. Electus postmodum in cœnobij sui Abbatem, cum studia sua adhuc continuaret, diuersis editis libris, & sibi & cœnobio, quod antea fuerat adhuc obscurum, celebre & illustre reddidit nomen. Scripsit (referente Pitsæo)

Super Magistrum Sententiarum, libros 4.

Moralium flosculos, lib. 1.

Super vniuersalia, lib. 1.

In Physicam Aristotelis, libros 8.

Quæstiones de Anima, lib. vnum.

Quæstiones de Ethica Aristotelis, libros 10. qui sic incipiunt: *Memoratio & reminiscibilis*, &c. Hoc opus adhuc seruatur Oxonij, in collegio Magdalenensi.

Floruit circa annum Domini 1380. Vide Pitsæum de scriptoribus Britanniæ, & Posseuinum, in Apparatu sacro.

Guillielmus, Abbas Sancti Theodorici, congregationis Cluniacensis, Sancto Patri Bernardo singulari amicitiæ fœdere iunctus, vt satis colligi potest ex epistola 85. ipsius Sancti Patris, Bernardo ad superos translato, Guillielmus relicta Abbatia Sancti Theodorici, ordinem Cisterciensem professus est in Signiaco, Diœcesis Rhemensis. Vir doctrina & sanctitate celeberrimus; in tantum, vt Guillielmus Eisegreinius, libro de scriptoribus orthodoxis, illum vocet, *Virum apostolica vita, arcana & mystica diuinarum scripturarum interpretatione altum, & sublimem: & fidei propagatorem acerrimum.* Scripsit

Speculum fidei, librum vnum.

Ænigma fidei, librum vnum.

Sententiarum fidei, librum vnum.

De contemplando Deo, librum vnum.

Ad Theophilum, de natura Animæ lib. 1.

De natura & dignitate Amoris, lib. 1.

De Sacramento Altaris, lib. 1.

Meditationes pro nouitijs, lib. vnum.

Aduersus Gilleberti Porretani errores, lib. 1.

Contra Petrum Abaillardum, libros 3.

Horum librorum meminit Andreas Quercitanus, in notis ad historiam calamitatum Petri Abaillardi, asserens illos editos esse, nomine *Disputationis catholicorum Patrũ, contra dogmata Petri Abaillardi*, & dedicatos sapientissimo Præsuli, Hugoni Rothomagensi Archiepiscopo.

In epistolam ad Romanos.

In Cantica Canticorum opus imperfectum: quod tamen opus Angelus Manriquez tomo 1. Annal. ad an. 1129. cap. 3. Sancto Bernardo probabiliter adtribuendum putat. Eius initium est: *Os Sponsi, inspiratio Christi &c.* Seruabatur olim Dunis, teste Bunderio in Indice M.SS. Belgij, litt. Q. n. 85.

Huic etiam à Trithemio, Henrico Gandauensi & alijs, adtribuitur *Tractatus ad Fratres de Monte Dei, Carthusianos*, qui vulgo Sancto Bernardo adtributus, in operibus eius impressis legitur. Et certè, in Bibliothecâ cœnobij nostri de Dunis asseruatur antiquissimus liber in pergameno descriptus, in quo idem tractatus continetur sub nomine Guillielmi huius. Incepit etiam scribere vitam *Sancti Bernardi*; sed absoluto libro 1. morte præuentus, absoluere non potuit. Complectitur annos vitæ Sancti Bernardi 38. Religionis 16. Abbatiæ 13. vsque ad schisma Petri Leonis. Illum excepit Bernardus Abbas Bonæuallis. Ex operibus Guilliemi huius, nuper añ. 1618. quædam Coloniæ impressa fuerunt, in Bibliothecâ veterum Patrum. Extant etiam typis excusæ meditationes eius, Antuerpiæ, annis 1550. & 1590. vna cum libello de Amore Dei. Obijt miraculis clarus in Signiaco, vbi in hodiernum diem eius visitur sepulchrũ. Vide Henriquez in Menologio Cisterciensi, 12. Ianuarij, vbi seipsum corrigit, quod in Fasciculo scripserit illum fuisse professum in Clarâvalle. Quo errore etiam imbuti fuerunt Henricus Gandauensis,

dauensis, & Philippus Seguinus, vt constat, de illo quidem ex libro de scriptoribus, de hoc, ex Bibliothecâ Cisterciana M.S. Ad hunc Guillielmum Sanctus Pater Bernardus scripsit librum suum de Gratiâ & libero Arbitrio, quapropterea eidem corrigendum offert in epistolâ liminari. Extant etiam 3. epistolæ eiusdem Sancti Patris ad ipsum. Huius etiam Guillielmi meminerunt Sixtus Senensis, lib. 4. Bibliothecæ sacræ, & Conradus Gesnerus in Bibliothecâ suâ.

Guillielmus Tornay, siue Tornacensis, qui circa annum 1334. refertur scripsisse Vitas plurimorum Sanctorũ, monachus fuisse ordinis Cisterciensis scribitur à Barnaba de Montalbo, Chronici Cisterc. lib. 2. partis 1. cap. 32. Verum hic Author, affectui suo erga ordinem suum nimium indulgens, à veritatis tramite aberrauit: nam vt recte annotauit Guillielmus Eisegrenius in catalogo scriptorum orthodoxorum, ordinis fuit Benedictinorum nigrorum, non vero Cisterciensium.

Guillielmus de Valcellis, Abbas Cistercij, anno 1316. (alijs 1318.) edidit *Libellum diffinitionum ordinis, in 15. distinctiones partitum,* quem à Ioanne 22. Pontifice approbari curauit. Manriquez in serie Abbatum Cistercij.

Guillielmus cœnobij de Vallada, in Anglia Abbas (secundum Seguinum in bibliotheca) vir claro ingenio præditus, in sacris & humanioribus litteris haud vulgariter doctus, antiquitatum vero historicarum inuestigator solertissimus, *Gesta inclita Sancti Ioannis Grandissylua in Comitatu Tholosano, Conuersi, seu Laici Fratris, lucido stylo descripsit aliaque plura in lucem emisit,* quæ ad me non peruenerunt. Ita quidem Seguinus. Ego tamen in catalogis cœnobiorum ordinis nostri nullum istius nominis (*de Vallada*) cœnobium reperio: at benè, *de Valacia,* quod est cœnobium in Ducatu Normanniæ (tunc Regi Angliæ subiecto) à Mechtilde Henrici II. Angliæ Regis matre, anno 1157. fundatum. Huius autem cœnobij suspicor fuisse Abbatem, Guillielmum nostrum, scriptorem vitæ Beati Ioannis Conuersi. Cæterum de Ioanne, vide etiam Menologium Cisterciense 21. Decembris, vbi insignè refertur fragmentum vitæ illius.

Guillielmus VViccamus, vulgo *VVichvvane,* (secundum Iongelinum) illustribus in Anglia parentibus natus, & omni virtutis atque eruditionis genere clarus; in tantum, vt etiam agente Vrbano IV. Pontifice, ad sedem Archiepiscopalem Eboracensem prouectus fuerit. Plura scripsit, inter quæ (referente Pitsæo) est egregium opus, cui titulum præfixit, *Memoriale.* (Credo ego eundem esse librum, cum eo qui extat Tornaci in bibliotheca cœnobij Sancti Martini, sub littera H. n. 24. huius tituli: *Memoriale rerum difficilium, & incipit; Summa in hoc capitulo, &c.*) Cætera eius scripta non comparent. Iongelinus in Purpurâ Sancti Bernardi, asserit eum post sedem 6 annorum, Præsulatu se sponte abdicasse, & transmisso mari, in Galliam, ad Pontigniacense ordinis nostri cœnobium se contulisse, & Cisterciensem habitum induisse, ac post biennium in eodem peractum, sanctè in Domino obijsse, anno 1285. 29. Augusti; ibidemque sepulturæ traditum, miraculis fulgere. Iongelino concordat Henriquez in Menologio, 18. Decembris, vbi pariter asserit, eum in Pontigniaco habitum Cisterciensem assumpsisse, ibidemq; obijsse, & sepulturæ traditum miraculis claruisse. Quæ omnia confirmat authoritate monumentorum Pontigniacensis cœnobij; Barnabæ de Montalbo tomo 1. chronicorum, lib. 1. cap. 31. Et Harpsfeldij; cuius sequentia producit verba, desumpta ex historiâ Anglicana, sæculo 12. cap. 27. *Post quinque annos, vltra se à dignitate abdicauit* (scilic. Guillielmus Archiepiscopus Eboracensis) *& mare*

transmittens.

transmittens, ibi fato functus, Pontigniaci humatus est: vbi & miracula post obitum patrasse creditus est. Quibus verbis immediatè subiungit Henriquez: *Vixit autem Pontigniaci duobus annis, &c.* Pitsæus tamen libro de scriptoribus Angliæ, ad eundem annum 1285. de hoc eodem Guillielmo agens, nullam mentionem facit monachatus, aut resignationis; quin potius è contra, affirmat eum Eboraci extinctum, & ibidem tumulatum esse anno eodem 1285. Porrò, quod tam Pitsæus, quam Iongelinus, & Henriquez, loquantur de vno eodemque Guilhelmo, arguunt idem nomen, idem tempus promotionis ad eundem Archiepiscopatum Eboracensem, idque agente Vrbano IV. Pontifice; ac denique idem annus obitus, scilicet 1285. Tametsi Iongelinus & Henriquez discrepent in nomine Prædecessoris eiusdem Guillielmi in Episcopatu, vt curiosus lector facilè deprehendet. Interim, dum non vacat controversiam hanc exactius discutere, in fide Iongelini, & Chrysostomi Henriquez, Authorum de ordine nostro tam benè meritorum, sanctum hunc Episcopum, hic nostris adscripsi. Vbi tamen notandum duxi, Guillielmum hunc alium esse à Guillielmo Wiccamo, Wintoniensi Episcopo, qui duo illustria fundauit collegia, vnum Wintoniæ, humanioribus studijs; alterum maioribus Oxoniæ. Quia (vt dictum est) Eboracensis obijt anno 1285. Wintoniensis verò floruit demum anno 1366. vt videre est apud Pitsæum, in tractatu de Academia Oxoniensi, cap. 7.

GVILLIELMVS, Vide *VVilhelmus.*

GVNDISSALVVS, Vide *Gundialvus.*

Gundisalvus de Sylua, natione Lusitanus, religiosus, & posteà Prior Alcobaciensis cœnobij; vir solidè doctus, & ordinis sui amantissimus, ad instantiam Sanctimonialium de Odiuelas

Libros 7. vitæ sanctissimi Patris nostri Bernardi, olim ab anonymo quodam conscriptos Gallicè, in Lusitanam linguam transtulit, quos posteà imprimi curauit inclita Regina Catharina, Philippi Pulchri Hispaniarum Regis filia, Ioannis III. Lusitaniæ Regis vxor, Cistercienfibus addictissima. Est hæc vita longè diuersa ab ea, quæ Latinè impressa circumfertur passim, cum operibus Sancti Patris Bernardi. Floruit Gundisaluus circa annum Domini 1541. Vide Manriquez in serie Abbatum Alcobaciensium, & in Annal. tom. 2. ad annum 1105. cap. 3.

Gunterus Monachus Parisiensis cœnobij, in Diœcesi Basileensi, ordinis Cisterciensis; ex ore Martini Abbatis sui Parisiensis, qui expugnationi Constantinopolitanæ interfuit, descripsit *Historiam Constantinopoleos à Latinis subacta* quam ex manuscripto codice Academiæ Ingolstadiensis, tomo 5. antiquæ lectionis, Canisius edidit. Hanc ipsam capti Bizantij historiam, Nicetas Choniates expressit in Annalibus Constantinopolitanis, quos Græco latinos iterato editos anno 1593. quidam ineptis, & hæreticis scholijs contaminauit, vt benè notat Miræus in Auctario, de scriptoribus ecclesiasticis. Floruit Guntherus anno 1204. Vide etiam Bellarminum lib. de Scriptoribus.

H.

BEatus *Haketus,* natione Flander, Parisijs altioribus disciplinis in iuuentute excultus, ob eruditionis famam, & præsertim excellentem concionandi gratiam, à Syluanectensi Episcopo euocatus, doctissimis concionibus magnam sibi in eius curia authoritatem, nominisque claritatem conciliauit (teste Ægydio de Roya, Abbate quondam Regalis montis, in chro-

nico suo ad annum 1175.) Hinc in patriam reuersus, decanatu S. Donatiani Brugis honoratus fuit; quo tamen breui tempore gauisus est; nam Dunensium nostrorum religiosa conuersatione excitus, dignitati huic, cæterisque mundi honoribus & commoditatibus valedicens, monasticam vitam inter illos amplexus est. Vbi, cum doctrinæ suæ adiunxisset insignem religionis obseruantiam; aliarumque virtutum monasticarum perfectionem, à venerabili VValtero, 4. Monasterij nostri Abbate, constitutus fuit Abbas 1. Monasterij Thosani, seu Capellæ Thosanæ, in Agro Brugensi (quod Monasterium ab Eberardo Tornacensi Episcopo, & Gerembaldo Schulteto de Lisseweghe, recenter fundatum, Dunensibus tributum fuerat.) Quam spartam ita ornauit, tantisque spiritualium, & temporalium incrementis ditauit, vt memoratus Venerabilis VValterus, Dunensium Abbas, ad solitudinis quietem adspirans (de subditorum suorum consensu) prælatura sua se abdicauerit, eamque Hakero resignauerit. Qui cum strenuè eandem administrasset annis 6. meritorum cumulis gloriosus, obdormiuit in Domino, anno scilicet 1185. Vide Henriquez in Menologio 4. Nouembris. Porrò, *doctissimas eius conciones* extare, scribit Roya loco citato; tametsi modò in Dunensi nostra bibliotheca non reperiantur, saltem præfixo Authoris nomine. Quod addo, quia plura ibidem asseruantur manuscripta volumina concionum, quæ nulla Authorum nomina præferunt, inter quæ (forte) adhuc extant Hakeri conciones, Royæ quidem notæ, at nobis incognitæ.

Haymo, vide *Aymo*.

Helinandus, monachus Ordinis Cisterciensis in Frigido monte, Diœcesis Beluacensis, claruit anno 1212. Vir tam diuinis, quam humanis disciplinis nobiliter excultus ingenio subtilis & vehemens, eloquentia insignis, & venustè decoros lepores, non minus vita, quam scientia præstans.

Scripsit *Chronicon amplum & præclarum, ab exordio mundi, vsque ad sua tempora, hoc est, 1212. in 48. libros distributum*: ex quo opere multa hauserunt, sanctus Antoninus, & Vincentius Beluacensis, vt rectè notarunt Bellarminus & Aubertus Miræus, de scriptoribus. Hunc quidam putant esse Authorem libri qui inscribitur, *Exordium magnum Ordinis Cisterciensis*: sed refutantur à Manriquez tomo 1. Annalium, ad ann 1110. cap. 1. n. 3.

Scripsit tamen etiam Helinandus, *librum De laude vitæ claustralis.* Item alium, *De regimine Principum.* Qui duo libri reperiuntur M.S. in cœnobio Canonicorum Regularium, Tungris.

Item, *librum de reparatione Lapsi*, qui extat in Viridi Valle. In quo libro, Helinandus ipse (vt plures volunt) propriam vitam in sæculo gestam, & conuersionem suam ad religionem descripsit, sub nomine Guillielmi monachi. Alij tamen; librum eundem adscribunt cuidam Guillielmo Frigidi montis religioso, socio Helinandi, qui (ut asserunt) illum scripsit ad fratrem suum Gualterum, clericum, ex religione ad sæculum regressum. Vide quæ suprà diximus, verbo, *Guillielmus Frigidi montis*, &c. Communiter tamen M. S. exemplaria Helinandum perhibent authorem. Vide etiam Menologium Cisterc. 5. Februarij. Scripsit prætereà Helinandus, *Sermones varios, qui habentur in S. Victore Parisijs, & Epistolas plures.* Denique, *Tractatum super illo Apollinis oraculo, Nosce teipsum.* Qui sic incipit: *Olim apud Delphios, &c. Et plura alia*, vt ex Vincentio Beluacensi refert Henriquez in Menologio, loco citato. Notandum tamen, Trithemium male fuisse informatum, dum hunc Helinandum scripsit fuisse congregationis Cluniacensis, cum clarissimum sit, Monasterium Frigidi montis (in quo vixit Helinandus) ab initio fundationis suæ fuisse ordinis Cisterciensis, vt

videre

videre est apud Iongelinum, in notitia monasteriorum ord. Cisterc. & Henriquez suprà.

Notandum 2. Helinandum apud scriptores diuersa sortiri nomina, nam Iacobus Philippus Bergomensis in suo supplemento chronicorũ, lib. 12. illum vocat Elymandum; alij, Elinandum; denique Philippus Seguinus in sua Bibliothecâ M. S. quam apud me habeo, verius eum appellari putat Helmundum: verum Helinandi vocabulum iam præualuit. Post hæc scripta, reperio Helinandum nostrum scripsisse. *Quosdam versus Gallicos de morte*, quæ olim in Gallijs passim solebant legi & cantari publicè, non sine magnâ vtilitate, vt testatur Vincentius suprà, in Speculo historiali, lib. 29. cap. 108. Cuius verba, cum cedant in magnam Helinandi commendationem, non possum hic non referre: *Itaque his* (inquit) *temporibus, in territorio Bellouacensi fuit Helinandus monachus Frigidi Montis, vir religiosus, & facundiâ disertus, qui & illos versus de morte, in vulgari nostro, qui publicè leguntur, tam eleganter & vtiliter, vt luce clarius patet, composuit; & etiam chronicon diligenter ab initio mundi vsque ad suum tempus, in maximo quodam volumine digessit. Et hoc quidem opus dissipatum est, & dispersum, vt nusquam totum reperiatur. Fertur enim, quod idem Helinandus cuidam familiari suo, scilicet bonæ memoriæ Domino Garino Siluanectensi Episcopo, quosdam eiusdem operis quaterniones accommodauerit, sicque, siue per obliuionem, siue per negligentiam, siue alia de causa, penitus amiserit*: hæc Vincentius, qui tanti fecit huius viri opera, vt peculiarem librum *Florum* ex ijs collegerit, quem hisce verbis conclusit: *Expliciunt Flores Helinandi monachi; viri boni, religiosi, honesti & sancti, ac vitâ præcipui.* Obijt Helinandus, sicut vixit, sanctissimè, anno 1223. Sanctis ordinis nostri adscriptus in missali antiquo; & in Menologio supra. Vitam eius Gallicè edidit Ioannes d'Affigny, parte 2. de personis illustribus ordinis nostri. Cæterum, post hæc scripta, ad manus meas deuenit *Bibliotheca noua librorum M. SS.* Philippi Labbei, Societ. Iesu, in cuius primâ parte, author asserit Helinandi nostri chronicon extare in Bibliothecâ Reginæ Sueciæ, ex Gallijs eò delatum cum alijs pluribus antiquis codicibus M. SS.

Insuper: Antonius L'Oisel, in suis memorijs Beluacensibus Gallicè editis, scribit, se anno 1594. curasse imprimi, *Versus Gallicos Helinandi, de morte* (quos mirè extollit & laudat) præfixa epistola ad Dominum Fauchet, primum Præsidem monetarum, continente: *Ipsius Helinandi vitam*; ex quâ plura puncta rursus inseruit iam dictis memorijs suis; asserens inprimis, ipsum Helinandum in sæculo fuisse vitæ valdè dissolutæ, pro vt constat ex proprio ipsius testimonio, in *libro de reparatione Lapsi*, vbi de seipso ita scribit: *Nosti Helinandum? Sed quis non nouit hominem?* neque enim tam *natus erat homo ad laborem, quam auis ad volandum; circuiens terram, & perambulans eam, quærens quem deuoraret, aut adulando, aut obiurgando. Ecce in Claustro clausus est, cui totus mundus solebat esse non solum quasi claustrum, sed etiam quasi carcer. Neque ipse tam fuerat leuis, quam ipsa leuitas: vndè & tanta leuitas tam leuiter mutata, apud plures nil aliud putatur, quam ipsa leuitas. Hinc est, quod iam quinquennis eius conuersatio vix facit alicui fidem de futuro. Nimirum, quantum in seipso dedit experimentum incontinentiæ, tantum perseueraturæ constantiæ nunc debilitat argumentatio. Erubesce igitur miserrime, te saltem non sequi istum præcedentem, iuniorem, infirmiorem, debiliorem, delicatiorem. Quis enim attendens vnde iste surrexerit, surgere non possit?*

Item paulò antè in eodem libro:

Ipse quidem spectaculum factus est Angelis & hominibus leuitate miraculi, qui prius eis spectaculum fuerat miraculo leuitatis. Dum non scena, non circus, non theatrum, non amphitheatrum, non amphicircus, non forum, non platea, non gymnasium, non harena sine eo resonabat. Hæc Helinandus de seipso, non minus

nus humiliter quam eruditè, vt Gualterium qui relicto Religionis habitu ad sæculum redierat, reuocaret.

2o. Dicit Ant. l'Oisel, colligi ex his versibus, *de morte*, authorem fuisse valdè familiarem diuersis Principibus, & Episcopis, ob ingenium lepidum & viuidum, nominatim, Philippo de Dreux, Episcopo Beluacēsi, Henrico de Dreux, eius fratri, Episopo Aurelianensi; Episcopo item Nouiomensi, Reginaldo Comiti Boloniensi, & Godefrido Episcopo Syluanectensi.

3o. Asserit se vidisse *volumen aliquod annalium Helinandi*, apud dominum Sancti Andreæ, Canonicum Parisiensem. Item, *Sermones plures in* Abbatia Frigidi montis.

4o. *Tractatum illum rythmicum, de morte*, memoratum, à Canonicis S. Victoris, adscribi cuidam Abbati S. Victoris, sed falso, vt constat ex Vincentio Beluacensi, Helinandi contemporaneo, & vicino.

5o. Testatur Helinandi stylum vbique esse ornatum, valdè, & figuratum; orationem plenam, sententiosam, & moralem: rythmos verò eius tam eruditos & fluidos, vt nullis antiquis aut modernis quidquam debeant.

6o. Asserit Helinandum nostrum *scripsisse quoque Martyrium Sancti Gereonis, & Sociorum eius, quod vulgauit Surius tomo 5. dignum planè lectu, propter stylum longe excellentiorem quam in legendis aliorum Sanctorum.* Porrò, Helinandum huius Martyrij esse Authorem, fatetur quoque Baronius, in notis ad Martyrologium, 10. Octobris his verbis: *Gereonis & Sociorum. Quorum acta ex antiquis tabulis excerpta ab Elinando, habet Surius tomo 5.*

7o. Causam suppressionis Annalium Helinandi, saltem pro parte, adscribit Vincentio Beluacensi & Sancto Antonino, quia maiorem horum annalium partem inseruerunt suis libris. Cæterum Ioan. Gerardus Vossius, lib. de Scriptoribus latinis, asserit, ex actis S. Gereonis ab Helinando scriptis, desumpta etiam esse acta, Victoris, Cassij, Florentij, & aliorum, apud Surium, tomo 5. 10. Octobris.

Helinandus, monachus *de Persenia*, scripsit *Commentaria in Apocalypsim*, Item.

Glossulas super Exodum. Quæ duo opera asseruantur in Morimundo, sub nomine Elinandi. Series librum M.S. bibliothecæ Morimundensis, à Reuerendissimo eiusdem cœnobij Abbate, anno 1648. 2. Februarij mihi transmissa. Balæus commentaria hæc in Apocalypsim tribuit Helinando Frigidi Montis, sed perperam, vt certa etiam relatione ex Gallijs didici.

Hemmenrode, quod alio nomine *Claustrum* dicitur, monasterium est ordinis Cisterciensis, in Treuirensi Diœcesi fundatum à Sancto Bernardo anno 1133. In hoc monasterio asseruatur. *Ingens volumen M. S. in quo continentur vitæ, & res gestæ plurimorum Abbatum, monachorum, & conuersorum eiusdem monasterij, sanctitate illustrium, à diuersis religiosis ibidem conscripta.* Ex quo libro plurima desumpserunt Cæsarius Heisterbacensis, & Chrysostomus Henriquez.

Floruerunt ad nostra vsque tempora in hoc monasterio, viri doctissimi, qui plurima doctrina sua monumenta scripto consignata, posteris reliquerunt, quæ adhuc ibidem (saltem pro magna parte) asseruantur; quorum tamen specificationem hactenus obtinere nequiui. Lego nihilominus, in Nicolao Hesio, inter alia, nominatim reperiri sequentia:

Librum, de gestis Episcoporum Treuirensium, scriptum à quodam illius cœnobij religioso: &, *Vitam Beati Dauidis, discipuli Sancti Bernardi, & postea religiosi Hemmenrodensis*, scriptam ab anonymo eiusdem Cœnobij, synchrono ipsi B. viro Dauid, Publicauit hanc nuper anno 1640. Co-

Ioniæ

loniæ in manipulo suo Hemmenrodensi, citatus Nicolaus Hesius, vnà cum Collectis proprijs recitari solitis in missâ, quæ in Hemmenrode (ex indulto Apostolico) annuatim de eodem B. Viro celebrari solet. Adiunctæ sunt etiam plures notabiles sententiæ, quas Beatus vir Dauid, semper in ore habuisse legitur, olim anno 1580. à Reuerendissimo Treuirensium Archiepiscopo, Iacobo ab Eltz, plurimum commendatæ. Est autem hæc vita multo auctior eâ, quam ediderunt Henriquez (Latinè) in Fasciculo, & Gallicè Ioan. d'Assigny, Abbas Nizellensis, parte 2. de Viris Illust. ordinis nostri.

Henricus à Bertheim, Religiosus & Abbas Noualis B. Mariæ, vulgo, Mariæ Rodæ, diœcesis Hildesemiensis, edidit *Chronicon Mariæ Rodensis*, in quo insignis elucet Authoris eruditio, & studium conseruandæ memoriæ rerum gestarum in Hildesemiensi Diœcesi, & ditionibus vicinis. Extant insuper in Mariæ Roda, eiusdem *Opuscula aliquot theologica, & poemata varia*, sæculum quo vixit referentia. Quæ omnia se vidisse testatur Author historiæ Rittershusanæ, apud Iongelinum, in notitia Monasteriorum Ordinis Cisterciensis.

Obijt Henricus anno Domini 1463.

Henricus Blumentrost, Abbas 19. Ebracensis, in Franconia, S. Theol. Baccalaureus, Visitator strenuus & exactissimus monasteriorum vtriusque sexus, Pannoniæ, Bauariæ, & Franciæ orientalis, rethor fuit egregius, & orator celebris, qui *multa scripsit ad Academias, Viennensem, & Heydelbergensem*, vt testatur Bruschius, lib. de monasterijs Germaniæ, centuria 1. licet non specificet, quænam hæc scripta fuerint. Obijt anno 1455.

Henricus, nobili stemmate, de Castro Marciaco, iuxta Cluniacum, in Gallia natus, iuuenis Cisterciense institutum in Claravalle amplexus est, sub Domino Roberto de Brugis, vbi tantum profecit, vt primum Altæcumbæ in Sabaudia, & postmodum Claræuallis Abbas 7. fuerit electus; imo ab Alexandro III. Pontifice, ad Concilium Lateranense, per litteras (ex nomine) euocatus; & ab eodem, Cardinalis Episcopus Albanensis constitutus, mox Legatus missus fuit in Vasconiam, ad retundendam vesaniam Catharorum, seu Albigensium, quos hæreticos etiam egregiè compescuit, teste Roberto Antisiodorensi, in chronico. Scripsit inter alia, *Insignem orationem, in qua amarissimè deplorat dictorum hæreticorum obstinationem*. Quæ oratio impressa extat apud Baronium tomo 12. Annal. ad annum 1178. & Henriquez lib. 2. Fasciculi, dist. 25.

Seruantur etiam in Claravalle, manuscripti *Sermones plures de diuersis materijs, quos circa annum 1186. coram Vrbano III. Pontifice habuit*. Obijt Atrebati in Belgio, anno 1188. quo à Pontifice missus fuerat ad reformandam pacem inter Comitem Flandriæ, & Ecclesiam Atrebatensem, quam pacem etiam (non sine multorum admiratione) antè obitum composuit. Sepultus fuit 1. Atrebati, ante altare S. Andreæ, postea verò Claram vallem translatus, ibidem quiescit. De hoc viro, vide Ciacconium, & Nomenclatorem Cardinalium scriptorum; item Vincentium Beluacensem speculi historialis libro 30. cap. 31. & Iongelinum in Purpura S. Bernardi, nec non Vghellum, tomo 1. Italiæ Sacræ, fol. 294.

Henricus Crumpe, Religiosus fuit Ordinis Cisterciensis, Cœnobij Baltinglassensis, natione Hybernus, S. Theologiæ Doctor, eiusdemque publicus & celebris professor Oxonij, in Angliá, circa annum Domini 1390. & ibidem Wicleffistarum antagonista præcipuus; postmodum tamē, quia mendicantium ordines acrius, quē par erat, perstrinxerat, graues persecutiones

nes perpessus fuit à Guillielmo Andreæ (Balæus vocat Simonem) Midensem Episcopum, Dominicanum. Scripsit,

Librum de fundationibus omnium Monasteriorum Angliæ, à tempore Birini, primi Dorcestrensis Episcopi, ad ætatem Roberti Grosted, Lincolniensis Episcopi, qui obijt anno 1253. Libro eius usus est Author Rythmorum qui de vita Sanctæ Edithæ scripti extant in Bibliothecâ Cottoniana, siue, Roberti Cottoni Equitis aurati, & Baronetti Angli.

Scripsit etiam Determinationes Scholasticas, lib. 1. *& alia quædam.* Iacobus Waræus, lib. de Scriptoribus Hyberniæ, anno 1639. Dublinij impresso. Et Balæus.

Henricus, Hulmensis Cœnobij in Cumbriâ, (vulgo, *Hulme Cultraine*) Prior 2.dus, Scripsit, *Opus Chronicale*, quod inscripsit,

Textura temporum, & Abbati Meritaniæ dedicavit, vt habetur in Indice Cuprensi, vixit anno 1300, vt vult Demsterus, aut (vt alij probabilius, 1150) vid. Manriquez tom. 2. Annal. ad annum 1151. cap. 12. n. 9.

Henricus à Leodio, Prior Hemmenrodensis, circa annum 1438. *quædam scripsisse perhibetur* à Nicolao Hesio, in manipulo Hemmenrodensi tit. 12. quæ tamen ipse non specificat.

Henricus Claræuallensis Abbas septimus, & postmodum S.R.E. Cardinalis, Episcopus Albanus, vir fuit genere quidem nobilis, sed virtutibus & doctrinâ multo nobilior, hic dum adhuc Claræuallis esset Abbas ab Alexandro 3. Pontifice, cum alijs aliquot, eruditione clarissimis, contra Albigenses missus fuit, præcipuo prædicandi onere ipsi iniuncto, quod munus cum eximio fructu impleuit, vt videre est apud Manriquez, tom. 3. Annal. ad annum 1178. & sequentes, producta *Declaratione historicâ ab ipsomet Henrico conscripta ad Vniuersos Christi fideles, de rebus à se & socijs suis gestis, tempore legationis huius contra Albigenses*, Quam declarationem etiam Annalibus suis inseruit Baronius, tom. 12. ad ann. 1178. Porrò Henricus posteà creatus Cardinalis, præclarissimas obiuit Legationes, rebusque summi momenti semper adhibitus fuit, non solum ab Alexandro 3. verum etiam à Lucio 3. Gregorio 8. & Clemente 3. Romanis Pontificibus donec tandem circa annum 1189. in Flandriam directus, pace composita inter Comitem Flandriæ & Ecclesiam Attrebatensem, ibidem, sancto fine quieuit in Domino; vnde corpus translatum Claramvallem, à Lingonensi Episcopo collocatum fuit, inter Sanctos Malachiam, & Bernardum. vitam ipsius sparsim locis suis refert Manriquez suprà. Nomenclator Cardinalium Scriptorum, vti etiam Ciaconius, illum cæteris Scriptoribus adcensent, propter *Conciones quas habuisse dicunt, coram diuersis Pontificibus*, Et *epistolam relatam à Baronio*, quæ est illa declaratio, de quâ supra.

Sed & Ignatius Firminus (referente Manrique, anno 1189. cap. 1. n. 10) illum scriptoribus nostris adnumerans, *plura producit opuscula*, quæ si extarent, inter opera aliorum Ecclesiæ Patrum, cum magnâ vtilitate Legentium circumferentur. Quænam tamen illa opuscula sint, Manriquez non exprimit.

Henricus Moricottus, natione Pisanus ex S.R.E. Subdiacono, Monachus Claræuallis, ac Sancti Bernardi discipulus. Hinc Abbas 3. monasterij Sanctorum Vincentij & Anastasij ad 3. Fontes, extra vrbem; ac tandem anno 1150. ab Eugenio III. Pontifice, creatus Cardinalis, tituli Sanctorum Nerei & Achillæi, quædam etiam scripsisse fertur, ex quibus extat *Insignis epistola ad Radeuicum.* Ad hunc leguntur etiam Sancti Bernardi, & Arnulphi Lexouiensis epistolæ. Obiit anno 1179. Vide Nomenclatorem Cardinalium scriptorum. Huius etiam meminit Iongelinus in Purpurâ Sancti Bernardi, & Nomenclator

mendator, inter Cardinales incertæ creationis, sub Eugenio 3. Pontifice.

Henricus, Rhemensis Archiepiscopus, Ludouici Craſſi Francorum Regis filius, frater autem Ludouici 7. ſub ſanctiſſimo Patre Bernardo, anno 1149. in Claravalle monaſticum indutus habitum, huiuſmodi mox virtutum culmen conſcendit, vt ſequenti anno, paucis à profeſſione menſibus, vnanimi calculo Epiſcoporum prouinciæ Rhemenſis, ad Beluacenſem Cathedram electus fuerit. Cui electioni cum obſtinatius aſſenſum negaret, authoritate Petri venerabilis Cluniacenſis Abbatis, & Sanctiſſimi Patris ſui Bernardi compulſus fuit humeros oneri ſubmittere, dignitatemque acceptare: qua per annos 10. tam laudabiliter functus eſt, vt anno 1161. ad Rhemenſis Eccleſiæ Archiepiſcopale ſolium ſublimari meruerit.

Scripſit *Epiſtolas plurimas*, doctrinæ ac pietatis ſuæ certiſſimos indices, quarum ſuas exhibet Reuerendiſſimus Manriquez, Annalium ſuorum tomo 2. *Priorem quidem, quam anno 1149. adhuc nouitius, ſcripſit B. Bernardo tunc abſenti, in fauorem Ioannis Epiſcopi Alicenſis. Poſteriorem, querelis plenam, ad Petrum Venerabilem, deplorando electionem ſuam ad Epiſcopatum.* Obijt anno 1179. ſanctitatis famâ clarus, & ob id Menologio Ciſtercienſi adſcriptus 26. Maij.

Henricus Salterienſis cænobij Religioſus, Anglus, Ordinis Ciſtercienſis, in Huntinglonenſi Comitatu natus, & ibidem ab ipſis teneris vnguiculis, ſub optima diſciplina educatus, partim in ſuo monaſterio, partim à Florentiano Hybernorum Epiſcopo, & à Gilberto de Luda, Ciſtercienſium monachorum Abbate, bonas litteras, optimaque benè viuendi præcepta didicit. Ipſe etiam iam edoctus, alios docere ſolebat, timorem domini initium eſſe ſapientiæ. Et quia videbat homines plerumque magis timore pœnæ, quam virtutis amore à vitijs deterreri, populo itidem inculcare ſolebat, nihil inquinatum intrare poſſe in regnum cœlorum, atque adeò omni peccato debitā eſſe ſuam pœnam & prius ſecundum diuinam iuſtitiam, ſatisfaciendum pro delictis, vel in hoc ſæculo benè faciendo, vel in purgando, patiendo ſupplicia, quam cuipiam, qui aliquando peccati maculâ contraxit, pateat aditus in æternum cœleſtis beatitudinis refrigerium. Vnde & ſcripſit, ad Henricum Abbatem de Sartis, *De Purgatorio Sancti Patricij lib. vnum.* incip. *Patri ſuo in Chriſto*, &c.

Prologum huius libri integrum, & operis fragmenta plura, hoc noſtro ſæculo vulgauit Thomas Meſſinghamus Hybernus, in ſuo Florilegio. Scripſit &

De pœnis Purgatorij, librum vnum. Inc. *Iuſſiſti Pater Venerande*, &c.

Vide Ioannem Pitſæum de illuſtribus ſcriptoribus Britanniæ.

Viſiones, inſuper *Oeni militis*, ſeu, *Ludouici Enij*, primus omnium ſcripto mandauit, vt prodit Manriquez ad annum 1154. cap. 5. De alijs ipſius ſcriptis, nihil reperitur. Claruit (ſecundum Pitſæum) anno gratiæ 1140. Stephano cum Mathilde de ſumma rerum in Anglia hoſtiliter contendente. Manriquez tamen ad annum 1147. tunc ſolum fundatum cenſet Salterienſe monaſterium; adeoque Henricum claruiſſe poſteà. Eius tempore vixit in Hybernia Tundalus Carthuſianus, cuius etiam referuntur mirabiles viſiones. Iacobus Waræus, lib. 2. de Scriptoribus Hyberniæ, ad finem, c. 1. ſcribit, Gilbertum, monachum de Judâ, ſcriptis mandaſſe viſiones Oëni militis, circa an. 1152.

Henricus Sanct-Ægidianus. patria Bruxellenſis, Belga, Abbas monaſterij Riddaghuſani vulgò Rittershauſen) in Germania, anno 1170. creatus; vir ad miraculum doctus, vt de eo loquitur Author chronici Riddaghuſani, plurima ſcripſit, quorum Arnoldus Lubecenſis, Helmold

Helmodi Continuator, lib. 11. cap. 18. & Crantzius lib. 7. cap. 11. Metropoleos, meminere. Valerius Andreas in bibliotheca Belgica.

Henricus Strompius, vel (vt alij) *Trompaus*, religiosus Loci Sancti Bernardi ad Scaldim iuxta Antuerpiam, & ibidem quondam Prior, S. Theol. Licentiatus, scripsit stylo nitido, & docto, *Chronicon amplum sui monasterij vsque ad annum* 1552. Ex quo multa ad Brabantiæ historiam spectantia hauserunt Miræus, Henriquez, & alij. Chronicon hoc posteà continuauit D. Petrus van Eflen, de quo infra.

Relatio Reuerendi admodum Domini Judoci Gillis, S. Theol. Licentiati, & Prioris eiusdem loci, anno 1647.

Henricus Abbas de Vallibus in Ornesio ord. Cisterc. in diœcesi Tullensi, reliquit à se composita, *duo volumina Sermonum*, quorum primum continet *Sermones de Aduentu, & Quadragesima*, Posterius, *de Dominicis & Festiuitatibus totius anni*. Seruantur in Morimundo. Series librorum M. S. eiusdem cœnobij, anno 1648. ad me missa.

Henricus Veteris montis Abbas, scripto reliquit insignem Libellum (breui, vti, spero, publicandum) cui titulum præfixit: *Super cor*: propter piũ (vt ait Author) nomen Dñi Nostri Iesu Christi, quod debet religiosus ponere super cor, vt conferat ei gaudium & solamen. Tractat hic Libellus (seu vt ipse vocat, Compilatio hæc) *de nomine, & amore Iesu*. Relatio Reuerendissimi & Eximij Domini Abbatis de Veteri-monte, in litteris ad me scriptis 18. Octobris 1648.

Suspicor autem, hunc Henricum fuisse Abbatem eius nominis 3. qui obijt an. 1517. Quem specialiter in monumentis Veteris montis, legi fuisse virum religione & doctrina clarissimum, & studijs non minus addictum; qui etiam varios libros præclaræ suæ Bibliothecæ comparauit. Licet similia etiam legam de Henrico 1. qui obijt anno 1303. Cæterum, seruatur hic libellus adhuc M. S. in Veteri-monte, prælo sanè dignissimus.

Heribertus seu, Herbertus, ex monacho Claræuallensi Abbas de Moris, in Campaniâ, anno 1178. adhuc in Claràvalle degens, scribere cœpit, *Librum aliquem miraculorum, quem posteà ad iustam satis magnitudinem perduxit*; teste Gosuino Claræuallensi qui de eodem ita scribit: Herbertus, qui aliquando Capellanus Domini Henrici exstitit Abbatis, *magnum satis diuersarum visionum, & miraculorum edidit volumen*. Qui posteà Dei prouidentia, fuit Sardiniæ Archiepiscopus &c. Henriquez in Apparatu ad Menologium, cap. 3. & Iongelinus in Purpurâ Sancti Bernardi, inter Archiepiscopos Italiæ. Hic idẽ scripsit quoque insignem *narrationem alteram, de libro miraculorum S. Bernardi per miraculum seruato*. Quam narrationem edidit Iacobus Merlonus, introductione in opera Sancti Bernardi, libro 6. Vide etiam Manriquez tomo 2. Annal. ad ann. 1153 cap. 11.

Herkenroda, cœnobium est Sanctimonialium ordinis Cisterciensis, in ditione Leodiensi ac Comitatu Lossensi, versus Brabantiam. *Huius loci confessarij religiosi Alnenses, scripserunt, & successiuè continuarunt, historiam & miracula Sacramenti miraculosi, quod ibidem asseruatur*. De hoc Sacramento miraculoso vide Arnoldum de Raysse, in Auctario ad Molanum, 25. Iulij, & Henriquez in Menologio ad eundem diem: vbi verè mirabilia de eodem narrat, quæ se habuisse testatur ex monasterij Herkenrodensis archiuis, ac etiam testibus oculatis.

Hermanus de Petra, Ord. Cisterc. scripsit *Sermones plurimos*, qui manuscripti asservantur in monasterio Hasnoniensi, ordinis Sancti Benedicti, in Hannonia. Ant. Sanderus tom. 1. Bibliothecæ Belgicæ manuscriptæ.

Hermannus, Veteris Campi in Diœcesi Coloniensi monachus, patria Westphalus, vir omnimodâ

nimodâ eruditione tam celebris, vt Guilliel-mus Eisegrenius, libro de scriptoribus orthodoxis, illum nominet, Eruditione & eloquentia clarum, Oratorem perfectissimum, Iuriscon-sultum celeberrimum, nec vlli Theologorum secundum. Scripsit pro defensione Concilij Basileensis, aliquot præclara opuscula; nimirum,

De vocibus diffinitiuis in Concilio generali, lib. 1. cuius initium est: *Tam iteratis vocibus*, &c.

De potestate Papæ, & Concilij, librum vnum. qui sic incipit: *Beatus, Athanasius*, &c.

De schismate, lib. 1. Et

De neutralitate, lib 1. Atque *multa alia*, vt testantur plures Authores, quorum tamen titulos non reperio Claruit anno 1440. Vide Trithemium de scriptoribus, Eisegreinium. Iacobum Philippum Bergomensem, in supplemento suo, lib. 15 & bibliothecam Pontificiam Ludouici Iacob à S. Carolo, Philippus autem Seguinus, in bibliotheca sua Cisterciana M S. huius mentionem quoque faciens, vocat illum monachū Campi Beatæ Mariæ, Diœcesis Monasteriensis. alij tamen scriptores communiter illum scribunt religiosum Veteris Campi.

Hermannus Waldsassensis monasterij, in Germania, Abbas 7. vir angelicæ puritatis, adeoque & ipsis Angelicis spiritibus familiaris, quibus deuotissimus erat.

Scripsit (teste Waldsassensi chronico) *librum de excellentia & cultu Angelorum*. Qui tamen liber hactenus lucem non vidit. Hunc Hermannum etiam, ratione huius libri, inter Scriptores orthodoxos, & testes veritatis, recenset Eisegreinius. Obijt anno 1222. in Cistercio, vbi sepultus iacet ante altare SS. Trinitatis, in claustro Ecclesiæ. Vide Bruschium, & alios apud Henriquez in Menologio 29. Septembris, quo die illum Sanctis ordinis nostri adscripsit.

Hieronymus à S. Catharinâ, Religiosus congregationis Fuliensium, vir doctissimus in omnibus scientijs, *Opus elaborauit elegantissimum in Oseam Prophetam*, quod tamen morte præuentus vulgare non potuit. Relatio PP. Fuliensium ex vrbe missa 1651.

Hieronymus Llamas, in Sancti Clementis oppido, in Hispania natus; vir æterna laudis memoria dignissimus, & omnium retro sæculorum illustrissimis viris iure meritissimo adnumerandus; qui præter eximiam exquisitamque & reconditam eruditionem, summumque ingenium & judicium, quibus præditus erat, vitæ quoque fuit integritate singulari, candore animi atque sinceritate admirabilis, paupertatis amans, obedientiæ tenax, ambitionis, omnisque fastus contemptor egregius: adeò vt in illo, virtus cum doctrina, obedientia cum ingenio, pietas cum sapientia, certasse videantur. Iuuenis religioni nostræ se addixit in Caracetensi cœnobio: vndè (votis Deo nuncupatis) ad ordinis collegia litteris imbuendus transmissus, omnibus admirationi & venerationi fuit, ob illustria naturæ & gratiæ ornamenta, quibus eum singulariter præditum experiebantur. Decursus felicissimè studiorum spatijs, varijs religionis obsequijs & officijs applicatus, summam vbique laudem reportauit. Madriti longo tempore concionatoriam moderatus cathedram, mira sermonis efficacia vitia coarguebat, virtutesque commendabat, idque tanta venustate, & facundia, vt nunquam fatigaret Auditores Hinc maximus ad illum applaudentium populorum concursus, donec quandoque acrius sui temporis corruptelam quandam perstringendo, grauem in se procellam concituit; quam tamen tantâ animi constantia sustinuit, vt nihil maledicorum susurris motus, miro virtutum omnium documento probaret, se veri rectique amantissimum, & malis omnibus esse superio

 rem

rem. Quo factum fuit, vt tempestate se datâ, illustrius multò, non solum sapientiæ ac prudentiæ, verum etiam sanctitatis nomen apud omnes obtinuerit; qui deinceps, grauissimas quasque difficultates ad eum deferentes, tanquam ab oraculo responsa petebant. Inter quæ sapientiæ decora, tantâ erat modestiâ & animi submissione, vt ea quaqua poterat ope occultaret. Nunquam autem clarius virtutũ eius splendor emicuit, quam cum monasterij sui Carracetensis regimini admotus, Abbas salutatus fuit; tunc namque frequentius apparuerunt excelsus & infractus eius animus, grauissimis infirmitatibus & molestijs impetitus, humilis morum grauitas, & modesta seueritas; profunda humilitas, & suipsius contemptus; ac denique in Deum pietas, eiusque diuinas laudes feruentissimus animi zelus, cælesti quoque prodigio comprobatus: in tantum, vt (referente Henriquez in Phœnice) quandoque visus sit monachorum choro assistere, diuinasque laudes cum ijs alacriter decantare, dum tamen interim eadem hora, graui infirmitate correptus, lecto decumberet. De quo prodigio posteà conuentus, subridens, humiliter respondit: Spiritu in choro fui, à quo actum est, quod corpori negatum fuit.

Edidit *Methodum curationis Animarum*, librum sanè vtilissimum, excusum primò Madriti, in 4°. anno 1599. recusum deindè Moguntiæ, Grætij, & alibi sæpius; de quo etiam Posseuinus in Apparatu sacro.

Scripsit & *Dialogorum libros duos*, variâ & multiplici eruditione refertos; quorum tamen editionem, mors nimium intempestiuè superueniens, impediuit. Asseruantur interim studiosè Carraceti. Obijt Author pijssimè, anno Domini 1610.

Hieronymus Sanz, siue Sanches, Religiosus, & posteà Abbas monasterij de Benefezano, alias Bonifaza, in Regno Valentiæ, & Diœcesi Tortosæ; vir fuit insigni animi demissione, contemptuque sui ac rerum caducarum omnium: adeò vt cum esset Abbas perpetuus, multis precibus & exhortationibus, religiosos suos induxerit, vt dignitas Abbatialis hactenus in eodem monasterio perpetua, imposterum fieret triennalis. Cuius confirmationem simul ac à Summo Pontifice obtinuit, statim dignitate se abdicarit, reliquumque vitæ in omni humilitate & modestia traduxerit, historiarum præsertim Lectioni & scriptioni vacans.

Scripsit *Vitam Ioannis Aragonum Regis*. Item *Genealogiam Regum Aragoniæ, per modum Arboris*. *Regulam etiam Sancti Patris nostri Benedicti, ex Latina Hispanam fecit*.

Henriquez in Phœnice.

Hieronymus Socherius, natione Gallus; patria Aruernus, ab adolescentia in Montis Petrosi, Claromontensis diœcesis cœnobio monachus factus, indèque Parisios studiorum causâ missus, tantos ibidem in philosophicis & theologicis studijs progressus fecit, vt inter celeberrimos Doctores Sorbonicos Lauream quoque Doctoralem promeruerit. Doctrinæ eminentiam, iudicij maturitas & vitæ sanctitas ornarunt. Quibus titulis Henrico II. & Carolo IX. Francorum Regibus, alijsque Principibus & Magnatibus eximiè charus exstitit. Claræuallis electus Abbas, à Pio IV. Pontifice ad Tridentinum Concilium euocatus fuit, vbi sententias doctrinæ & prudentiæ plenissimas dixit, vt legentibus clarè exhibet epistola Sancti Caroli Cardinalis Borromæi, quam ad longum refert Gaspar Iongelinus in Purpura S. Bernardi. E Concilio ad suos in Galliam reuersus, mortuo Cisterciensi Abbate, eidem substitutus fuit.

Sed modica hic ei requies; qui anno 1568. à Pio V. (quantumuis renitens) Presbyter Cardinalis, titulo S. Matthæi in Merulana ordinatus, Romam

Romam (in virtute salutaris obedientiæ) ab eodem Pontifice euocatur per expressas litteras, quas etiam ex historia Iacobi Græci, refert Iongelinus suprà. Romæ, ob singularem gloriæ contemptum, vitæ moderationem, aliaq; sanctitatis indicia, omnibus admirationi fuit in tantum, vt Thomas Bozius in opere suo de signis Ecclesiæ, eum adnumerauerit *Patribus vita functis, quorum sanctitas ætate nostra multis operibus comprobata est.* Scripta reliquit plurima, præsertim, *Controuersias contra nostri temporis hæreses*, &c. quæ omnia in Claravalle asseruantur M.S. Titulos ego obtinere non potui. Compendium vitæ huius Hieronymi publicauit Paritijs anno 162·. Ant. de Costa, lib. 2. historiæ catholicæ. Obijt autem Romæ anno 1571. x. Nouembris, cuius Cor Claramvallem delatum fuit, reliquum verò corpus sepulturæ traditum in monasterio S. Crucis in Hierusalem, quod est ordinis nostri cœnobium, in Vrbe. Cui anonymus quidam sequens posuit epitaphium:

Cur voluit Præsul, Roma sua viscera condi?
An quia visceribus condita Roma suis?
Cur voluit magnum Gallis Cor vt esset in oris?
An quoniam cordi Gallia magna fuit?
Cur voluit Roma sepeliri marmore corpus?
An ne in delitijs quod sibi Roma foret?
Fallor, habet Cor Gallia magna, quod excors
Audito Patris funere facta fuit.
Viscera Roma tenet, tam sacro Præsule rapto
Quod sua visa sibi viscera Roma rapi.
Corpus Roma tenet, quod propria corpora sensit
In partes sese dissociare suas.
Gallus, Romanus, Socberi viscera, corque,
Sensere auferri, restituique sibi.

Vide Iongelinum suprà; & Nicolaum Baccetium libro vltimo suæ elegantis historiæ Septimianæ, vbi per occasionem in huius Cardinalis laudes & virtutes excurrens, præclara sanè narrat, de laboribus quos in Concilio Tridentino sustinuerit, de sententijs quas ibidem dixerit, ac denique de operibus ab eodem scriptis. Sed & Philippus Seguinus in sua Bibliotheca sæpè citata, de hoc viro agens, asserit illum inter alia, etiam scripsisse, *Insignem librum reformationis ordinis Cisterciensis, qui communiter vocatur, Hieronymianus* Item: *Epistolarum doctissimarum librum vnum.* Et reuerà, quod pro se excusatione Cardinalatus instanter scripserit Pio V. Pontifici, declarat ipse Pontifex in litteris suis suprà citatis, quibus illum Romam accersit: quas, vtpotè raras, & non parum ad viri commendationem spectantes, visum fuit hic pariter subiungere:

Dilecto filio nostro, Hieronymo, Abbati Claræuallis, S.R.E. Cardinali, Pius Papa V.

Dilecte fili, Salutem & Apostolicam benedictionem. Acceptis litteris tuis, & cognitis rationibus quas attulisti, cur tibi commodius existimes manere in ordine tuo, quam suscipere munus, ad quod vos superioribus diebus, de consensu Fratrum nostrorum promouimus; modestiam quidem, & probitatem tuam agnouimus, sed excusationem non esse accipiendam duximus. Nam quod existimas promotionem hanc tibi impedimento fore ad agendam curam monachorum regimini tuo commissorum, & monasteria quæ abs re visitari (vt à Claræuallensi Abbate debent) visitanda; ea res sese aliter habitura est, quam censes. Cardinalatus enim dignitas, adjumento potius erit ad officium illius maiore cum authoritate præstandum, & ea quæ monasteriorum necessitas exposcit, agenda. De ijs vero, quæ in eo esse debeant, qui ad hoc munus sumatur, quæ tibi deesse scribis laudamus quidem tuam istam humilitatem, sed non est tuum de te, quam sis eo muneri idoneus iudicare. Nostro acquiescere iudicio debes, &

cogitare, per ministerium nostrum, te à Deo vocatum fuisse; quandoquidem te nec opinante, in curarum & sollicitudinis nostræ partem, non nisi diligenti deliberatione assumpsimus, ad seruiendum nobiscum Dei honori, & sanctam Dei Ecclesiam, tam graui, & turbulento tempore, regendam, qui potens est, & ea quæ tibi dedit, dona augere, & quæ in te forsan desiderari possunt, addere; pro cuius obsequio & honore, nullos debes nec animi nec corporis labores subterfugere: sed eius vocatione confisus, ipsius gratiæ, & auxilio humiliter obedire. Debes verò, & charitatis officium postulat, vicem nostram dolere qui hac ætate onus multò grauius sustinemus, ad quod ferendum, tuâ, & tui similium opera indigemus. Accepto igitur, quod ad te misimus, huius honoris insigni, omni excusatione omissa, constitutis prius ordinis tui istic rebus, ad vrbem quam breuissimo tempore te conferas; quod vt facias, in virtute sanctæ obedientiæ tibi mandamus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die octauâ mensis Maij anno 1568.........

Signat. Ant. Lommelinus.

Hieronymus Treuisanus, illustri in Italiâ Treuisanâ familiâ natus, religiosus & Abbas monasterij Sancti Thomæ, in vrbe Torcellanâ, ditionis Venetorum, ac posteà Cremonensis Episcopus. *Philosophus & Iurista* fuisse perhibetur *scriptis suis clarus*, per vniuersam præsertim Italiam: quorum tamen titulos nondum assecutus sum.

Iongelinus in originibus monasteriorum ordinis.

Hilarion de Rancate, natione Italus, & congregationis Sancti Bernardi, Lombardiæ & Thusciæ, alumnus; vir nunquam satis laudandus, & æternâ memoriâ dignissimus, cuius paucissimos pares tulit sacer ordo noster per Italiam: Doctrinâ, prudentiâ, religiosâ conuersatione, gubernandi peritiâ plurimùm spectabilis, in consilijs suis ad miraculum prudens, linguarum notitia clarissimus; vtpote etiam Hebraicè, Syriacè, & Arabicè doctissimus. Quorum omnium intuitu, iam per 26. annos, duobus summis Pontificibus à secretissimis fuit consilijs. De quo (litteris suis ad me datis ex Vrbe Româ 12. Octobris anni 1647.) ita scribit doctissimus Carolus Emmanuel Maldura, S. Theol. Professor in illustrissimo cœnobio S. Crucis in Hierusalem: *Reuerendissimus Dominus Abbas noster Hilarion, typographis aut non fauit hactenus, aut vacare non potuit, cum tamen plurimum eos exercere possit, si aduersaria sua in ordinem redigere velit, aut potius valeret; vt enim à 25. annis citra, à duobus summis Pontificibus in magnis quibuscunque negotijs, & congregationibus adhibitus fuit, vix credi potest, quæ responsa, quot tractatus omnifariæ eruditionis, in theologia siue expositiua, siue morali, siue denique scholastica, scripserit: nec desunt, quæ ad historiam, quæ ad Concilia, quæ ad Canones spectant; sed assiduis negotijs, & studijs vix superest tempus ad ea relegenda. Eius cum laude meminit Cornelius à Lapide in Ecclesiasticum, Prolegomenon cap. 3. Vbi ab eodem Reuerendissimo versionem ex Syriaco accepisse se ait; est enim Reuerendissimus Pater, inter cætera Hebraicè, Syriacè, & Arabicè doctissimus. Meminit eiusdem Theodorus Forestus, in suis commentarijs & disputationibus de Trinitate, disp. 1. cap. 3. vbi citat eruditissimum tractatum de Trisagio, ab eodem Reuerendissimo conscriptum à 25. annis:* hactenus Maldura. Porrò viuit adhuc Venerabilis Hilarion, hodièque dum hæc scribo, anno 1648. Abbatiam Sanctæ Crucis in Hierusalem, Romæ moderatur, estque vniuersalis Inquisitionis Romæ Consultor.

Hilarion Tadinus, Mediolanensis, congregationis Lombardiæ religiosus, tam sæcularibus quam diuinis litteris ornatissimus, nec non & vitæ sanctimoniâ clarus,

Septem

Septem Psalmos pœnitentiales, carmine hexametro paraphrasticos, doctissimè exposuit. Quod opus asseruatur in bibliothecâ collegij Sanctæ Crucis in Hierusalem, Romæ. Authorem hunc viris illustribus ordinis nostri Cisterciensis etiam annumerat Romæ Rusca. Series scriptorum Italiæ, ex vrbe ad me missa 1647.

S. Hildegardis Abbatissa Montis Sancti Ruperti, alias Roberti iuxta Bingam, Diœcesis Moguntinæ, varijs scriptis illustris (quæ recenset Trithemius) non fuit Cisterciensis (quidquid dicant Henriquez in Menologio, Montalbus in chronico suo, & alij:) sed Benedictina nigri habitus, vt mihi certò constat, ex diligenti inquisitione, quam aliàs hâc de re habui, dum in tractu illo Ebirbaci degerem, montemque S. Roberti subinde visitarem. Suspicor, autem, citatos Montalbum & Henriquez, errorem suum hausisse ex cap. 68. vitæ B. Iulianæ Corneliensis vbi legitur, Iulianam exulantem à monasterio suo, deflexisse ad montem Sancti Roberti, monasterium monialium ordinis Cisterciensis. Verum, hoc monasterium diuersum est à priore, vtpotè situm in diœcesi, & haud longe à ciuitate Leodiensi: prout etiam in vita memorata refertur; prius vero, in diœcesi Moguntina, vt dictum est.

B. Hildegundis Virgo, quæ sexum mentita, habitum ordinis nostri assumpsit in Sconaugiâ Cisterciensi, virorum cœnobio in Palatinatu electorali, in quo ad finem vitæ suæ sanctissimè perseuerauit. Cum autem esset litterarum scientiâ haud vulgariter instructa, scripsit carmine non inuenusto, *Libellum insignem, de vita ac prærogatiuis Sancti Ioannis Baptistæ, ac gaudio parentum ipsius:* referente Cæsario Heisterbacensi, Lib. 8. memorabilium sui temporis, cap. 50. Vbi hæc de Beatâ hâc Virgine scribit: *Præcursorem Domini plus omnibus Sanctis dilexit, nec sufficiebat ei de illo cogitare, illum obsequijs & orationibus honorare, alijs illius prærogatiuas prædicare; quin etiam ad perpetuandam eius memoriam, versificaretur de eius annuntiatione, natiuitate, & gaudio parentum: Litterata siquidem erat, & ideò versibus prosequi studuit, quidquid de illius sanctitate legerat,* &c. Vide Manriquez in Menologio 5. Augusti. Vitam huius Virginis publicauit Angelus Manriquez, tomo 3. Annalium Cisterciensium, partim ad annum 1186. cap. 7. ubi etiam, numero 12. recenset scripta huius Virginis. Publicauerat etiam anteà hanc vitam Matthæus Raderus, Soc. Iesu, in suo Viridario. Porrò, conscripta fuit dicta vita primitus, à Monacho Schonaugiensi, vt infrà dicemus, verbo, Sconaugia.

Honorius, Monachus celeberrimi Cœnobij *de Cupro*, in Scotiâ, & postea Brechinensi Episcopo Vicarius, vt in Scoti Chronico habetur. Vir suo sæculo litteratissimus. Scripsit:

Linguarum Orientalium Synopsin, lib. 1.

De lingua Hebraica, lib. 1.

Dictionarium Hebraicum, lib. 1.

Parphrasim in uniuersum testamentum vetus, cum Repertorio libb. nouem.

Chronicon Rabbi Salomonis, siue, Commentarium de rebus Romanorum, Hebraicè conscriptum, latinitate donauit.

Florebat, anno 1452. Demsterus, n. 679.

Hubertus Rudolphus (vulgo Raul) Adomarensis, Abbas dignissimus monasterij de Claro marisco, siue, Claræ paludis in limitibus Flandriæ & Artesiæ, olim Morinensis, nunc verò Audomarensis Diœcesis, Edidit *doctum Panegiricum, de rebus ab Alexandro Farnesio Parmensi Principe in Belgio gestis:* impressum Duaci apud Bogardum, & postea iterum Coloniæ, anno 1598. apud Mylium. Obijt anno 1594. Hunc illustribus Flandriæ scriptoribus etiam adnumerant Ant. Sanderus; & Valerius Andreas in Bibliothecâ Belgica.

Hugo, ex monacho Claræuallis (testibus Ignatio Firmino, & Angelo Manriquez) monasterij Trium Fontium in diœcesi Cathalaunensi Abbas secundus, ac postea anno 1150. ab Eugenio

mandauit, & in diuersos libros redegit: quos se vidisse testatur Lelandus, apud Ripondanum in Northumbriâ. Extant adhuc ex ijs libri duo, dedicati Ioanni Fontanensis cœnobij Abbati, *De origine & progressu Fontanensis cœnobij*. Et, *Historia rerum à monachis Cisterciensibus in Anglia gestarum*. Claruit anno redemptionis humanæ 1220. dum rerum in Anglia potiretur Henricus III. Vide Authores citatos, Lelandum, & Pitsæum. Huius Authoris, non sine insigni encomio, meminit Andreas Thenet, in opere suo de Viris Illustribus, lib. 3. pag 146.

Hugo, cognomento, Matisconensis, Sancti Bernardi consanguineus, & ab ipso, ac cum ipso ad religionem conuersus, interuentu miraculi: mox antè ipsum electus in Abbatem primum & fundatorem cœnobij Pontigniacensis, anno 1114. Exemptionem Abbatum ab Episcopis, primus (vt creditur) prouidè inuenit, aut exe cutus est. Anno 1127. à capitulo generali missus fuit legatus ad Ludouicum Francorum Regem; anno verò sequenti 1128. concilio adstitit Trecensi. Postmodum in Episcopum promotus Antisiodorensem, anno 1148. Concilio interfuit Rhemensi, à quo, nomine vniuersæ Ecclesiæ Gallicanæ, missus fuit legatus ad Eugenium Papam III. Tandem plenus dierum & virtutum, obdormiuit in Domino, anno 1151. 6. Idus Octobris vt (ex Mortilogio Pontigniacensi) refert Manriquez in serie Abbatum Pontigniacensium, ad calcem tomi 1. Annalium Cisterc. sepultusque fuit Pontigniaci iuxta mains altare, ad latus euangelij, vbi eius corpus post quatuor sæcula adhuc integrum fuit repertum, sed ab hæreticis Caluinianis impiè laceratum, & combustum.

Scripsit *Opusculum insigne, de conseruandis Ecclesiæ priuilegijs*. Quinimò Reuerendissimus Pontigniacensis Abbas modernus, S. Theol. Doctor, & varia eruditione clarissimus, in serie scriptorum Pontigniacensium, quam anno 1648. ad me misit, *Probabile sibi videri asserit, illum præ omnibus alijs primus Patribus nostri ordinis, scripsisse, & ea compilasse, quæ de nostro ordine per id tempus habemus.* Quia vir erat summæ eruditionis, & maximi ingenij.

Humbertus (alijs, Hymbertus) Pruliacensis cœnobij, in Senonensi diœcesi Abbas, in diuinis scripturis longa exercitatione consummatus, atque in philosophia peripatetica nobiliter doctus, vt testantur præclara opera, quibus nomen suum posteritati in benedictione reliquit. Conscripsit namque,

Diserta commentaria in vniuersam Aristotelis metaphysicam; & in libros de Animâ. Quæ in membranis descripta, adhuc asseruantur in Caroli loco, vt in relatione ad me missa ex Gallijs, scribit doctissimus Claudius Chalemot, eiusdem loci quondam Prior, nunc autem Abbas de Columba. Id quod etiam anteà notauerat Seguinus in bibliotheca. Scripsit insuper

Commentaria (succincta, sed solida) in quatuor libros Sententiarum Petri Lombardi: quæ hodiè adhuc reperiuntur in monasterio nostro de Dunis & etiam Louanij, in Valle Sancti Martini, Villarij, & alibi.

I.

IAcobus de Alta Villa, Patria Rhingoius, Abbas cœnobij Ebirbacensis, diœcesis Moguntinæ, S. Theol. Doctor, & in Parisiensi Academia quondam professor celeberrimus; vir fuit ingenio, ad stuporem, subtilis, & in theologicis ac philosophicis scientijs præclarè eruditus. Scripsit

Commentaria amplissima, & subtilissima in quatuor libros Sententiarum, quæ etiamnum manuscripta in membranis, studiosè asseruantur in bibliotheca monasterij nostri de Dunis Scripsit & *Librum variarum quæstionum, & plura alia*; teste

Reuerendiſſimo Domino Ioanne Blanckenbergh. Abbate Veteris Montis, S. Theol Doctore, in relatione M S. quàm ſuperiore anno mihi tranſmiſit: horum tamen titulos inuenire nequiui. Floruit autem tempore Caroli IV. & Innocentij VI. Pontificis, anno 1360. obijtque anno 1393 ſepulturam conſecutus inter Prædeceſſores ſuos, in capitulo monaſterij ſui Ebirbacenſis, quam ipſe ſæpius vidi. Vide de hoc Iacobo etiam Guilhelmum Eiſegreinium, in libro de ſcriptoribus orthodoxis, vbi eum nominat, *Theologum verè profundiſsimum, & Rhetorem inſignem.* Ioannes Bunderius, in indice M. SS. codicum Belgij, vocat hunc Iacobum Barbac, (pro Ebirbach) de Albâ-villâ, & Commentaria ipſius extare etiam dicit, in Rubro Clauſtro, iuxta Bruxellas.

Iacobus Ægidij, Monachus Cœnobij de *Capellâ Tholan* vulgo. ... in Flandriâ *Tragedias Senecæ doctis illuſtrauit notis.* Quod opus nitidè in membranis deſcriptum, ſeruatur in Bibliothecâ noſtrâ de Dunis. Vixit Author anno 1477.

Iacobus natione & cognomine Anglicus, Ordinis Ciſtercienſis monachus, & S. Theol. Doctor fuit Pariſienſis, cuius tempore, Stephanus Lexingtonus Anglus, Abbas Claræ vallenſis, aduertens Ciſtercienſes monachos à Dominicanis & Minoritis vtcunque deſpectui haberi quod vniuerſitates non frequentarent, adeoque nec viros ſolidè doctos haberent, collegium pro Claræ vallenſibus in vniuerſitate Pariſienſi erexit, in Carduneto, in ipsâ ſcilicet domo Comitum Campaniæ, in quo collegio omnium primò Iacobus noſter Philoſophiam, & poſteà etiam Theologiam docuit. Porrò collegium hoc ab Abbate Claræ vallenſi pro ſuis dumtaxat ædificatum, poſtmodum à Benedicto Papa 12. vniuerſo ordini Ciſtercienſi commune redditum fuit, vt notat Iacobus de Breui, in ſuo Theatro antiquitatum Pariſienſium.

Scripſit autem Iacobus pauca quidem, ſed præclara opera: nimirum,

In Cantica Canticorum. Lib. vnum.

Conciones in Euangelia. Et,

Lecturas ſcholaſticas varias.

Guillielmus Eiſegreinius in catalogo ſcriptorum orthodoxorum, huius viri mētionem faciens, vocat illum, virum doctiſſimum, nec vlli theologorum ſecundum.

Vide etiam Pitſæum de ſcriptoribus Britanniæ.

Claruit circa annum Domini 1270.

Iacobus de Bugnin, patria Lauſannenſis, primò ſæcularis Sacerdos, & Parochus Sancti Martini de Vallibus & poſtmodum Religioſus Ordinis Sancti Bernardi (teſte Antonio du Verdier, in Bibliothecâ ſuâ Gallicâ) Scripſit rythmis Gallicis, inſigne opuſculum, cuius Epigraphe eſt: *Le congé pris du siecle ſeculier* In quo, ordine alphabetico recenſentur ſententiæ memorabiles, lectuque digniſſimæ, ex quibus ipſe *Verdier* in Bibliothecâ memoratâ plures producit. Prodijt hoc opuſculum anno 1480. Lugduni, typis Petri Mareſchal.

Iacobus Cobelius, *Religioſus* Alderſpacenſis, vir non minus pietate, quam doctrinâ præſtans, contemplationis præſertim & quietis deuotæ ſtudioſus, *Regulam Benedictinam notis aſceticis pulchre dilucidauit.* Scripſitque inſuper, *diuerſos precum & meditationum libellos*: tantæ pietatis, vt vix vnus ſit in iſto monaſterio religioſus, qui aliquo careat. Obijt à paucis annis. Perilluſtris & Exim. D. Caramuel, in epiſtolâ dedicatoria 1. partis ſuæ Theologiæ regularis.

Iacobus D'esleges (*alijs Robertus*) monachus de Longo-villari, in tractu Bolonienſi ſcripſit *Hiſtoriam quandam huius temporis.* Item. *Opus pergrande in commendatarios Abbates* manuſcripta ibidem, in longo Villari.

Ex relatione Eximiorum Dominorum Ioſephi

ſephi Arnolfini, & Claudij Chalemot, S. Theol. Doctorum Sorbonicorum.

Iacobus Falco Hiſpanus Valentinus, Eques militiæ Ciſtercienſis de Monteſa, nuper Antuerpiæ typis Bellerianis edidit *Inſignem commentarium de quadratura circuli.*

Iacobus Furnius, ſiue Furnerius, ordinis Ciſterc. ſcripſit *in Pſalterium.*

Draudius in Bibliothecâ vniuerſali. Credo tamen hunc eſſe eundem cum Benedicto Papâ 12. qui ante Papatum hoc vocabatur nomine.

Iacobus Græcus, Syllanæus Monachus S. Ioannis de Flore, ſeu Florenſis, Ord. Ciſterc. Vir eruditiſſimus, ac S. Theol. Doctor, Scripſit, edidit que *vitam & Miracula B. Ioachim, Abbatis eiuſdem Monaſterij.* Item: *Apologiam pro eodem Abbate*, Coſentiæ excuſam, quam Francisco Epiſcopo Marſuranenſi dedicauit. Reliqui & alia doctrinæ ſuæ monumenta, quæ adhuc M. SS. aſſeruantur viuebat, anno 1618.

Iacobus Ianuarius, monachus cœnobij Sanctarum Crucium, in Aragoniæ regno; vir ingenij acumine, nec minori doctrinâ præſtans, quibus fretus, totum ſe dedit ad obſcura Raymundi Lullij ſcripta exponenda. Hinc ſcripſit *Commentaria in metaphyſicam ipſius Raymundi.* Opus inſigne, quo ingenij ſui ſubtilitatem, & eruditionis profunditatem prodit. Floruit circa annum Domini 1593.

Iacobus Lievins, natione Flander, religioſus cœnobij noſtri de Dunis, & Theologus Pariſienſis, circa annum 1450. tanta doctrinæ & prudentiæ fama claruit, vt à diuerſis Prælatis aliiſque viris primæ authoritatis, in arduis quibuſcunque negotijs, tanquam oraculum aliquod conſuleretur. Scripto reliquit *Inſigne volumen concionum*, *d. Tempore* Adrianus Meſdagh, in Chronico Dunenſi. Obijt 1466.

Iacobus cognomento, Polonus, religioſus Cœnobij de Paradiſo, diœceſis Poſnanienſis in Polonia, floruit anno 1496. vir eximia doctrina, diuina memoria, atque ſumma tùm ſacræ, tum prophanæ hiſtoriæ cognitione præditus. Plurima ſcripſit *de diuerſis materijs*, ex quibus, typis excuſum extat inſigne opus, quod intitulauit; *Speculum Religioſorum*; de quo ita cecinit Laſcrouicius:

Abdita neſſe cupis veterum veſtigia Patrum,
Felices celſum queis petiere polum?
Iſte viam facilem virtutis ad æthera monſtrat,
Contemptis mundi, carnis & illecebris.
Omnibus admiranda ſacra monumenta reliquit
Doctrinæ, vt videant dogmata vera Patrum.
Patribus antiquis magni tribuuntur honores,
En par hiſce fuit, par decus inde refert.

Doctoratus S. Theol. titulum à Cracouienſi Vniuerſitate ſibi oblatum, ex humilitate recuſauit, quemadmodum et an & dignitatem Abbatialem in ſuo monaſterio, quam (eo recuſante) acceptauit confrater eius, nomine Petrus, S. Theol. Doctor, anno citato 1496. De hoc plura Cromerus de Rebus Polonorum, lib. 8. teſte Iongelino, in notitia Abbatiarum, de monaſterijs Poloniæ.

Notandum autem hic ſpecialiter duxi, hunc eſſe illum Iacobum de Paradiſo, quem Theodorus Petreius in bibliotheca Carthuſiana cōfundit cum Iacobo de Cluſa, S Theol. Doctore & profeſſore publico, qui poſt profeſſionem 40. annorum in ordine noſtro, ad Carthuſianos tranſijt, apud quos diuerſa conſcripſit opuſcula, quæ ibidem ipſe Petreius recenſet; tametſi fateatur, alios ſcriptores, hos duos inter ſe diſtinguere; prout etiam debere ab inuicem diſtingui, oſtendam ex ipſiuſmet Petreij verbis, collatis cum ijs quæ iam attulimus ex Cromero, ſcriptore Iacobi noſtri conterraneo. Petreij itaque verba hæc ſunt loco citato, littera I. *Iacobus de Cluſa, alias de Paradiſo, licet alij diuerſos fuiſſe exiſtiment)*

stiment) antè ordinis ingressum, S. Theol. Doctor, ac professor publicus, postmodum verò Erphordianæ Carthusiæ alumnus, scripsit tractatum de apparitionibus Animarum post exitum à corporibus, & earundem receptaculis,&c. Et *infra: Cæterum, ante ordinis ingressum, inter Cistercienses vixit, per annos circiter quadraginta: mansissetq; forsitan apud illos, ni Abbatis nomen & omen subterfugiens, maluisset sine vllo officio apud Carthusianos delitescere, ac librorum scriptioni operam impendere, quam Prælaturæ sarcinâ prægrauari. Quod ibidem etiam ad annos duos supra viginti, pro viribus præstitit. Obijt enim ætate plusquam octogenarius, anno nimirum Domini* 1465. *in peruigilio SS. Philippi & Iacobi, quemadmodum Auctor ille prodidit, qui vitam illius, vtpote contemporaneus, ac discipulus, anno Domini* 1482. *conscripsit, nempe Iacobus Volradi.* Hæc ibi. In quibus verbis, aduerte 1. Iacobum de Clusa Doctorem fuisse theologum, & professorem publicum. 2. anno 1442. Abbatiæ onus fugientem ad Carthusianos deflexisse; ac 3. obijsse anno 1465. Cum è contra, Iacobus de Paradiso, 1. nunquam fuerit Doctor theologus, sed titulum Doctoris recusauerit. 2. anno demũ 1496. maximè floruerit, quo scilicet anno ad Abbatiam postulatus fuit, 31. annis post obitum Clusæ: quæ omnia simul collata, diuersitatem personarum clarè conuincunt. Quocircà, Iacobum de Paradiso nobis retinentes, Iacobum de Clusa, cum scriptis suis, Carthusianis relinquemus. Tametsi vix dubitandum videatur, quin tempore 40. annorum, quo inter nostros vixit, & studijs ac scriptioni tam impensè deditus erat, quædam opera scripserit (maximè, cum theologiam doceret) quæ proindè etiam Cisterciensibus abscribi possent.

Iacobus Seghers, religiosus & subprior, prioratus S. Saluatoris (vulgò, Petri Pots, à Loci fundatore) in ciuitate Antuerpiensi, concionator disertissimus edidit,

Conceptus concionatorios morales, supra Dominicas æstiuales patre labore genitos, matre sapientia natos, penna obstetrice susceptos. Impressit Louanij Andreas Bouuet, in 4°. 1645. Sub prælo nunc habet tomum alterum continentem

Conceptus Morales in Dominicas hyemales.

Edidit & librum, cui titulum præfixit: *Militia sæcularis & spiritualis, quam Perseus peregregijs conceptibus, tum sacris, tum prophanis instructam, in huius anni* (1647.) *auspicio, cum palma victoriæ, & oliua pacis, exhibet,* authore R. D. Iacobo Seghers, prælaturæ Sancti Saluatoris, ord. Cisterc. Antuerpiæ, religioso, & Vicepriore Impressit Antuerpiæ Christophorus Jeghers, anno 1647. Viuit adhuc hoc anno 1649. cuius fæcundus calamus plura parturiet.

Iacobus de Somaria: Vide, *Ioannes de Villario.*

Iacobus de Thermis, S. Theol. Doctor, Abbas primum Caroli Loci, ac deindè Pontigniacensis, numero 18. Iuris vtriusque, & sacræ theologiæ peritissimus; plura scripsit, ex quibus adhuc extant in bibliothecis Caroli Loci, & Sancti Victoris Parisijs (referente Seguino) opera sequentia,

Defensorius Iuris, lib. 1.

Contra Pseudo prophetas, lib. 1. Et

De quæstionibus theologicis, liber 1.

Lego etiam in catalogo bibliothecæ monasterij Laudensis in Gallo Flandria, apud Ant. Sanderum parte 2. bibliothecæ manuscriptæ Belgicæ, extare in dicto monasterio *Egregium quoddam opus*, ab hoc Iacobo conscriptum, *continens varios tractatus, contra impugnantes exemptiones religiosorum*: quos tractatus Author exhibuit SS. Pontifici Clementi V. in Concilio generali Viennensi, an. 1312. Videntur autem scripti cõtra Ægidium Romanũ, ex ordine Augustiniano Episcopũ, qui tunc temporis dictas exemptiones, præsertim monachorum, valdè impugnabat. Asseruatur hoc opus etiam in Cistercio, verum, vtrum distinctum sit à *Defensorio Iuris*

laris, suprà recensito, me latet. Denique illum *aliquod saltem S. Scripturæ textus expósuisse*, videtur posse colligi ex epitaphio ipsius, quod ex monumentis Pontigniacensibus profert Reuerendissimus Manriquez in serie Abbatum eiusdem loci, ad calcem tomi 1. Annal.

Quem tenet hic fundus, Doctor fuit iste profundus:
Sanctus-vi Edmundus, fuit absque libidine mundus.
Istius Ecclesiæ pater, & fons Theologiæ,
Vitæ norma pie, fervens in amore Mariæ.
In testamentis præclarus scriba duobus.
Centum ter decies, septem ter, lumine Lucæ,
Migrans ab hac luce. Sit sibi Christe quies. 1321.

Collationes ipsius *super Apocalypsim*, quarum initium est: *Princeps Regum terræ dilexit nos*, &c. extant Villarij, teste Bunderio, in Indice, lit. I.n. 10. & 45. Cæterum, Opus eius *contra Impugnatores exemptionum* quod sic incipit, *Saluabo gregem meum, & non erit, vltra in rapinam*, & quia amplum est, ipsemet in compendium redegit, & Pontifici Clementi 5 Viennæ obtulit 1312. eius initium est: *quia in paucioribus via* hoc Compendium nuper edidit Odenius Raynaldus Præsbyter Oratorij annalium Ecclesiast. continuator, in Appendice ad 15. tomum, desumptum ex codice vaticano signato, n. 2109. sub hoc titulo: *Compendium tractatus F. Iacobi, Abbatis Cisterc. Ordinis, Syluanectensis Diœcesis, contra Impugnatores exemptionum Regularium, ab eo editum in Vienna, tempore concilij generalis.* Denique extat etiam in Laudensi Cænobio, *Responsio P. Iacobi de Thermis facta summo Pontifici Ioanni 22. in Auenione post concilium in Vienna celebratum, super quibusdam interrogatis concernentibus Ordinem Cisterciensem.*

Iacobus de Vaux, Aureæ vallis in ducatu Luxemburgico monachus, & monialibus Clarifontis à sacris confessionibus; descripsit *Vitam, & res præclare gestas*, *B. Ioannæ Abbatissæ eiusdem loci* quæ fuit filia Henrici Marchionis Luxemburgensis, Comitis Arlunensis, Rupensis, &c.

Historiam item fundationis, & progressus dicti monasterij Clarifontis, M.S. ibidem, & in Aurea valle. Viuebat anno 1630. & posteà.

Iacobus Wimesius Abbas Iardineti, seu Hortuli, apud walcuriam, Comitatus Namurcensis in Belgio, scripsit *Vitam prædecessoris sui, B. Ioannis Eustachij, 1. Abbatis eiusdem monasterij*, quam Latinè edidit Chrysostomus Henriquez, in Fasciculo lib. 1. dist. 16. & anteà Gallicè, Ioannes d'Assigny, in Conclaui rerum memorabilium ordinis Cisterc. tomo 1. cap. vltimo. Vide etiam Arnoldum de Raisse. in Auctario ad Molanum, 20. Septembris. Vixit Wimesius circa annum Domini 14[?]0.

Ignatius Firminus, de Ibero, monachus Nucalensis in Hispania, vir vndequaque magnus, doctrinà, prudentia, gubernandi peritia, animi magnitudine, & omnimoda virtute. Quem nulla dies vidit otiosum; quia omne tempus à diuinis laudibus, alijsque obedientiæ exercitijs liberum studijs impendit. Non potuit tam ardens, & lucens lucerna, intrà monasteriorum nostrorum parietes diu abscondita manere; quia Complutensis Academia, fulgidis eius radijs perceptis, eidem (S. Theologiæ doctorali laureâ prius insignito) Durandi cathedram moderandam commisit; quam tanta cum doctrinæ æstimatione gubernauit, vt Philippus II. prudentissimus Hispaniarum Rex, cum indè euocatum, celeberrimo Fiteriensi monasterio, in regno Nauarræ, Abbatem præfecerit perpetuum. Vbi multis occupationibus expeditus, totum se illustrationi ordinis nostri impendere decreuit. Quare, ex Nucalensi monasterio, virum religione & doctrina conspicuum, sibi anteà notum, & familiarem, Bernardum de Villalpando, ad se inuitatum, de Superiorum li-

centiâ, in Gallias transmisit, vt lustratis celebrioribus ordinis nostri bibliothecis, diligenter adnotaret, quidquid ad ordinis commendationem, & splendorem spectans, reperiret. Quod hic etiam fideliter peregit, vt suprà vidimus, cum de illo egimus. Collectionibus & annotationibus hisce instructus Ignatius, varias & egregias meditabatur lucubrationes; sed importuna superueniens mors, omne eius propositum interturbauit, & sic plura præclara opera tenebris inuoluit, & sepeliuit. Librum tamen vulgò dictum, *Exordium ordinis Cisterciensis minus, pluribus in locis auxit, & notis illustratum imprimi curauit* in suo Fiteriensi cœnobio, anno 16.0.

Scripsit & notas in Exordium maius, (sed nondum editas) quibus se vsum fuisse in annalibus suis fatetur Manriquez tomo 2. ad annum 1164. cap. 10. n. 9.

Sed & Gaspar Iongelinus in originibus monast. &c scribit se habere *Lignum vitæ ordinis Cisterciensis*, huius Authoris opus. At Henriquez in Phœnice, hoc ipsum adscribit Bernardo Villalpando, vt suprà vidimus.

Contulerat etiam secum ex Nucalensi monasterio varia scripta clarissimi viri Cypriani Huergensis, quæ obstetricante manu expolita, luci dare decreuerat. At operi immortuus, Ecclesiam hoc thesauro ditare nequiuit. Obijt cum singulari sanctitatis opinione, anno Domini 1612. Henriquez, & Manriquez locis citatis.

Ignatius Huartus (vernaculè Huart) Religiosus B. Mariæ de Alna, in Patria Leodiensi, Philosophus subtilis & S. Theol quondam Professor. Edidit librum huius tituli: *Bernardus Abbas, seu, Sanctus Prælatus, hoc est flores Pastorales ex selectissimis quibusque diui Bernardi, Operibus collecti, in gratiam Prælatorum omnium tam sæcularium quam Regularium* &c. Louanij 1651. apud Hieron. Nempeum continet 189. capita in 4.

Scripsit *& alia plura* quæ ex ordine recenset in Epistola ad me data 13. Iulij, anni 1654. quam proinde epistolam hic inserere placuit.

Reuerendo Domino, D. Priori celeberrimi monasterij Dunensis.

Reuerende Domine

Scribit mihi R. D. Benedictus, desiderare Dominationem vestram, catalogum librorum nostrorum editorum, vel suo tempore edendorum: Item nomina Scriptorum huius nostri & vestri monasterij, sed hic neminem noui qui aliquid scripserit, præter Matthæum Lamberti quondam Priorem, *qui scripsit in Regulam*: Alia aliorum scripta pauca vidi, & quæ nullius sunt momenti. Ad mea quod attinet, illa sat ægrè mitto, quia tamen ita iuberis, præferam obedientiam confusioni propriæ:

Scripsi, sicut scitis, *Bernardum Abbatem*, cui tale testimonium perhibuit Reuerendissimus Pater Marchantius, Commissarius generalis Ord. Patrum Recollectorum Sancti Francisci in litteris ad suum Cognatum, & sæpè alias in familiaribus suis colloquijs: *Accepi R. D. Ignatij Huart Bernardum, siue Prælatum sanctum, in quo, & Collatoris industriam, pietatem, nec non libri utilitatem demiratus sum: Omnibus enim non tantum Prælatis, sed & subditis utilis est, melliflui sui Doctoris suauissimum odorem spirans.*

Scripsi item *Commentarium in librum Sancti Bernardi de gratia & libero arbitrio, cum Vindicijs, & Appendice earum pro eodem.* Sed suppresso nomine proprio, vt scitis, huic operi tale item testimonium perhibent etiam Doctores Galli, suo quidem idiomate, ubi præmissis laudibus & excellentia dicti libri, & Authoris eius, de discipulo eiusdem sic loquun-

loquuntur. *Vn digne filz de ce diuin Pere, & vn sçauans disciple de ce grand Maistre, nous à donné de puis peu cest excellent liure de S. Bernard. auec vn docte commentaire, ou il accomplit parfaictement ce qu'il auoit promis de faire voir, comme ce traictè est conforme en toute chose au grand S. Augustin. &c.* In Apolog. â pro Sanctis Patribus Ecclesiæ parte 3. puncto 3. articulo 26 ad sæculum 2 fol. 531.

Scripsi, & dictaui aliquandò, sed necdum edidi,

Commentarium in Logicam Aristotelis siue, Aristotelem rationalem, dilucidissimis, breuissimisque commentarijs ex selectissimis quibuscunque Philosophis, Recentioribus & Antiquis, illustratum. Cui operi, sequens perhibuerunt testimonium Professores Louanienses.

Litteræ, & censura eruditissimi Domini D. Iudoci Houbraken, SS. Theol Licentiati, & Professoris Philosophiæ, in celeberrimo Pedagogio Porcensi, almæ Vniuersitatis Louaniensis:

Reuerendo & eruditissimo Domino D. Ignatio Huart, in florentissimo Monasterio Alnensi, Religioso, & S. Theologiæ Lectori, &c.

Reuerende & eruditissime Domine,

Tuos in Logicam commentarios, rogatus, cum voluptate & admiratione legi, eosque multis alijs tam manuscriptis quam typo excusis, longè præferendos censeo, adeòque publicâ luce dignissimos. Methodum Louaniensium ac sententias in plerisque ritè ac rectè obseruas, & prolixa breuiter, & obscura clarè, cum magna ingenij tui & sermonis laude, proponis & exponis: proindè, quantum possum, exhortor, vt ea quæ in gratiam Religiosæ Iuuentutis scripsisti, publici iuris quamprimùm facias, nec monasterij claustris concludi ea finas, quæ etiam vsibus nostris queant prodesse. Ita vale, & inter eruditionis tuæ cultores numera

Rtiæ. tuæ	Humillimum Famulum &
Louanij, 20. Ianuarij 1652.	Amicum, Iudocum Houbraken.

Porrò, scripsi item, *Bernardum abbreuiatum*, ad Bertrandum Textorem Doctorem Theologum, & Priorem Bonifontanum, in Therascia, nostri Ordinis. Et item,

Sancti Bernardi faciem immaculatam. Necdum sunt hæc edita, dicuntur tamen à Doctoribus Gallis, in suis litteris, *Opus pulcherrimum, excellentissimum, elegantissimum.* & diu est quod vrgent eorum editionem.

Scripsi similiter, sed necdum edidi, *Bernardum Monachum*; in quo, quidquid ab alijs de vitâ spirituali scriptum est hactenus, Sancti Doctoris verbis exprimitur, & ab illo mutuatum probatur.

Hæc ferè sunt, quæ scripsi, & si qua sunt alia, non sunt adhuc elimata, nec tanti momenti. Reuerentia vestra mihi parcat, si stultus fui, ipsa me coëgit.

His maneo æternum	Rtiæ Vestræ humillimus
Reuerende Domine,	Seruus, F. Ignatius Huart.

Cæterum, circa hæc, notandum est, *Commentarium in librum S. Bernardi de gratia & libero arbitrio*, editum sub nomine anagrammatico Ranutij Gigati, scriptum esse in fauorem Doctrinæ Ianseniauæ, sed refutatum per Bertrandum Tissier, vt suprà diximus, verbo, *Bertrandus Tissier.* Dolendum sanè Ignatium nostrum, tam iniquæ causæ patrocinium suscepisse qualis est Ianseniana doctrina, contra vniuersos Scriptores sui Ordinis, Petrum à Sancto Ioseph, Ioan. Caramue-

Caramuelem, Bertrandum Textorem, & alios quibus & in nostro Dunensi cœnobio hactenus, Theologi omnes consensimus, & quam rectè euentus docuit, diuersis iam Ianſenianæ doctrinæ articulis, per Apostolicam sedem iustissimè condemnatis.

Ignatius Sig orinus, Patria Placentinus, congregationis Italicæ Ordinis nostri Abbas, & Visitator maior, vir in rebus Ordinis versatissimus, necnon & alijs omnibus historijs tam diuinis quam prophanis, longe clarissimus, affecta reliquit plura eximia eruditionis suæ monumenta, quibus immatura morte præuentus, vltimam manum adhibere non potuit; nimirum:

Historiam Septimiani Cœnobij.

Monumenta, Annales, seu Chronicon omnium Monasteriorum Italiæ Ordinis nostri, ubi Acta Virorum Illustrium Fundationes, priuilegia, & alia ad illustrationem Ordinis recensentur.

De familijs Nobilioribus Florentinæ Ciuitatis, ubi plura recensentur monumenta vetusta.

Omnia hæc ex vltima voluntate Authoris, missa sunt ad Clarissimum Virum Ferdinandum Vghellum, in his & similibus exercitatissimum, qui singula recognoscens, & ad perfectionem perducens (siue per se, siue per alium ex Congregatione sua) publici iuris faciet: prout ipsemet mihi scripsit, litteris suis ex vrbe datis 5. Idus Maij, anno 1653. Obiit autem Ignatius in Cœnobio S. Mariæ de Cistello, in vrbe Florentina, anno 1652. maximo sui relicto desiderio.

Ildefonsus à Cruce ex Congregatione Alcobaciensi, in Lusitania, *Tomos duos, quos Speculum Religiosorum nominat, Lusitano idiomate, piè & eruditè edidit.* Vlyssiponæ, apud Petrum Craesbeeck, anno 1622. in 4.

Ildefonsus Perez de Vmanes, illustrissimum Ordinis nostri decus, natione Hispanus, & florentissimi Cœnobij Vallis Ecclesiarum professus, anno 1629. Magisterij Lauream Salmanticæ percepit, cum antea per decem & octo annos, tam in primatis Ordinis Collegijs (Palatiolensi nimirum, & monte Ramensi) quam in publicis Vniuersitatum, Complutensis scilicet & Salmanticensis Lectoris munus exercuisset; ex quibus octodecim annis, quatuor Reuerendissimi magistri Ludouici Bernaldi de Quiros, substitutum egit in exponendis Biblijs, in publica Vniuersitatis Salmanticensis Scholâ: hinc Reuerendissimo Petro de Andrada, in Regimine Collegij Salmanticensis substitutus, triennio ibidem peracto, ad suum Vallis Ecclesiarum monasterium promotus fuit; Indè, in generali Capitulo totius congregationis diffinitor & Censor creatus, peracto illo munere, Vallis Dei Abbas salutatur: ac post triennium, Salmanticensi Collegio restitutus, rursus in Capitulo Generali, anno 1644. celebrato, Diffinitor & Censor Ordinis electus est. Deinde anno 1647. denuo Salmanticensis Collegij Præsul declaratus, tandem anno 1650. mense Mayo, electus & confirmatus fuit vniuersæ Congregationis Hispanicæ Reformator Generalis, quo munere summa cum nominis sui claritate perfunctus est. Porro ne tempore quo extra vniuersitatem vixit, otio torpuisse videretur illud sibi studium elegit, quod & monachali instituto, & profectui spirituali aptius iudicaret; ideoque

Prophetæ Zachariæ interpretationem aggressus in sensu litterali, totum Prophetam exposuit; Cui expositioni discursus morales adijciens, volumen iam perfectum breui prælo dare intendit. Insuper & aliud, quod,

Antitodum ad expositionem Regulæ Magistri Caramuelis, appellat. In quo, de obligatione Regulæ, de

læ, de diuino officio, de his quæ obseruantiam votorum concernunt; ac tandem de Potestate ac Jurisdictione capituli generalis, Domini Cisterciensis, ac Abbatum Patrum, Generalisque Reformatoris Hispaniæ, disputationes continentur. Plura alia præclara huius viri opera nobis spondent, exquisita eius doctrina, viuidum & subtile ingenium, ac ad studia propensio. Viuat itaque annis adhuc plurimis, Ordinis Illustrator eximius. Huic Clarissimo Viro debeo plures Hispaniæ Scriptores, quos mihi dignanter transmisit vnà cum humanissimis litteris, quarum vltimas hic exhibebo, Censuram huius operis continentes, simulque Authoris sui humanitatem eximiam confirmantes:

Reuerendo in Christo Patri, Carolo de Visch Priori Dunensi, salus in Deo læta.

Reuerende Pater

Epistolam vestram auidissime expectabamus, augebat namque cor nostrum quod nondum scripsissetis, postquam obedientes mandato vestro, catalogum Scriptorum Ordinis misimus quem postulastis: abunde tamen impleuistis desiderium, & repleuistis cor nostrum epistolâ quam nuper suscepimus, & thesauro Bibliothecæ vestræ, quem misistis nobis. Suscepimus quidem munus vestrum, diuitijs plenum, vtpote quia ornatum omni lapide pretioso, quo non tantum Bibliotheca Collegij Salmanticensis nostri, & nostra, verum etiam insigniores Catholicæ Ecclesiæ Bibliothecæ ditari poterunt. Nihil adhuc quantum breue tempus ad legendum permisit, in opere reperimus quod lima indigeat. si quid, cum tempus dederit, & occupationes permiserint, serio relegentes, animaduersione dignum notauerimus, animaduertemus libenter; eo libentius quo scimus Reuerendam Dominationem Vestram sic veritatis amatorem esse, quod nec vnum iota velit Lectori propinare, quod à veritate aberret.

Exordium Cisterciense quod petitis, cum annotationibus Reu.mi Abbatis Fiteriensis Ignatii Firmini, nondum prælo datum fuit, sed in Bibliothecâ eiusdem monasterii manuscriptum perseuerat; & inde Pacensis Episcopus Angelus noster, hausit (per monachum quem ad hoc destinauit) quidquid in annalibus suis ex illo desumptum legimus.

Antidotum nostrum ad Commentaria Caramuelis, iam perfectum fuisset, nisi aduersa valetudo, & Officium Generalis Reformatoris, quod Congregatio nostra mense Mayo preterito, humeris nostris (licet imparibus satis) imposuit, impedimento extitissent. Spero tamen visitatione finita, quam iam incipimus (vtinam ad Dei gloriam, & monasticæ disciplinæ profectum) tempus non defuturum, quo perficere valeamus, quod semel ex omnium nostrum (quibus satis inuisum & molestum est Opus Caramuelis) persuasione incepimus.

Cæterum, si in aliquo Dominationi Vestræ hic inseruire me posse iudicetis, iniungite quod vobis placitum fuerit: nunquam enim tanto Patri parere nobis ingratum erit. Det vobis Omnipotens in ipso viuere, & sapere, ad sui gloriam, & nostri Sacri Ordinis decus, & ornamentum. Apud Sanctum Petrum de Gumiel, die 2. Mensis Octobris, anno 1650.

Reuerende Pater

Salutat vos in osculo pacis humilis Servus & Frater vester, Ildefonsus Perez Congregationis Cisterciensis in Hispania Generalis.

Ioachim monachus ordinis Cisterciensis, professus in monasterio de Sambuccina, diœcesis Anglonensis; deindè Abbas Curatij, seu Coratij, eiusdem Cisterciensis ordinis in Calabria; ac tandem fundator monasterij Florensis, ac institutor congregationis quæ ab eodem Florensi monasterio cognominatur, militatque sub instituto & habitu Cisterciensi; vt constat ex bulla canonizationis S. Dominici, in qua SS. Pontifex Gregorius IX. expresse asserit, congregationes Florensem & Cisterciensem, sub Diui Bernardi vexillis militare, eiusdemque coloris habitu vti. Quia tamen eadem congregati

gregatio Florensis (authoritate Apostolica) à iurisdictione superiorum Ordinis Cisterciensis exempta legitur, ideò quidam scriptores Ioachimum nostrum alteri attribuunt ordini, qui tamen bene refutantur ex Baronio, tomo 12. Annalium, ad annum 1190. vbi sequentia habentur: *Post hac autem, subijcit idem Rogerius, congressum quem idem Richardus habuit cum Abbate Ioachim, qui propheta Dei circumferebatur esse in Sicilia, monachus Cisterciensis, Abbas de Curatio.* Quibus conformiter Aubertus Miræus in chronico Cisterciensi, ad annum 1201. Anno, inquit, millesimo ducentesimo primo, Ioachim Abbas quondam de Curatio, Ordinis Cisterciensis in Italia, moritur.

Scripsit Ioachim, inprimis iussu Lucij III. Vrbani III. & Clementis III. Romanorum Pontificum, *De concordia veteris ac noui testamenti, libros* 5. In quibus, de 5. sigillis agens, eximia & arcana mysteria enodauit, ostenditque ita vtriusque testamenti tempora concordare, vt nihil in veteri testamento actum sit, quod in nouo testamento non pariter geratur, aut gestum sit, aut futurum in nouissimis diebus. Excusi sunt hi libri Venetijs, per Simonem de Luere, anno 1519. in 4.

In Isaiam prophetam, librum vnum; qui sic incipit: *Si ad hoc rotarum mysterialium centrum*, &c. Impress. Venetijs 1519. per Lazarum de Soardis, reuisum & correctum vidi illum in Collegio Soc. Iesu Brugis.

In Hieremiam Prophetam lib. 1. Excusus est Venetiis annis 1519. & 1525. & Iterum Coloniæ, apud Ludouicum Alectorium, anno 1577. vidi illum etiam Brugis in Collegio Soc. Iesu impressionis Venetæ, anni 1519. cum priuilegio Pontificio, & Senatus Venetorum, sub hac Epigraphe: *Eximij, profundissimique sacrorum eloquiorum perscrutatoris, ac futurorum Prænuntiatoris, Abbatis Ioachim Florensis, scriptum super Hieremiam Prophetam, pluribus mysticis intellectibus Scripturarum profunda pertractans, reuisum ac correctum quottationibusque in marginibus ornatum.* Extant etiam hæc Commentaria M. SS. in Monasterio nostro de Dunis, & in S. Gisleno.

In Ezechielem prophetam, lib. 1. M.S. in monasterio nostro de Dunis.

In Danielem prophetam, lib. 1. Ad Henricum VI. Imperatorem, M.S. in monasterio de Dunis.

Psalterium decem chordarum libros 3. Quorum 1. dedicatus est Deo Patri; 2. Filio; 3. Spiritui Sancto: M.S. Dunis, classe 2. nu. 141.

De 7 sigillis, contra Iudæos, lib. 1. Inc. *Primum tempus synagoga*, &c.

Ad Henricum VI. Imperatorem, *In nonnulla capita Nahum, Abacuch, Zacharia, & Malachiæ, prophetarum, librum* 1. Impressum quoque Venetijs, anno 1519 per Lazarum de Soardis. Extat Brugis in Coll. Societatis.

De 15. *Pontificibus, librum vnum*: *Ascende calue, &c.* Hic liber excusus est cum commentarijs Iosephi Scaligeri, in 4°. ac etiam Venetijs apud Hieronymum Porrum, anno 1589. cum notis cuiusdam Paschalini Regiselmi.

In Euangelium S. Ioannis, librum vnum.

In Apocalypsim eiusdem, libros 7. qui sic incipiunt: *Quia profunda libri huius*, &c. M.S. in cœnobio nostro de Dunis.

Introductorium in eosdem libros, lib. 1. inc. *Cum propensorijs studijs, &c.*

Epistolarum ad diuersos, lib. 1.

De consolatione, lib. 1.

Sententiarum, lib. 1.

De futuris temporibus, lib. vnum, qui sic incipit: *Quia generale mundi*, &c. compendium habetur M.S. Dunis.

Item, *In Cyrilli reuelationem: in Eritræam & in Merlij-*

linum, commentaria: ac *alia quadam vaticinia*, de quibus varij variè loquuntur. Quia tamen iam constat ex ijs plura apertè esse completa, ideò plerique de euentu aliorum non dubitant. Prædixerat (teste Arnoldo Wiono lib. 5. ligni vitæ, cap. 86.) Græcorum Imperium ob perfidiam in Romanam Ecclesiam Turcis dandum. Sanctos Dominicum & Franciscum mox nascituros, non solum ore prædixit, sed etiam pictura ostendit, quem habitum gestaturi essent: vt videre est in templo S Marci Venetijs, vbi eorum imagines ad viuum expressæ conspiciuntur, antequam Sancti illi mundo innotescerent, depictæ. Victoriam denique de Turcis, anno 1571. partam gloriosissimè, quadringentis ferè annis præuidit & prænuntiauit, vt ex libris eius in Apocalypsim optimè intellexerunt, qui triumphi Ecclesiæ catholicæ fuerunt Authores. Extant vaticinia hæc impressa lingua Italica, Venetijs anno 1 89. cum annotationibus Anselmi Vesconi de Marsico.

Addit Trithemius, illum quoque plura scripsisse *Contra Iudæos, & alios fidei hostes*.

Scripsit insuper & *librum, contra magistrum Sententiarum*, qui ab Ecclesia reprobatus est, vt patet lib. 1. Decretalium, de Summâ Trinitate, cap. *Damnamus*. non ideò tamen Author hæreticus censendus est, quia errorem hunc pertinaciter non defendit, sed è contra, tam librũ hunc, quam cætera omnia scripta sua, Romanæ Ecclesiæ iudicio & correctioni subiecit ante obitum suum, vt in dicto capitulo, *Damnamus*, testatur ipse Pontifex, his verbis. *In nullo tamen propter hoc, Florentino monasterio (cuius ipse Ioachim extitit Institutor) volumus derogari: quoniam ibi & regularis est institutio, & obseruantia salutaris: maxime, cum ipse Ioachim, omnia scripta sua nobis adsignari mandauerit, Apostolica Sedis iudicio approbanda, seu etiam corrigenda; dictans epistolam quam propriâ manu subscripsit, in quo firmiter confitetur se illam fidem tenere, quam Romana tenet Ecclesia, quæ disponente Domino, cunctorum fidelium Mater est, & magistra*: hæc Innocentius III. Extat & Honorij Papæ III. epistola contra Ioachimi obtrectatores, in eius defensionem. Nouissimèque apologiam pro eodem scripsit Franciscus Viuarius, monachus Nucalensis monasterij. & congregationis Hispanicæ ordinis Cisterc. in curia Romana Procurator generalis. In quâ Apologiâ egregiè redarguit, & in Authoris caput retorquet ineptias & conuicia, quibus doctissimum ac sanctissimum virum impertinenter proscindit Gabriel Pennoteus in suâ tripartitâ historiâ Canonicorum Regularium, lib. 1. cap. 41. Apologiam hanc inseruit Viuarius generali suo Apologetico posteriori pro Flauio Lucio dextro, §. 6. extatque ad calcem Commentarij, editionis 1627. Porro, ex operibus Ioachimi extant in monasterio S. Fidis, Ord. Cisterc. 2°. lapide à Cæsar-Augustâ, in Arragoniâ, sequentia, descripta in membranis, à trecentis annis, nimirum, 1348. *De Seminibus Scripturarum*, *Lib.* 1.

De Testamentu Patriarcharum, *Lib.* 4.

Commentaria in Psalterium decem chordarum. Libri 3.

De Prophetiâ ignotâ, *Lib.* 1.

Expositiones versuum extraneorum, *Lib* 1.

De Prouincialibus præsagijs. Lib. 1.

Liber verò Henrico Imperatori inscriptus, in nonnulla capita Naum, Abacuch, &c. ibidem vocatur, *Liber de Oneribus*.

Vide Angelum Manriquez, tom. 3. Annal. Cisterc, ad ann. 1211. cap. 7. vbi (vti etiam in pluribus alijs locis eiusdem tomi) plura lectu digna & curiosa de hoc Ioachimo profert, quæ vix alibi inuenientur. Cæterum, Bunderius in Indice, Litt. I. n. 67 asserit se vidisse Louanij, in Valle S. Martini, & alibi, *Scriptum huius Ioachim, in Prophetiam Vatis Britannici.*

Vaticinia tamen de Romano Pontifice, quæ anno

 1608. pro

1608. prodierunt Francofurti typis Ioannis Spiessij, sub nomine Ioachimi nostri, vnà cum annotationibus hæreticis impudentissimi Nebulonis, Ioannis Adrasder, ipsius Ioachimi non sunt, sed ab hæretico conficta. Vide de hoc Ioachimo etiam Vincent. Beluacensem, Baronium, & Miræum supra. Henriquez in Fasciculo lib. 2. dist. 13. & in Menologio 19. Maij. & Hectorem Boëtium, historiæ Scotorum; lib 13. vbi vocat illum, virum Miræ sanctitatis, & reliquisse ait, *Commentarios eximios in Apocalypsin & prophetas.*

Ioannes Alnarus, natione Celtiber, ordinem nostrum professus in monasterio de Veruelâ, in Aragoniâ anno 1565. 13. Aprilis; eidem posteà, ob vitæ meritum excellenti doctrinæ coniunctum, Abbas præfectus fuit. Quod munus, magno monasterij bono, tam in temporalibus, quam spiritualibus, administrauit: quo etiam nominis sui claritatem ita ampliauit, vt primum Bosensis in Sardaniâ, ac paulò post Celsonensis in Cataloniâ, renuntiatus fuerit Episcopus; vbi producta vita vsque ad annum 1621. magno sui relicto desiderio, viam vniuersæ carnis (glorioso meritorum stipatus consortio) ingressus est. Fuerat aliquando à sacris confessionibus, monialibus de Zaidia, ordinis nostri in Valentia, in quarum gratiam: *Plura opuscula Sancti Bernardi Hispanicè reddidit*, & imprimi curauit Cæsar Augustæ, anno 1595.

Edidit quoque *Libros 3. de vita & miraculis Sancti Bernardi*; ibidem, eodem anno, in 4°.

Scripsit præterea, *Fundationes omnium monasteriorum nostri ordinis per regnum Aragoniæ*, excusas ibidem, eodem anno 1595. In quo opere, multa habet rara, & lectu iucunda de monasterijs Aragoniæ, Valentiæ, Cataloniæ, & Insulæ Maioricensis.

Ioannes de Audenayo siue Audenayo, Abbas nominis huius 4. Archi cœnobij Cisterciensis, edidit (anno 1350.) *nouellas, seu diffinitiones recentiores capitulorum generalium, in vnum volumen congestas.* Philippus Seguinus in Bibliothecâ suâ M. S. litterâ I nu. 5. affirmat illum quoque scripsisse *plurimas notabiles epistolas, eruditione refertissimas*, quarum 6. ibidem recenset ad diuersos Summos Pontifices scriptas. Verum, consideratis annis, quibus Pontifices ibidem relati vixerunt, certum est, epistolas has non fuisse scriptas omnes ab hoc Ioanne; sed partim ab alio istius nominis Abbate Cisterciensi. Obijt noster hic 13 9.

Vide de illo plura apud Manriquez, in serie Abbatum Cisterciensium, ad calcem tomi 1. Annal.

Ioannes d'Assignies, nobili apud Hannones in Belgio familiâ exortus, monachus & Subprior monasterij Camberonensis, ac posteà Abbas Nizellensis, in Brabantiâ Gallicâ; vir pietate ac doctrinâ præstantissimus, edidit Gallicè, *Tomos duos de vitis personarum sanctitate illustrium vtriusque sexus ordinis Cisterciensis.* Quorum prior impressus fuit Duaci, anno 1595. apud Balthazarem Bellerum, posterior verò, Montibus Hannoniæ. apud Carolum Michaëlem, anno 1606.

Item, *Antidotum salutare contra pestiferos morbos malæ linguæ.* Antuerpiæ, typis Plantinianis, anno 1633. *Quem librum Author posteà Gallicè redditum, edidit Duaci.*

Alphabetum salutis, Gallicè, in 8 Duaci.

Fasciculum myrrhæ, *librum singularem*, omnibus præsertim religiosæ vitæ sectatoribus perutilem. Duaci, typis Ioannis de Fampoux, anno 1630.

Librum de vita & miraculis Sancti Martini, Gallicè: Duaci, anno 1625. apud Laurentium Kellam.

Scripsit & librum quem vocauit, *Allumettes viues pour embraser l'Ame à la haine du peché, & à l'amour de la vertu, par la consideration de la passion, & mort*

& mort de Iesus Christ, distingues en xxj. exercices. A Douaij, 1629. chez Gerard Pinchoy in 8.

Item, *Le Paradis des prieres, ou lon trouvera vn thresor du tout spirituel, non seulement des prieres, mais aussi de belles Louanges, aspirations feruentes, & meditations tresprieuses, extraictes des œures spirituelles, du Reuerend & deuot Pere Louis de Bloys.*

Audomari, anno 1617. apud Carolum Boscart. in 12.

Scripsit & Gallicè, *Vitam imitabilem Sancti Dorothei*, extractam ex *Prato*, *& Surio.* Impressam in 12. 1625.

Item, *Directoire, ou Instruction, pour deuotement, reueremment, & attentiuement s'acquiter en l'office diuin, tant de nuict, que de iour, auec vn traicté des exercices spirituels, & plusieurs meditations.*

Montibus Hannoniæ, 1609. apud Carolum Michel. in 12.

Item, *Doctrine spirituelle, enseignant vn moyen asseuré de s'acheminer, & perfectioner en la vertu.* &c.

Duaci 1630. typis Ioannis de Fampoux. in 16.

Transtulit etiam in linguam Gallicam, imprimique curauit Scutum animarum deuotarum Ludouici Blosij. Duaci.

Theodoricum Monasteriensem, de proprietate Religiosorum, Duaci, 1604.

Libellum, de 6. alis Seraphin, Sancti Bonauentura.

Diadema ecclesiasticorum smaragdi. Et *plura alia.*

Reliquit insuper plurimos alios tractatus manuscriptos, nondum impressos, qui partim Camberonæ, partim Nizellæ asseruantur. Viuebat adhuc anno 1640.

Ioannes Ballim, monachus cœnobij de Claromarisco, diœcesis Audomarensis, scripsit *Historiam ab orbe condito, vsque ad sua tempora*, 1599. 2. tomis diuisam. M.S. in Claromarisco. Vide Ant. Sanderum tomo 2. Flandriæ illustratæ, in descriptione cœnobij Claromariscensis. Intelligo tamen nunc, ex religioso quodam dicti monasterij, opus hoc in nupero bello Gallico periisse, saltem quo ad tomum alterum.

Ioannes du Bec, Abbas mortui maris, Latinè & Græcè doctissimus, scripsit & edidit,

Sermones nouem de excellentiâ Orationis Dominicæ, quos dedicauit Reginæ Galliarum. Parisijs, 1586. typis Guillielmi Bichon. in 8.

Item, Gallicè, *Discursum de vnitate indiuisibili Sanctissimæ Trinitatis, in tria capita diuisum.* Opusculum est doctum & subtile, impressum Parisijs. anno 1596. typis Marci Orrij, in plateâ S. Iacobi, in 12. folijs 10.

Ioannes Barthault, ex Abbate B. Mariæ de Alneto (d'Aunay) ordinis Cisterc. Episcopus Saziensis (Seez) in Normannia, numero 58. nec non & Eleemosynarius Reginæ Galliæ, *Egregius fuit poeta Latinus & Gallicus*, teste Iongelino in Purpurâ Sancti Bernardi, de Episcopis Galliæ; quidnam tamen scripserit, non exprimit. Obijt anno 1611.

Ioannes Blanckenbergh, religiosus & Abbas religiosissimi cœnobij de Veteri Monte, in Ducatu Bergensi, diœcesis Coloniensis, (mihi olim in Germania, amicâ conuersatione, nunc autem doctissimis suis literis, familiaris,) S. Theol. in Vniuersitate Coloniensi Doctor excellens, Patritia ibidem familia exortus, patre Waleramo, Vicecomite in Nidderich, &c Vir vndècunque magnus, & de vniuerso ordine nostro optimè meritus, de cuius laudibus amplissimus profectò patet campus, in quem tamen excurrere me vetat experta sæpius eiusdem humilitas, quam offendere nolo. Erunt quandoque, qui hoc ipsum, maiori cum eloquentia, & authoritate præstabunt.

Scripsit *Librum insignem concionum Moralium*, quas diuersis temporibus habuit, partim in suo

Veteris Montis cœnobio; partim Coloniæ apud moniales Cistercienses ad Sanctum Aprum.

Præ manibus nunc habet, *Amplissimum chronicon monasterij sui, in quo plurima habet curiosa, quæ historiam ditionum Cliuensium, ac Iuliacensium, plurimum illustrare poterunt.* Viuit adhuc hoc anno 1655. Ordinis Cisterciensis per Westphaliam, & Tractum Rheni, Vicarius generalis; Abbas quoque iampridem cœnobij Fontis Amelongi, in Westphalia; & nuper etiam Heghenæ, seu Heynæ in Hassia, quod vltimum authoritate Pontificia, vnà cum Pontificalibus, nunc vnitum est cœnobio Veteris Montis, vndè olim emanauit. Cæterum (quod hic silere nefas ducerem) clarissimo huic viro plures debeo scriptores ordinis nostri, Germanos, quos diuersis vicibus, veridicâ relatione mihi transmisit, & beneuolus Lector suis locis reperire poterit. Electus hic etiam sub finem anni 1654. fuit Rector magnificus Vniuersitatis Coloniensis.

Ioannes Bona, Pedemontanus, Monachus & Abbas Reformationis Sancti Bernardi, Ordinis nostri, emisit in lucem à se compositum, librum, quem intitulauit, *Psallentis Ecclesiæ Harmonia. Tractatus est Historicus, Symbolicus, & Asceticus.* Prodijt Romæ anno 1653. in 4. typis Io. Petri Colinij. Opus omni eruditione repletum.

Author molitur alia.

Vghellus, in epistolâ ad me datâ, Romæ, 4°. nonas Augusti, 1654.

Ioannes le Bossu, natione Burgundus, monachus cœnobij de Macerijs, Sorbonicæ Theologiæ Parisijs Doctor eximius, & congregationis Cisterciensis, per Italiam, secundus Generalis, vir fuit admirabili vitæ integritate, altâ reconditaque doctrina ac morum incredibili comitate commendatus. Scripsit *Librum contra commendatarios*, quem nominauit *Anticommendam. Alia plura doctrinæ suæ monumenta reliquit*, teste Seguino in bibliotheca, quorum tamen notitiam exactam ipse non est assecutus.

Obijt Romæ anno 1588. Seguinus loco citato, littera I. n. 4.

Ioannes Brando, natione Flander, ex pago Hontenessa, territorij Hulstensis, religiosus monasterij nostri de Dunis, S. Theol. Doctor Parisiensis, scripsit *Chronicon celeberrimum, ab origine mundi, vsque ad annum* 1414. *quod ipse inscripsit Chronodromon*, id est, *Cursus temporum*. Iacobus Meyerus, in concinnandis Flandriæ Annalibus, fatetur se hoc libro non parum adiutum. Repetitur adhuc M. S. in Monte Blandinio Gandaui, in Sancto Bertino Audomari, Aldenburgi in Flandria (cœnobiis ordinis Sancti Benedicti) & Louanii in Collegio Attrebatensi, tribus tomis in pergameno; opus visu & lectu dignissimum. Huius viri laudabilem mentionem faciunt, quotquot post illum, de viris illustribus Flandriæ scripserunt; nouissimè autem Ant. Sanderus, de scriptoribus Flandriæ, & Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica. Obijt Brugis in Dunensi Refugio, anno 1428. die 13. Iulii. Chronicon Brandonis compendiauit Ægydius de Royâ, vt suprà vidimus.

Porrò Chronodromum Louanii extantem vidi anno 1651. Est Opus nitidissimè exaratum in magno folio, in pergameno: Primi tomi initium est: *Quemadmodum ex veteris, noua quæ Sacra pagina, &c.* Tomus 2. sic incipit: *Iam vetustatis horridâ squalcescens in vmbrâ, &c.* Tomus 3. sic: *Moris est imbecillium, &c.*

Ioannes à Bridell, Abbas 42. Hemmenrodensis, virorum Doctorum amantissimus; Petrum Binsfeldium, Treuirensem posteà suffraganeum (obseruata latentis ingenij indole) à domesticis seruitiis ad Musarum castra traduxit, cuius scientiam, ac diuinarum rerum cogn

cognitionem, ea quæ extant librorum monumenta posteritati loquuntur. In comitatu, & conuictu, theologos, ac philosophos, nec non & poëtas semper habuit; vt quod lectione, ob externas occupationes, non poterat, id ex eorum collocutione hauriret. Ipse etiam orator insignis, qui ob eloquentiæ facundiam, Os Cleri, vulgo cognominabatur *sæpissime coram Ioanne à Petra, Archiepiscopo Treuirensi, doctissimè perorauit*; qui Abbatis facundia delectatus, sæpius familiariter eum inuisebat. Extant *Orationes eius M. S.* in Hemmenrode. Ipse vero obiit anno 1571. Cui sequens positum fuit epitaphium:

Ioannes patrijs Bridelius ortus ab oris,
Hic sua fraternis ossibus ossa locat.
Prudens conuictus cui tot deuinxit amicos,
Et Musis celebres, & pitate graues.
Qui quoties verbis pronas arrexerit aures,
Est mirata istum tota Corona virum.
Is fuit oris bonos, vt torrens impete fertur,
Manauit lingua gratia tanta sua.
Nec pietate minor, sacris deuotus & aris.
Factorem Calidum tulit ante preces.
Consilijsq; bonis habitus certissimus Author
In dubijs causis sæpe rogatus opem est.
Ore grauis, rectiq; tenax, seruansq; decori,
Ingenijs cultis dux, & amicus erat.
Quas ego virtutes memori dum pectore verso.
Vt sit in æthera portio sede precor.

Vide Nicolaum Hesium in manipulo Hemmenrodensi, Coloniæ impresso, anno 1640.

Ioannes Bromptonus, Anglus, Cisterciensis ordinis in patria monachus, (testibus Pitsæo, & Henriquez) qui virtutum & eruditionis meritis, creatus fuit Abbas Iornalensis cœnobij, fertur multa scripsisse, ex quibus tamen hodiè nihil reperitur, præter *Insigne quoddam chronicon* monasterio Iornalensi dicatum, quod M. S. asseruatur in collegio S. Benedicti; cuius initium est: *Postquam contigit Britonis &c.* Quo tempore claruerit, incompertum. Ioannes Pitsæus in appendice ad librum suum de scriptoribus Britanniæ, centuria 2. nu. 88. Cuius viri authoritate motus, hunc scriptoribus Cisterciensibus adcensui, cum aliàs inter Cisterciensia monasteria Angliæ, Iornalense, seu Iarvauxense, non reperiam. Cisterciensem etiam fuisse scribit Vossius, lib. de scriptoribus latinis, fol. 708. Prodijt hoc Chronicon ab anno 588. ad annum Domini 1198. Londini, in libro de decem Scriptoribus Historiæ Anglicanæ, typis Iacobi Flestzer, in folio.

Ioannes de Bruxella, Monachus, & postmodum Abbas monasterij Alnensis, in ditione Leodiensi, scripto reliquit

Librum sermonum moralium, qui M. S. seruatur in Alna, ac etiam in Tungrensi cœnobio.

Seruantur quoque Alnæ, eiusdem Abbatis

Sermo quidam elegans, habitus in capitulo generali.

Sermones aliquot alij, de diuersis materijs.

Et, *Tractatus de rota spiritualis Prælationis, ad materialem comparata.*

Fuit S. Theol. Doctor, & Abbas 24. Alnensis, vbi obijt anno 1481.

Catalogus librorum eiusdem cœnobij.

Ioannes de Butrio (alibi, de Burreyo) Claræuallis monachus, Academiæ Parisiorum Doctor Theologus, vir tam sanctimonia vitæ, quam doctrina, & multiplici rerum omnium cognitione, suo tempore clarissimus; plurima fertur scripsisse, nominatim autem *Maphæi Xegij Landensis Martini V. Papæ Datarij libros 7 de perseuerantia, recognouit, emendauit, & recudi fecit*, præfixa insigni epistola introductoria, ad Ven. virum Ioannem à Vepria, antiquum Claræuallis Priorem, cuius initium est; *Cum omne quod à sacrarum*

rerum

rerum opifice actionis virtutem habet, propter finem, &c. Prodierunt Parisijs anno 1511. apud Magistrum Bertholdum Rembolt, & Ioannem Waterloes. Obijt autem Ioannes noster, anno 1522.

Ex bibliotheca Philippi Seguini.

Ioannes Caramuel Lobkowitz, anno 1606. nobili apud Hispanos familia, Madriti natus, religiosa tamen professione Belgâ, monachus cœnobij nostri de Dunis: Iuuenis adhuc (in Hispania) *Tabulas motuum cælestium, & Ephemerides composuit.*

Addidit & librum, cui epigraphe: *Mundus idem, non idem*: in quo demonstrat, posse terram, imò & singulos planetas quiescere, omnibus phænomenis atque mensuris conseruatis. Scripsit &

Vraniam recti lineam, planetas crucifigit; demonstrat eos non circulos, sed rectas orthonogales describere suis proprijs motibus.

His omnibus in Hispania editis, Belgium dum lustrat, Ioannem mox Trithemium Spanheymensem Antistitem, à Nicromantiæ nota (velit nolit Zoilus) demonstratiuè vindicat, *editis* (ex Alnensis monasterij Bibliotheca) *eiusdem Stenographicis libris, vnà cum clauibus, seu regulis, quibus coniurationum mysteria in ijs contenta, commode reserari possunt.* In concionibus tantâ pollet efficacia, vt quamprimum Emanuel Portugalliæ Princeps, ac paulò post Serenissimus Ferdinandus Hispaniarum Infans, ac Belgij Gubernator, à sacris illum sibi voluerit esse concionibus. Verum ille, aulicorum vitæ, quietem monasticæ solitudinis præferens, Dunense accedens cœnobium (Brugis recenter translatum, piaque monachorum conuersatione celeberrimum, monastica ibidem vota sua, Cisterciensium more, firmauit.

Vndè Louanium directus, ingenij ac eruditionis suæ tale ibidem specimen edidit, vt anno 1638. cum totius Vniuersitatis applausu, S. Theologiæ Doctorali Laurea insignitus fuerit. Vir est, siue ingenium, siue memoriam, siue denique doctrinam spectes, omni maior encomio, de quo plura scriberem, nisi domesticus esser, & veritate offendere vererer. Erunt alij, qui pleniore calamo, & eloquentia vberiore, in veras eius laudes excurrent. Vnicum hic addam testimonium, quod eidem perhibet doctissimus & clarissimus Erycius Puteanus, Belgij nostri singulare decus, in censura libri ipsius Caramuelis, de Iure Regis Hispaniæ in regnum Portugalliæ, quæ eidem libro præfixa, hæc (inter alia) habet, librum hunc conscriptum esse à *Viro, si ingenium, doctrinam, eloquentiam spectes, magno, eximio, ac plane diuino.* Quod testimonium non parum confirmatur authoritate Reuerendi adm. & Eximii viri Ioannis d'Espiers S. Theol. Doctoris &c. qui in suo Stenanographiæ specimine, de Caramuele nostro agens, eundem vocat *facundißimam Dei vineam, Virum doctrina soliditate, & librorum copia celeberrimum,* &c.

Scripsit, edidítq; plurima Dominus Caramuelius, in omni prorsus facultate, in tantum, vt iure merito, cum *Magno Alano nostro de Insulis* Doctoris Vniuersalis cognomine compellari posse videatur. Seriem seu Catalogum omnium operum suorum ipsemet conscripsit & publicauit Francofurti, subiungendum Theologiæ suæ fundamentali; quem & nos hic etiam ad verbum exhibebimus.

AUTHOR.

MVltos Libros & varios, diuerso typo & forma, prout tempora tulerunt, edidi. Multa scripsi, quæ nondum lucem vident; & posse prodesse, videntur. Nouam omnium editionem exorno; &, ne Libros separari contingat, magna illos arte & studio concateno; ita vt posteriores frequenter Lectorem ad priores remit-

remittant, isti iterùm ad illos reducant; ut omnibus censeatur carere, qui caret aliquo. Claritatis eos majoris gratiâ ad novem Classes redigo, & novem Cursus (I. Liberalem, II. Mathematicum, III. Musicum, IV. Chirosophicum, V. Philosophicum, VI. Theologicum Scholasticum, VII. Moralem Philosophicum, VIII. Moralem Theologicum. & IX. Scripturarium) instituo: & singulos ob oculos pono.

CVRSVS LIBERALIS.

Omnes artes complectitur, quas ingenuas vocamus, omnes Inertias aut Artes malas expugnat; Inter eximias præcipue judicantur.

Orthologia. De variâ pronunciatione litterarum, vbi multis consul is nationibus, multis ætatibus plurima curiosa expenduntur.

Orthographia De variis figuris literarum, quæ in Orbe terrarum hodie apud varias nationes sunt in usu.

Polygraphia. De transfiguratione literarum. & earumdem potestate secretâ. Est Liber summè necessarius Principibus, & ciphras multas & valde curiosas & securas complectitur.

Steganographia. Est scientia Polygraphiâ nobilior, & ita secretiorem scribendi methodum promovet, ut ubi maximè secretum est, nulla ibi videatur suspicio secreti subesse. Hâc arte, ut de rebus arcanis amicos admoneamus, quãcumque Ciceronis aut alterius Authoris Epistolam ad quemcumque mittimus, intelligimur; illi ad nos aut eandem, aut aliam remittunt, & intelliguntur. Hâc arte ad integrum Senatum unicam Epistolam scribere possumus, in quâ singuli diversa, quæ voluerimus, exactè capiant, & tamen non se intelligant mutuò.

Mirabilis olim fuit Joannis Trithemij Abbatis in ciphris inveniendis felicitas, & æquè mira illius ævi ignorantia; condemnatur enim à multis, à quibus intellectus non fuit. Hoc fuit ætatis priscæ ingenium: hoc est nostræ; *pauca legere, pauciora intelligere, omnia aut ferè damnare.* At ante annos viginti strinxi calamum, & Trithemium tutatus, Steganographiam, non jam inertiam nigromanticam, sed ingenuam & liberalem artem esse ostendi. Hanc nunc Apolysin multum auctam exhibeo, & mirabilia arcana in genere literario produco.

Notaria Ars. Quantum distant Notæ à Literis explicat. Ponit Notas artificiosas, quibus quis uti possit, ut uno solo charactere quamcumque dictionem scribat. Hic scribendi modus adhuc est in usu apud Sinas, quorum omnes facultates & Scientiæ videntur esse Abecedariæ, & in Regione illa doctissimi, qui meliùs scribunt aut legunt. Posset ad methodum & regulas reduci hæc facultas, & tunc non deberet contemni. Dum tu alias notas breviores & meliores efformas, meis inventis fruere, & omnia calamo, qui linguâ sit velocior, scribes.

Grammatica Hispanica. Ostendit Hispanorum Idioma frustrà hucusque ad Latini leges coactum, aliter doceri debuisse. Multa hîc Germanus, Belga, Gallus, Italus, multa alii, unde possint propriæ Linguæ Institutiones reformare.

Grammatica Latina. Hanc scripsi pueris nostris condolens septem aut novem etiam annorum dispendio condemnatis. Puto formam totius Linguæ Latinæ à clari ingenii iuvene posse horâ intelligi, & mense addisci, si istæ novæ Institutiones admittantur. Puto materiam facilius adquirendam, si etiam arte tradatur.

Hispanus sum, & quia Hispanis scribo Linguam Hispanam Latinæ seu Romanæ antepo sui, non ut de alterius utrius excellentiâ & primatu contenderem (de hoc enim alibi) sed, ut ordinem doctrinalem sequutus, eum qui ma-

ternam linguam per regulas & artem didicerit, faciliùs edocerem Latinam. Hanc nostri pueri, septem, octo, aut etiam novem annis adquirunt, Græcam verò duobus vel tribus mensibus: & cur? an, quia Græcâ est multò difficilior Latina? minimè. Sed quia Latina addiscitur priùs, Græca posteriùs; nam si inverso traderentur ordine, in Græcâ consumerentur anni multi, & in Latinâ menses pauci. Ergo tradatur priùs Lingua materna ex arte & regulis, quam unusquisque addiscere posse videtur una hebdomade: & si hanc semel altè percalleat, poterit quodcunque aliud idioma adquirere uno aut altero mense.

Eloquentia Corruptrix. Hîc subscribo Institutiones Linguæ priscæ, & ostendo illam fuisse pulcherrimam & regularissimam, omnesque exceptiones & irregularitates paulatim irrepsisse, non tam suavioris prolationis studio, quàm vulgi ignorantia & protervia.

Metametrica. Sic eam facultatem dici volui, quæ est Metricâ vulgatâ sublimior. In ea varij & multiformes Labyrinthi: in ipso & Regulæ (quod hucusque à nemine præstitum est) quibus Carmina Regredientia, Resilientia, Decidentia, Ascendentia, Circumeuntia; Amabæa; item quibus Proteos, Martes, Soles, &c. contexamus. Est opus omninò rarum, & novum, quod mirum in modum augeri & exornari poterit, si fundamentis positis insistatur.

Rhetorica. Multa frigidissima, quæ ex Veteribus desumpta, tradebantur, condemnat; figuras troposque nostro ævo & moribus coaptat, & brevissimè Oraturos & Concionaturos instituit, ut cum plausu & authoritate eloquantur.

Memoria Ars. Puto Artem memoriæ altera indigere memoria; interim quid alij dixerint & docuerint examino, & methodum commodissimam trado, quâ possit juvari memoriæ.

CURSUS MATHEMATICUS.

Ego sæpè, & Viri doctissimi mecum, habemus recreationis loco Iuniorum Authorum scripta, qui sublimes in Philosophiâ conceptus Mathematum ignoratione maculârunt. Hanc ob rem Philosophiam in Mathematicis evincere desidero, & ut possit, omnes Artes, quæ in numero, pondere & mensura consistunt, ad novam methodum & compendium reduco.

Arithmetica. Novis speculationibus ditatur, & brevissimè traditur.

Geometria. Etiam ipsa ad compendium reducitur.

Trigonometria. Non sine novis & plenis ingenio præceptis Triangulos universos resolvit.

Logarithmica. In tres partes dividitur; in primâ Neperiana, in secundâ Ulacquiana, in tertia traditur Enarmonica, multò cæteris utilior & præstantior.

Architectura Ædilitia. Est Ars curiosa, & Publicæ Rei necessaria. Illam in rectam & obliquam divido. De priori plurimos scripsisse reperio, tametsi multa in singulis potuerint poni castigatiùs; at de posteriore vix ullum. Utraque est valdè utilis & necessaria; quarum, & præcipuè posterioris neglectu, summos in summis Palatijs & Ecclesijs errores committi observamus.

Architectura Militaris. Agit in prima parte de Fortalitijs, & illis effossis tormenta, munitiones, & milites addit, ubi multa quæ eisdem propugnandis aut etiam expugnandis servient. Et in secunda longam mirabilemque obsidionem Pragensis Civitatis, sine muro, sine milite, sine sulphure pyreo, sine tormentis bellicis prodigiosè defensæ, ad rei militaris peritiorem

nitiorem notitiam accuratè recenset.

Astronomia. Ostendit multa olim à Ptolomæo, multa ab Alphonso Hispaniæ Rege, multa à Copernico, multa à Tychone, & ejus Assedis Logomontano & Keplero, multa à Lansbergio, multa ab alijs supponi, quæ aut demonstrantur esse falsa, aut non probantur esse vera, Vertit ad causas Physicas oculos, & singula exactissimè expendit. Huc pertinent sequentes Libri.

Sphæra. Multa nova & varia recludit, in argumento veteri. Tradit doctrinam communem, quam *Mediam* vocitat. Illam Meditationes Parallacticæ deprimunt; illam exaltant Refractariæ: sine quarum notitia frustrà ad scholas sublimiores proceditur.

Solis & Artis Adulteria. Doctrina generali præmissa umbris imperat, & miris linearum labyrinthis horas communes repræsentat.

Vrania Crucifixa. Dat novas & faciles hypotheses, in quibus motu cruciformi, omnia, quæque à Veteribus quæque à Junioribus observata, salvantur. Hic omnis motus recti lineus, hic exclusi omnes circuli; hinc omnes arcus; & tamen salvantur observationes universæ.

Proteus Cœlestis. Demonstrat omnia Phænomena quiescente in centro Mundi, Terra, Luna, Mercurio, Venere, Sole, Marte, Iove, aut Saturno salvari: stando rationi & mathesi cognosci veram Mundi faciem non posse: Heliocentricam pulchriorem cæteris, at solam Geocentricam videri sacræ Paginæ consonantiorem, & hanc ob rem Eminentissimorum Cardinalium decreto Scholis Orthodoxis permissam, cæteris quibuscumque rejectis.

Aristarchus. Libellus est summo ingenio scriptus; & ipsius Aristarchi, si Viris magnis, qui eum ediderunt, credimus. Notis indigere fuit visus, & ideò nos Ideas singulas speciali commentario illustravimus.

Selenographia. Est quædam Astronomia Lunaris, oculo in Luna posito omnium Planetarum & siderum loca, situm & motum apparentem examinans. Eidem adjungi debuit.

Plutarchus Lunaris, & est *Colloquium de maculis, quæ in Lunæ facie, à Plutarcho conscriptum*: Illud ego Scholijs continuis dilucido, & in ipsis singulorum Philosophorum sensa, severa disquisitione examino. Hic multa de Montibus, Vallibus, Continente, Oceano, Insulis & fluviis Lunaribus: multa de Ventis & Procellis: multa de Pluvia, Nive, & Glacie; multa de Cometis & alijs diversis meteoris: multa de Plantis: multa de Piscibus, Feris, Avibus; multa tandem de Hominibus Lunaribus, quæ à Luciano, Plutarcho, & Keplero somniantur.

Arx Astronomica. Est domus elegans sideribus observandis apta. Talem à Daniæ Rege jussus erigere Tycho, Aulicam fabricatus est, cùm sideream deberet. Nos ita ædificamus muros, ut & sint organa Gygantæa, quibus possimus Corpora Cœlestia observare. Hanc INSTRUMENTIS variis Arcem, hanc SOLIS MENSIS, hanc FILO ARIADNÆ, nec non AUTOMATIBUS diversis ornamus. Modum singula formandi & exarandi scribimus; & multa nova & hucusque non visa delineamus.

Mathesis Audax. Multùm ipsa succrevit paucis annis; & jam in ipsa uberiùs omnes controversiæ Logicæ, omnes Physicæ & Metaphysicæ, omnes Theologicæ, & præcipuè de gratia & libero arbitrio, sola Regula & Circino dilucidantur. Hæc huc videretur omninò pertinere, at ob rationes speciales Cursui Philosophico inseritur, sunt enim multæ in Physica difficultates, quæ non aliter, quàm númeris & lineis expediuntur.

CVRSVS MVSICVS.

An Ars Liberalis, an Mathematica Musica sit, multi curiosè inquirunt, & ingeniosè exponunt. Et Ego, ne inutilibus controversiis implicer, seorsim enarmonica edissero, & ad Libros sequentes reduco.

Orthographia Musica. Tractat de figuris & characteribus. quibus utuntur Musici.

Orthologia Musica. Agit de eorumdem characterum notarumque denominatione: & in tres Partes subdividitur.

Prima est Fer di nan dus Ter ti us. Utitur istis voculis, & compendio mirabili Artem copiosissimam tradit.

Secunda, Ut, Re, Mi, Fa, Sol, La, Bi, quarũ notarũ nomina volumus omnino retinere.

Tertia est apologetica, & complectitur nonnullas eruditas Epistolas prò & contrà scriptas.

Constabit ex Orthologia Artem, quæ vel horâ addisci possit, tot esse tricis implicatam, ut vix annis pluribus soleat, totamque additione unius Notæ reduci ad incredibilem facilitatem. [Admissa est & practicatur nova hæc Musica præter Monsserratensia Monasteria, in S. Crucis Abbatia, & etiam in aliis Cœnobiis, ubi summâ Juvenes facilitate & fœlicitate instituuntur.]

Poëtica Musica. Omnem Artem Metricam, omniaque Carminum & Versuum genera ad Musica fundamenta reducit.

Huc spectat *Vocalis Musica*, quæ miro ingenio eas tantùm Notas admittit, quæ vocalibus textûs correspondent. Hâc Arte feliciter composuit nonnulla Romanus Michael, qui tamen syllabarum quantitatem neglexit, cujus Ego etiam rationem habui in nonnullis Concentibus, quæ olim composui, & nunc etiam in lucem produco.

Arithmetica Musica. Tonorum, Consonantiarum, & Dissonantiarum differentias numerorum apparatu dilucidat.

Geometrica Musica. Easdem Linearum proportione exponit.

Logarithmica Musica. Et nullibi liquidiùs quàm in ipsa Enarmonicæ proportiones & mensuræ noscuntur.

Syntaxis Musica. Est Ars plures voces artificiosè connectendi, *Compositoriam* vulgus vocitat, & à me ad tantam reducitur facilitatem, ut unâ horâ, aut saltem die possit addisci.

Prodigia Musica. Complectitur ingeniosas Vocum Implicationes, Fugas, Insultus, Labyrinthos, &c.

Philosophia Musica. Ab effectis regreditur ad causas, & vocis sonoræ essentiam, substantiam, quantitatem, qualitatem, relationes, proportiones, actiones, passiones, durationes, ubicationes, situationes, & habitudines speculatur.

Medicina Musica. Agit de Armonia & proportione pulsuum, & de morbis qui vocum consonantiâ curantur.

CVRSVS. CHIROSOPHICUS.

Sed quo poteris modo habere omnes scientias in manu? Illum dabit breviter Chirosophia, quæ non jam novas Artes tradit, sed veteres pugno comprehendit. Et ejus partes sunt.

Chirologia; quæ eloquitur digitis utriusque manûs.

Chirographia: & hæc manu varios characteres efformat. Sed in quo differt à Chirologia? Explicabo. Chirologia literas digitis exprimit, quas linguâ solemus: at Chirographia ineffabiles notas delineat, & ob oculos ponit.

Illa

Illa Orthographiam communem, ista Sinensem imitatur.

Chiro-rhetorica: docet attentos Auditores non tam verbis quam manu capi.

Chiro dialectica. Est contentiosa & bellatrix Facultas, & veritatem propugnans manu clausâ.

Chirarithmica: manu numerat, & difficiles computus digitis expedit.

Chirometria. Metitur digitis terras, astra, & omnia quæ cœli ambitu continentur.

Chiromusica, Artem totam manu curiosè delineatâ complectitur. Hic multa invenies nova, & quæ veteribus & junioribus universis ignota.

Chirochronica. Tempora & ætates coordinat, Ætas ad articulos proprios reducit, & historias expendit: Numeros omnes Ecclesiasticos juxta stylum utrumque (nimirùm, aureum numerum, Epactam, Mensis diem, Lunæ ætatem, Cyclum Solarem, Literam Dominicalem, &c.) summâ facilitate repræsentat.

Chiromantica. Lineas manûs examinat, & rejectis characteribus, quos superstitiosa antiquitas consideravit, speculatur notas medicas & naturales, & ex illis secreta multa detegit, & multa futura prædicit.

Doctrinæ consequentia & similitudo deposcit, ut Chiromantiæ METOPOSCOPIAM conjungamus: scripserunt olim de illâ plurimi, non tamen prudenter & exactè.

Chiromnemonica, quæ intentionalium specierum thesaurum pugno claudit. Est valdè necessaria facultas, ut juvetur memoria, aut manuducatur si velis, totamque *Artem Memoriæ*, quam vocat, reducit ad Articulos manuum.

Has Facultates complectitur Chirosophia; in quâ debent Juvenes eruditi esse benè versati, ut si carere libris aut peregrinari contingat, carere Bibliothecâ non possint; Ergo

Ne possis docto Librûm splendore carere,
Sit tibi Chirosopho Bibliotheca Manus.

CURSUS PHILOSOPHICUS.

Meritò excludebat à suis scholis Plato omnes imperitos Matheseos, non enim securè poterimus philosophari, nisi Mathematicis simus instructi. Igitur novo spiritu & animo quintum stadium percurramus. Et ut expeditiùs possimus, Librorum, quos hic Cursus complectitur, brevem contemplemur Catalogum.

Grammatica speculativa. Huc multa pertinent, quæ solent in Logica tradi. [Hunc libellum scripsi, ut scientificè sciremus, quæ velut naturaliter facimus, hoc est, loqui. Ut cujuscunque Idiomatis perfectiones & imperfectiones cognosceremus; & animadverteremus distinctum iri omninò eloquentiam ab exorbitantia: posseque novum condi Idioma, quod nullâ prærogativâ careat.]

Sed cur Philosophicum Cursum à Grammatica incipio? Quia Methodus doctrinalis requirit, ut à notioribus & facilioribus ad minùs nota & facilia ascendamus: Et puer, qui præter Grammaticam Latinam nihil scit, (tales sunt ferè omnes) expeditiùs de Orationis partibus sibi probè cognitis philosophabitur, faciliùs dialecticabitur de vocibus, quàm de conceptibus aut speciebus, quarum vel solo nomine sub initium terrebitur. Accedit, Vocalem Grammaticam multum differre ab Intellectuali, multum Vocalem Logicam à Mentali, & illas ab eo solo miscendas, qui velit Quadrata Rotundis confundere. Ascendat igitur Studiosus per gradus, & si notis juvetur, ut ad minùs

minùs nota procedat, curſus erit ... [illegible], & facilior, & citiùs ad Metam-Phyſicæ, ſeu ad Metaphyſicam veniet.

Logica. Et quia multa à Logicis video confundi, quæ ſunt toto cœlo diuerſa, ideò voces à conceptibus volui diſtinguere, & quinque libris Dialectam totam comprehendere: & ſunt ipſi.

Logica Vocalis. Et hæc Ars à Grammatica differt, ſicut Gladiatoria à gladijfica; nam Grammatica conficit voces, quibus Logica utatur.

Logica Scripta. Pauca de illa dicuntur, ſed quæ ſummoperè prodeſſe poſſint.

Logica Mentalis. Hæc unica operationes Mentis dirigit, nam vocalis ſubornat linguam & ſcripta calamum: differt toto cælo à prioribus. Et vt vel leviter differentiam inſinuem, è multis, quæ ibi perſequor, hæc pauca profero. Oſtendo inter alia curioſa, dum conceptuum naturam & virtutem examino, Convertentes Converſaſque Propoſitiones, quas calamus & lingua diſtinguit, ſi purè ſint mentales coincidere. Probo in Syllogiſmo intellectuali utramque præmiſſam coexiſtere: adeoque Majoris & Minoris (hoc eſt, prioris & poſterioris) denominationem locum habere in vocibus & ſcripturis, non in mente. Hinc, quia video omnes Syllogiſmos, imperfectos quos vocant, aut Converſione terminorum, aut Præmiſſarum Tranſpoſitione, ad perfectos reduci; in intellectu nullos eſſe imperfectos affirmo. Et quia meus Reformator Dialecticus negat dari Propoſitiones negativas in mente, quod ipſum efficaciſſimè demonſtrat, etiam *Celarent* & *ferio* à Logica mentali proſcribo: *Darij* in *Barbara* inbibi ſtatuo. Et concludo unicum & ſimplicem ſyllogiſmum mentalem, concinnatum in *Barbara*, eſſe Vertumnum quemdam Logicum, quemdam Proteum Dialecticum, qui ad viginti aut triginta etiam formulas & modos vocaliter poſſit reduci. Et hinc aperio viam, ut ſummam Intellectûs potentiam, & ſummam linguæ impotentiam noſcamus.

Reformator Dialecticus. Jam ipſius mentionem feci; dari negantes Propoſitiones negat, & inde multas & grandes conſequentias deducit. Fuit olim à me adhuc puero conſcriptus, & quia etiamnum placet, debuit Logicæ adiungi.

Seuera Argumentandi Methodus. Eſt valdè neceſſaria hoc ævo, vt reformentur abuſus non paucarum Vniverſitatum. Eius partes ſunt duæ. Prior ſpeculatiua eſt, poſterior practica. Illa Præſidem, Propugnantem, & Argumentantem inſtruit; hæc inſtructionem appoſitis exemplis illuſtrat, à ratione & ab authoritate. Prodiit olim Duaci, & fauorem multorum meruit, ſed recuderur multò auctior.

Paralogica. Oſtendit non dari Entia rationis; omniaque, quæ huc uſque talia dicta vel credita, eſſe Entia labii. Hunc Librum attentè legi ſuadeo, nam ſi ſemel proſcribantur à Gymnaſiis chimæræ & figmenta rationis, ſecuriores naſcentur conſequentiæ, quæ hucuſque remorante formidine aboriri & periclitari dicebantur.

Metalogica. Ne ingrederer inutilem Quæſtionem, quæ inquirit, Anne Vniuerſalium Contemplatio ad Logicam; an potius ad Metaphyſicam pertineat? neutri illam adſcribo, ſed Metalogicam inſtituo, in qua de Vniverſalibus & Prædicabilibus (nimirum, Realibus, Modalibus, Formalibus, Expreſſivis, Poſitiuis, Negatiuis, Internis, Externis, &c.) noua arte & induſtria diſcepto.

Prima Philoſophia. Sic placuit vocare illam ſcientiam, quæ examinat Prima Pricipia. Hæc apud alios ſunt plurima, & dicuntur Axiomata, & tamen apud alios tam pauca, vt miremur

mur Ingenii potentiam, quæ ex tam paucis fundamentis intulit tam multa & tam varia.

Metaphysica Pura. Porrò PRÆDICAMENTUM est Prædicatorum superiorum & inferiorum coordinatio: & SYSTEMA est decem Prædicamentorum sub uno Ente contextus: & hunc Metaphysica contemplatur. De hac scientia, aut potius sapientia, scripserunt quàm multi & singuli non Prædicamenta solùm, sed & Scholas contexuerunt, ita ut nec apud ipsos reperire sit Prædicamentum purum, neque puram Scholam. Nos doctrinæ puritati studuimus & duodecim aut etiam plures, putas & putas Scholas aperiri curamus. Eæ sunt

Schola Nominalis. Respondet nomini, & omnes terminos, qui sunt Philosophorum proprii, exponit; ostenditque multas & varias in Philosophia, multas in Theologia Quæstiones, quæ videntur gravissimæ, re medullitus examinatâ ad meram Logomachiam reduci.

Schola Realis. Ens à suis attributis, & à Prædicamentis, hæc inter se & consequenter genera à differentiis reali distinctione intercidit, & a gravissimis difficultatibus facillimo negotio se subtrahit.

Schola Modalis. Quæ in præcedente per realitates, omnia in hac per modos explicantur. Complectitur doctrinam variam subtilemque; & maximè necessariam hoc ævo, quo ignotæ antiquis Modales entitates obtinent, & multa earumdem ubertate explicantur.

Schola Formalis. Minori ipsa dispendio Modos in formalitates convertit. [*Formalitatis* nomine intelligimus Conceptum obiectiuum distinctione ex naturâ rei, aut præscissione obiectiuâ (coincidunt enim) discriminatum.]

Schola Expressiua. Omnia hîc parciùs per expressiones meras & connotata saluamus. Subtilior præcedentibus & politior; sed non mediocribus tradenda ingeniis; nam sicut prima aut etiam secunda iudicatur facillima, & quæ ab omnibus addisci queat? hæc quinta videtur subtilissima, & quæ à pingui Minerva percalleri non possit: subtilia enim non nisi subtilibus tradenda sunt.

Schola Negatiua. Omnia adhuc parciùs hîc per formas negatiuas exponimus & illustramus.

Schola Actionalis. Cœperunt Actione Iuniores uti, imò & abuti sæpè: & quia Eminentissimus Cardinalis de Lugo, gentis Hispanæ gloria, Durationem ab illa non distinguit; & alii eandem doctrinam ad alia Prædicamenta extendunt, volui exclusis multis formis per solas Actiones totam Philosophiam materialem saluare.

Schola Localis. Hodie est valdè communis, & apud Viros magnos in pretio, statuitque omnia corpora permanentia ubicatione & situatione merâ: & successiua omnia distingui mero motu locali.

Schola Magnetica. Ponit ob oculos Herculeum lapidem, & illo substruit novam Philosophiam, quam existimat non posse facilè arietari vel deijci, quod sit supra firmam petram fundata. Complectitur rara & inaudita multa, quorum notitiâ non debet Philosophus noster destitui.

Schola Chymica. A viro, qui doctus videri vult, ignorari non potest. Agit in Metaphysica de Ente Chymico, & sub illo de decem Chymicis Prædicamentis: In Physicâ, de Principiis & causis Chymicis: In Libris de Cœlo & Mundo omnia Chymicè exponit, & non sine ingenio è Luce priùs creatâ, singula elementa & sphæras vi caloris, iuxta Regulas Artis educit. In Libris de Anima, analogiâ delectatur, & Positiones Chymicas ad Vegetatiua, Sensitiua & Rationalia extendit. Etiam audet angelitùs & diuinitùs; &

Pro-

Prophetarum Patrumque putat Testimoniis juvari: quæ non vult omninò metaphoricè intelligi, sed asserit in ordine rerum immaterialium dari aliquod spirituale, quod anologum sit luci corporeæ.

Hæ Scholæ sufficere debere videbantur: at ubertoris doctrinæ gratia etiam istæ debuerunt adjungi : videlicet:

Schola Infinita. In cuius priori parte rerum Infinitas, Immensitas, & Æternitas examinantur: in posteriore specialiter agitur de Syncategorematico Infinito , hoc est de Indefinito.

Schola Eucharistica. Quæ ex Sacramento Venerabili plurimas consequentias deducit, quæ Rem Philosophicam illustrant & exornant.

Schola Miraculosa. Quid in singulis Prædicamentis ordinaria : quid absoluta Dei potentia valeat, accuratè examinat, & vires naturæ metitur.

Schola Deiformis. Est omnino curiosa. Supponit multa à Philosophis, multa à Theologis, exponi & illustrari, recurrendo ad Deum, formam extrinsecam, aut etiam efficientem causam; & inquirit, An eodem modo possint omnia? & hic ubi ad Deum ventum, Philosophiæ Puræ finem ponimus.

Hucusque à ratione proceditur, transitur ad authoritatem, & examinantur Hominum Illustrium, (antiquorum, juniorum) Resolutiones, quæ hodie in pretio.

Heterodoxa Metaphysica: Huc præcipuè AUTHORES subsequentes pertinent.

Democritus. Antiquissima hujus Philosophi doctrina est: & iuxta ipsam omnia componuntur ex atomis.

Empedocles. Democriti doctrinam promovet, & ex atomis quatuor elementa, & ex his omnia ingeniosè constituit.

Pythagoras. Priores dilucidat, Elementa distinctione accidentariâ discernendo. Alius & Theologicè fuit, & fœlici discursu carnis resurrectionem tradidit: quam sententiam, verissimam & sanctissimam, eius Discipuli ad varia deliria detorserunt.

Plato. Fuit olim celeberrima Academica secta Scholiarchâ Aristocle, qui postea Plato; & ante Div. Thomam ferè unica in toto Orbe terrarum.

Aristoteles. In magno tametsi olim honore apud Ethnicos, apud Catholicos damnata fuerunt eius dogmata, proscriptaque ab Ordinibus Religiosorum; & quia humana omnia caduca, & inconstantia, iterum revocata & evecta à Scholasticis, sed tandem iterum excussimus seruile iugum, & veritatem unam potius hodie, quàm totum Peripatum curamus.

Virgilius. Quem maximum fuisse Philosophum Ecloga sexta, & Georgica vniuersa testantur.

D. Thomas. Est enim hoc sæculo insignis Thomistarum Doctrina, & in multis Vniuersitatibus sola : & sed aliqua videtur supponere, quæ libenter videremus clariùs dilucidari.

Scotus. Subtilis est, & cui frustra impallescit qui ingenium eximium non habet.

Lullius. Multa promittit, at *promissis dives quilibet esse potest.*

Ramus. Debuit huc poni, & specialiter examinari propter aliquos, quibus rara potiùs, quàm vera sunt chara.

Paracelsus. Tradit Chymicam Philosophiam; cuius nos eriam Dogmata, prout jubet veritas, rejicimus aut approbamus.

Campanella. Habet multos Discipulos, præcipuè in Gallia. Verum quia afflictus Vir semper caruit Libris & exercitio, semper tranquillo animo, deberet eius opera aliquis Vir doctus rescribere & ad consona fundamenta elimare.

Lorca. Est in pretio apud Cistercienses præcipuè

cipuè Hispanos, qui supponi præcipiunt, Gratiam Peccatumque in eodem instanti intrinseco & reali esse simul, quod Lorca tenet; & hinc totam Dialecticam, totam Physicam & Metaphysicam; imò utramque Theologiam (Naturalem & Moralem) alterant.

Ioannes Marcus. Platoni est ingenio & doctrinâ simillimus; sobriè tamen. Ideas, sed sensu, aut vero, aut saltem probabili admittit, & de rerum arcanis principiis felicissime philosophatur. [Est Magnificus Vir, Bohemiæ Physicus; (Græcè *Archiater*, Hispanè *Protomedicus*) Primarius Vniuersitatis Carolinæ Professor, Libris optimis clarus, & altiùs quàm cæteri sapiens.]

Mannagetta. Physica Chymicis conciliat: & sublato discrimine se expedit à maximis difficultatib [Hunc post alios enumero, quoniam Ideas suas edidit tardiùs, & plerasque adhuc supprimit, nec typis mandari permittit. Est hodie Viennensis Vniuersitatis Rector & Professor Primarius: summi ingenij & studij Vir, & apud omnes maximæ authoritatis.]

Cartesius. Hollandis ipse & etiam Anglis placet. Parco Naturæ Genio studet, Eandem Philosophiam scriptis subtilissimis dilucidauit. Habet Discipulos doctos, & editis Voluminibus claros; & ut video, pauculis opinionibus decircinatis aut sublatis, cæteræ irrepunt, & erunt aliquando communes.

Helmontius. Novi Hominem. Fuit pius, doctus & celeber: Galeni & Aristotelis juratus Hostis; sub quo ægri non laborabant diu, nam secundâ aut tertiâ ad summum die carebant vita aut morbo. Vocabatur præcipuè ad illos, qui ab alijs Medicis deserebantur, è quibus non paucos restituit vel frendentibus illis, à quibus fuerant condemnati. Prodierunt jam tandem eius Opera, & in ipsis continua contra Peripateticos & Galenistas Satyra, multis onusta folijs, fructu tenui; quæ quoniam ab Empiricis & Paracelsistis in Galenistarum odium promouentur, debuerunt à nobis medullitùs examinari.

Valerianus. Est re & nomine Magnus, & pollet felicissimo ingenio; multa contra Aristotelem scripsit, quibus eiusdem maximos errores detexit; sed quia ingenia etsi simillima sint, in omnibus conuenire non possunt, observari nonnulla, quæ meo non consonant, & de illis scripsi specialem tractatum, quo Heterodoxam Metaphysicam claudo.

Hæc est Idea nostra Philosophiæ; qua, ut puto, non deberet carere, qui Professorem agit: nam Discipulus, ut bonus sit, unam solam scholam percallere jubetur: hoc enim sufficit ingeniosè responsuro sub alio: at Magistri est obligatio multò latior; nec videtur tanto nomine dignus, qui aliorum opiniones ignorat.

Hucusque rerum essentias contemplati, quid Deus potuerit facere vidimus; non quid fecerit; ergo progrediamur ulteriùs, & Opera Divina discutiamus.

Physica. Agit de substantiâ existente; & quia est multiplex ista, etiam Physica est multiplex.

Physica Naturalis. Nomen mordeat aut irrideat Erasmus, nam & ipse irridetur à nobis, qui videmus ab eodem ignorari, aliud esse unde nomen desumitur, aliud quod sonat. *Canonicus Regularis* non est Canonicus canonicus, ut ille objicit; nec *Physica Naturalis* est Physica physica, quod ipse objiceret; sed Physica prorsus inanima. nam hodie actiones quæ intentionales non sunt, *Naturales* vocantur. Est huius Facultatis obiectum Corpus inanimum. partes duæ, Analytica seu diuisoria; & Ergastica seu Productoria. In primâ parte totum Mundum ob oculos pono, illumque in quinque elementa (Terram, Aquam, Aërem, Ignem & Ætherem) divido, & singula membra diuisionis examino. Elementum subdiuidere in substantiales Materiam & Formam frustrà conor, & hoc

CVRSVS THEOLOGICUS.

EX DEO naturaliter cognito ad DEVM sublimiùs cognoscendum ascendimus, rationis acumen Fide supernaturali juuamus, iactis constamus fundamentis, & quia de ipso generosè sentimus, multa quæ hactenus in scholis recepta, necessariò mutavimus, Hunc Cursum complemus his libris.

Præcursor Theologicus. Omnes Quæstiones Procœmiales, quæ sub initium Theologiæ disputantur, edisserit.

Deus Sapiens. Agit de Scientiâ Dei; nimirùm de simpliciter intelligente, de Visivâ, & de Mediâ.

Deus Volens. Agit de Voluntate Dei: nempè de Necessaria & Libera. Item de Noluntate; & Opinionib. Philosophicis consonans, ostendit Nolitiones in Deo non reperiri.

Deus Prouidus. Et in hoc Libro de Prouidentiâ, de Prædestinatione, de Reprobatione, de Directione secundarum Causarum (materialium & immaterialium) disputatur.

Deus Trinus. Differit de sublimi Trinitatis Mysterio: & quia Theologica ad Philosophicas Positiones elimat, tradit multa subtilia, noua & rara.

Homo Purus. Examinat, An sit possibilis natura pura, & qualis in illo statu esset Homo, qui sine gratia & sine peccato nasceretur?

Homo Innocens. Considerat primos Homines in Paradiso, nondum lapsos, & illiùs statûs fœlicissimi edisserit prærogatiuas.

Homo Lapsus. Edisserit Hominis post peccatum miserias, (reales, moralesque) & aliqua prælibat de Medicinâ, quæ fuit illi diuinitùs data.

Maria. Sunt in Theologiâ multa, quæ specialiter concernunt Deiparam, & debuerunt specialiter examinari.

Christus. Et hic Tomus subdiuiditur in Libros quinque, quos breuiter enumerabimus.

Vnio Hypostatica. Disputat de essentiâ & proprietatibus unionis, diuersis Scholis se attemperans.

Christi Corpus. Et multa edisserit, quæ licet omissa hucusque à Philosophis Theologisque, non debent ab Eruditis ignorari.

Christi Anima. Et hîc uberiùs multa de substantiâ, potentiis, attributis, virtutibusque.

Christi Vita. Non Historicus tantùm, sed & Theologicus hic Liber est, imò etiam Mathematicus, quoniam Christi actus pensitat, & eorumdem: loca, tempora & rationes disquirit.

Expectaret hic aliquis libros de Sacramentis, at meliore consilio illos transtulimus ad Theologiam Moralem: pauca enim in singulis Physica, & tamen illa in Eucharisticâ Philosophia dilucidauimus.

CVRSVS PHILOSOPHIÆ MORALIS.

GEnius meus merâ speculatione delectatur. Improbo labori ille insudat: & sæpè potiùs ut rescognoscat, quàm ut habeat. nam de diuitiis & dignitatibus scripsi multa, cùm tamen illas contemnam, has non ambiam. At nescio quo fato factum sit ut decuplò plura scripserim de Practicis, quàm de speculatiuis. Vt video cessi tempori, loco, amicitiæ; debuique respondere Morales Decisiones rogantibus. Resolutiones tandem mea tot fuerunt, ut debuerint in classes & libros distribui, & potuerint paucis insertis & additis ad hanc reduci formam, quam præ se ferunt. Eas ego majoris claritatis gratiâ ad duo Volumina reduco, ne sublimiora ab aëre pendeant, fundamentalibus Thesibus ignoratis, Primum Volumen est;

Philosophia Moralis. Agit de Ente virtuali, & eius istæ partes sunt:

Orthographia Moralis. Agit de Characterum & literarum potestate virtuali, de significatione morali, & moralibus linearum passionibus & attributis.

Grammatica Moralis. De Moralibus Declinationibus, Conjugationibus, Casibus, Numeris, Vocibus, Modis, Temporibus & Personis disceptat.

Grammatica Sacramentalis. Putant plerique Sacramentales omnes disputationes esse Theologicas, cùm tamen pleræque grammaticæ sint: nam Sacramenta rebus & verbis confici, docuit nos Synodus Florentina; & quia res sunt notiores, omnes aut ferè controuersiæ reducuntur ad verba, & ideò debui scribere Grammaticam Sacramentalem, ut vel hinc dissolverem Quæstiones difficillimas, quæ ex Theologiæ fundamentis non possem.

Thesaurus Moralis, & est Tractatus de verborum significatione; & multa digna scitu complectitur.

Logica Moralis. Disputat de Terminis de Propositionibus, de Discursibus & syllogismis virtualibus: ubi multa nova & subtilia; quæ à Conscientiâ consultis, & à Iudicibus, Patronis & Actoribus ignorari non possunt [Puto me esse primum qui Moralem Dialecticam redu zit ad leges & regulas, & multum hîc ingenij & studij impendisse; totumque fore librum summâ cum utilitate legendum.]

Accessit *Praxis Iudicialis*, quæ est Liber summè necessarius Iudicibus (sæcularibus, Ecclesiasticis & Regularibus) ut sciant processum instituere, & in visitationibus procedere: frustrà enim veritas in tribunalibus quæritur, si carent Dialecticâ Morali Iudices; quâ in eiusmodi labyrinthis regantur.

Metaphysica Moraliter Examinata. Agit de Ente virtuali, de virtualibus eiusdem attributis, de Substantia virtuali, de virtuali Accidenti, de virtualibus Modis, de virtuali etiam Quantitate, de virtuali Qualitate, de virtuali Relatione, de Existentiâ & Duratione virtuali, de Actione & Passione virtualibus, de virtualibus Loco & Situ, & tandem de Habitu virtuali.

Physica Moraliter Examinata. Omnia, quæ in Physicorum Libris; omnia, quæ in Libris de Animâ, de Generatione & Corruptione, de Cœlo & Mundo, &c. ediderunt Peripatetici; cooptat Moribus, ut altiùs intelligat essentiam, ingeniumque virtualitatum.

Medicina Moraliter Examinata. Agit de necessitate Medicorum, & morali infirmorum regimine. [Est Liber valde necessarius hoc æuo, in quo relaxatio certissima subrepit in sanctissima claustra sub nomine pietatis & necessitatis.]

Politica Speculatiua. Quæ multa curiosa & subtilia complectitur, quibus ingenium colitur, & Practica debet & formari & firmari.

Res Nummaria. Monetæ essentiam & proprietates contemplatur, & multas inauditas eximiasque difficultates summâ facilitate & securitate decidit [Sed quis me nummis implicat, qui illorum vel nomen fastidio, qui eosdem iudico Ecclesiasticos multos perdidisse? uniuersos grauasse? Vt illorum quidditatem examinem, & viam aperiam disputationibus de Redemptione, Satisfactione, Merito, Præmio & Pœnâ, in Cursu Theologico instituendis; quarum omnium solutio à Rei Nummariæ cognitione penitiore dèpendet.

Hyperethica, est Philosophia Moralis eminentior, quam isti componunt Tractatus.

Virtus. De Actibus humanis & præcipuè de bonis & laude dignissimis differit; eorumque essentias, passiones, & proprietates meditatur.

Peccatum. Examinat Actuum humanorum mali-

malitiam. & exploratâ ejusdem naturâ & essentiâ ad passiones recurrit, & omnes contemplatur exactè.

Beatitudo. Fœlicitas æterna est, quæ manet Viros sanctos post mortem, quæ debuit moraliter examinari.

Pœna. Ago de illâ, quæ peccatores manet, & duplex est: temporanea & æterna; illam patiuntur in Purgatorio Animi Hominum, qui mortui in Domino: hanc verò cæteri, qui sunt æternùm miseri, & debent à nobis altè considerari. Descendamus, obsecro, in Infernum viventes, ut Stygiorum ignium horrore & terrore perculsi, tam purè vivamus in Mundo, ut non ad pœnas posthumi, sed ad gloriam æternam transferamur.

Deus. Si ascendero in Cœlum, illic est; si descendero in Infernum, adest. Multa essent, quæ examinari possent, at quia ad Theologiam paramus Juniorum ingenia, in hoc Tractatu Atheesin Dei, & Apotheosin Hominis radijs moralibus dilucidabimus.

CVRSVS THEOLOGIÆ MORALIS.

MVlta in Morali Philosophia exposuimus, quæ nos manuducent omninò; cum Theologica & Divina tractabimus. Est igitur MORALIS THEOLOGIA, quædam Scientia cœlestis, quæ Actus humanos in ordine ad Deum, & Deum in ordine ad Actus humanos meditatur. Illamque in Fundamentalem, Præterintentionalem, Decalogicam, Sacramentalem, Canonicam, Regularem, Civilem & Militarem dispertimur.

Theologia fundamentalis, examinat Ethicorum Principia; & an secura sint inquirit, & per omnes Moralitatum campos ingeniosè & etiam audacter discurrit. Ingeniosè, quia multas novas difficultates ponit, & exponit: audacter, quia ubique interrogat & dubitat, & nihil omninò resolvit. Placuit in hâc primâ editione mentes aliorum experiri & moneri, ut aliqua vel expungam, vel alterem; multa enim ibi sunt ingenij periclitandi gratiâ posita, quæ speculative forte admitti possent, non tamen permitti debent practicè.

Theologia præterintentionalis. Hæc mihi præ cæteris placet, & Amicorum, à quibus lecta, favorem & applausum promerita, per totum Decalogum & Sacramenta excurrit, & singula accuratè resolvit. In duas partes dividitur. Altera est Speculativa, altera Practica. Illa unicâ paginâ doctrinam tradit, quæ Lectorem manuductura sit in toto Libro. Hæc copiosa est, & varios & difficiles casus eodem filo resolvit. Cui debebit meus Lector, ut unius horæ spatio (non requiritur plus, ut Pars addiscatur Theorica) librum integrum memoriæ mandet, & Casus toto Cœlo diversos ad eadem fundamenta reducat. Fere omnes Casus illa, qui in Theologiâ Morali solent controverti, complectitur, & Decalogicæ præmittitur, quoniam in expositione ipsa suâ non pendet ab intelligentiâ Decalogi. Post ipsam dabitur.

Theologia Decalogica. Tametsi in Philosophiâ Morali de Actibus humanis (& bonis & malis) multa dicta, omnia hic uberiùs, altiùs & exactiùs tractantur. Hic examinatur radicitùs, Quid sit bonitas & malitia moralis? An ante præcepta sint mores? An Deus aliquid Hominibus possit præcipere? an possit Angelis? & cur possit utrisque? An aliquid de facto præceperit? Quid & quantæ sit authoritatis Decalogus? qui ille debeat intelligi? Istis examinatis Legem ostendimus Dei digito non solum Tabulis inscriptam lapideis, sed etiam cordibus, hoc est, Conscientiæ; ejus characteres in Certâ clariùs, obscuriùs in Probabili, obscurissime in scrupulosâ, vix in Conscientiâ Dubiâ legi.

Et ut Conscientiæ penetralia explorentur, & nihil in corde ignotum maneat, hos Tractatus addemus.

De Conscientia dubia. Quid sit ipsa, paucis lineis declarat, & deinde in parte practica multos Casus proponit, quos eadem lege & methodo jubet dissolvi.

De Conscientia probabili. Non debet cum dubia confundi, à qua differt, ut lux à tenebris. Opinatur enim probabiliter, qui ducitur ratione gravi; dubitat verò positive, qui levi; negative, qui nulla. Hic videbis, quid debeas facere aut non facere, cum sunt probabilia motiva.

De Conscientia scrupulosa. Et in isto demonstrabo evidenter nullo alio modo meliùs te posse eam definire, quàm dicendo, *Conscientia scrupulosa, est Conscientia superba & ignorans*, qui enim vel doctus est, vel humilis, scrupulis angi non potest. Ostendam scrupulos ad probabilitatem potiùs, quàm ad dubium reduci: qui enim scrupulosum se esse scit, jam habet prudentem & rationabilem causam, ob quam possit contra remorsum qualemcumque præsumere, jamque habet causam verisimilem, ob quam debeat judicare pro se, quousque demonstretur contrarium.

De Conscientia certa. Et spicilegio instituto hic determino, quid in materia morum certum sit, nec debeat ad quæstionem reduci.

In Tractatibus istis, ut paulò ante insinuavi, sic procedo. Præmitto brevissime in singulis veram doctrinam; illam efficaciter propugno & dilucido; & Lectoris mei mentem informo. Tunc subscribo centenos & centenos casus, quos omnes una & eadem solutione decido. Et quidem hęc methodus valde facilis, & quæ possit Lectorem vel una hora millium Casuum solutionem docere.

Omnia, quæ in Libris de Conscientia scripta, ad Legis Divinæ Tabulas, hoc est ad Dictamen & actus intellectus spectant.

Cùm ergo non solùm cordibus, sed & Tabulis lapideis legem divinam Deus inscripserit, has etiam ob oculos pono & expono, primò juxta textum Hebræum, & secundò juxta Græcum, tertiò juxta Latinum. His positis ad singula præcepta descendo, dividendo Decalogum in quatuor Sectiones diversas. Ad primam pertinebunt peccata, quæ quis committit contra Deum; ad secundam, quæ contra seipsum: ad tertiam, quæ contra Parentes: ad quartam, quæ contra suum Proximum. In singulis Occisionem, Fornicationem, Furtum & Mendacium reperiemus. Quæ si committantur opere, in octo priora Præcepta Decalogi impingent: si cogitatione & consensu, in nonum: Et, si verbo, persuasione & scandalo, in decimum.

Theologia sacramentalis. Omnia expendit, quæ sunt Moralia, & singula Sacramenta concernunt, & subdivitur in novem Libros. Illa sunt

Sacramentum ut sic. Expendit Sacramenta in genere; hoc est, plurimas difficultates omni Sacramento communes.

Baptismus. Ejus institutionem, essentiam, & proprietates edisserit, multos casus solvit, qui possunt in hac materia accidere.

Confirmatio. Pauci de illa ex professo scripsêre, & ideò majori studio indiguit.

Pœnitentia. Multa sunt in hoc Sacramento, quæ ignorari non possunt; multa difficilia & obscura, quæ debuerunt radicitùs examinari.

Eucharistia. Agit de Sacrificio Missæ, in quo Sacramentum conficitur: de ipso Sacramento ineffabili: & de ejusdem receptione, quæ vocatur Communio.

Ordo. Disputat de Minoribus [Prima-tonsura, quæ si Ordo non est, est saltem ad Ordines janua: Ostiaratu, Exorcistatu; Lectoratu; Acolytatu:] de Majoribus [Subdiaconatu, Diaconatu,

conatu, & Sacerdotio] & de Supremis [Episcopatu & Pontificatu.]

Matrimonium. Illud in jure naturæ considerat. Quale nunc sit apud Iudæos, Mahumetanos, & Idololatras examinat. Quale etiam apud Christianos Acatholicos. Tandem ad Orthodoxos veniens edisserit multa specialia.

Sacramentalia. Illa hic Liber enumerat, à singulis Sacramentis distinguit, eorumdemque proprietates expendit.

Appendix de Mutis & Surdis. Sunt Homines commiseratione dignissimi, & tamen qui medijs sufficientibus non carent, ut possint salvari, si velint. Eos tenemur juvare quantum possumus, & Theologica doctrina permittit, & ideò hunc Librum volui addere, ne aliquid videretur huic Operi Morali deesse. Examinabo in ipso, Qualiter peccare possint, soleantque? An possint Sacramenta suscipere? An administrare? Et quomodo debeant Superiores illorum conscientias gubernare?

Theologia Canonica. Agit de Catholicâ Ecclesiâ, & dividitur in varios Libros. Do titulos.

Ecclesia Vnica. Agit de Regulâ credendi. omnesque controversias Fidei ad unicam solam reducit. Est Liber valdè utilis, & qui plurimis profuit, & in posterùm prodesse poterit.

Monarchia Ecclesiastica. Agit de Christo Ecclesiæ Catholicæ Authore, de ejus Vicario, Cardinalibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prælatis, & cæteris Ecclesiæ Administris. Hunc Librum hi Tractatus constituunt.

Pontifex. Sic dicitur per antonomasiam, qui Summus, qui est Pro-Christus in terris, cujus est summa authoritas, à quâ cæteræ Christianæ pendent.

Cardinalis. Agit de Eminentissimorum Dominorum institutione, necessitate, authoritate.

Legatus. Sunt Nuncij Oratores Pontificis; at Legati Vicarij: & ijdem multa habent privilegia communia, multa specialia, quæ debuerunt medullitùs examinari.

Episcopus. Quanta sit hujus statûs dignitas, & quanta requiratur in promoto perfectio, quanta potestas, & quanta etiam à Deo, à Pontifice, & Principibus sint illi privilegia concessa, diligenter inquirit.

Possemus hic de Abbatum & Prælatorum authoritate, & jurisdictione disputare, sed quia de his in Theologiâ Regulari ex professo, non est cur eadem repetamus.

Clericus. Agit de immunitate Ecclesiasticarum Personarum.

Templum. Agit de immunitate Ecclesiarum, & aliorum locorum.

Ius Pontificium. Ejus vires & authoritatem examinat: & quæ tractata ab alijs fusè, ad compendium reducit.

Theologia Regularis. Disputat de Regulis & Legibus Religiosorum. Prodijt iterùm iterumque (Brugis apud Nicolaum Breyghelium anno 1640. & Francofurti apud Theobaldum Schonvvetter anno 1646.) & quia non ampliùs prostant Exemplaria, multò auctior iterùm recudetur. Ejus partes sunt duæ. In primâ isti Tractatus reperiuntur.

Basis Theologiæ Regularis. Et est Scholion D. Bernardi elimatum ad Regulam D. Benedicti; in quo aureus ille hujus Melliflui Doctoris liber, qui inscribitur *de Præcepto & Dispensatione*, accuratè illustratur, & ejus doctrinâ formatur Discipulorum mens, ut altissimè sequentia intelligat.

B. Hildegardis in Regulam S. Benedicti Notæ & Animadversiones Morales. Fuit mei Bingensis Monasterij Abbatissa, Dei spiritu plena. Virgo verè pientissima & doctissima, & multò adhuc benignior & clementior Bernardo. Hanc Regulæ Ex-

læ Expositionem, quam hic damus, à Christo illa revelatam seu dictatam affirmat: sed quia multa singularia complectitur, debuit à nobis severiore calamo dilucidari.

Monachus Primitivus. Regulam hic Libellus accuratè considerat, & quo olim intellecta fuerit modo à Cistercienlibus, & alijs Sanctissimis Viris exponit: & edisserit multa, quæ jam sunt obsoleta, & deberent veterum exemplo ad Monasteria revocari.

In secundâ autem Theologiæ Regularis parte, ponitur noster COMMENTARIUS IN REGULAM D. BENEDICTI. Est Historicus, Scholasticus, Iudicialis, Politicus; & in ipso claudun-tur libri sequentes.

Regula Religiosa. Agit de Legibus, & specialiter de fundamentalibus, quæ nominantur *Regulæ*, & exponit qualiter obliget Benedictina.

Religiosi ante Christum. Fuisse multas & varias Religiosorum Hominum Congregationes ab ipso Mundi initio usque ad Christum ostendit.

Religiosi sub Christo. Probat Christum Dominum vitam Religiosam egisse: item Apostolos: etiam sub illud tempus multos alios.

Religiosi post Christum. Et hic eos Liber à Christo ad Nos sine interruptione perennasse demonstrat.

Monachorum Genera. Multa enumerat & exponit.

Novitius. Agit de dubijs quæ circa Novitiorum admissione, educatione, & promotione oriri possunt.

Stabilitas. Qualiter intelligenda sit? Et an sit speciale votum in Ordine S. Benedicti?

Vota Substantialia. Sunt Obedientia, Paupertas, & Castitas, & de singulis accuratè tractatur.

Officium Divinum. Agit de ejus ritu, solennitate, antiquitate: item de obligationibus, sub quibus tenentur Religiosi Horas suas recitare.

Regimen Monasticum. Agit de Abbate, Præposito, Priore, Decanis. Celerario, Sacristâ, Novitiorum Magistro, Ostiario, & cæteris Communitatis Administris.

Tribunal. Agit de Capitulis privatis, Visitationibus, Correctionibus, & Litibus Religiosorum.

Opuscula D. Benedicti. Ponuntur aliqua, & breviter dilucidantur.

Regula Militum Templi. Ponitur, & brevi Commentarius illustratur.

Regula S. Augustini. E diversis, quas Doctor Divinus composuit, illa exponitur, quæ à nostri ævi Religiosis admissa.

Regula S. Francisci. Vnica est, eaque severissima, & ex disputatis in toto Regulari Opere lucem accipit.

Regula Fratrum & Sororum de Pœnitentia, tertij Ordinis S. Francisci habitantium in Communitate.

Regula Fratrum & Sororum in Domibus proprijs habitantium.

Commentario Morali, & multorum Casuum Resolutionibus, quæ possunt Religiosis universis prodesse, explicantur & dilucidantur.

Theologia Civilis. Humanas sæculares omnes componit cum lege Divina. Omnem civilem authoritatem ostendit esse à Deo, omnem esse ab Hominibus, sed diversimodè. Omnem, quà Divinam, ad ædificationem, & non ad destructionem esse: omnem, quà Humanam, ad conservationem & defensionem. Principes posse obligare Conscientias, etiam solere. Tributa eisdem deberi ab omnibus qui propugnantur: ab eisdem tributis ex rei naturâ nullum, aliquos privilegio eximi. Penes eosdem esse ferendi leges authoritatem; non dissolutam, sed absolutam. An in pronuntiando à Republica, an in obligando à Populi acceptatione pendeant? An Reipublicæ subsint, an contrà illis Respublica?

ca? Demonstro multas Leges, aliàs injustas, merâ acceptatione justas reddi; cedunt enim suo iure, qui ultrò acceptant. His tandem notitiis instructum Lectorem ad Ius Cæsareum confero, ejusdem vires examino; quo Hispanos, Gallos, & alias Gentes modo obliget: & unde hæc obligatio suboriatur, edissero. Demùmque totum illud, quantum est, ut præ oculis haberi queat, ad breve compendium reduco.

Theologia Militaris, quæ Civilis est pars, & in ipsa de Bello, & Pace; de concordiæ articulis onerosis; de favorabilibus, & à quibus & quando possint iniri aut non iniri. [Huc pertinent omnes Libri, quos pro Regibus Philippo II. III. & IV. omnes, quos pro Cæsaribus Ferdinando I. II. & III. huc etiam, quos scripsi pro aliis] Et hi sunt Libri, quos Tomus iste Militaris complectitur.

Bellum Publicum. A quibus quando & qualiter geri possit, examinat.

Philippus Prudens, Caroli V. Imp. Filius, Lusitaniæ. Algarbiæ Indiæ & Brasiliæ legitimus Rex, demonstratus. Agit de jure adquirendi, possidendi & recuperandi Coronas, & ut doctrinam hanc clariùs dilucidet, Philippum II. Hispaniæ Regem Lusitaniam mortuo Henrico occupantem proponit, & quanto illam jure occuparit, & possideant successores ostendit.

Ioannes Bargantinus, Lusitaniæ, Algarbiæ, Indiæ & Brasiliæ illegitimus Rex demonstratus. Agit de defectione Portugalliæ, quæ accidit anno 1640. Coronamque à Duce Bargantino illegitimè invasam, ostendit.

Captivus. Qui bello justo capitur *Mancipium* dicitur; si servetur, vocatur *Servus*; & quia sunt multæ difficultates, quæ hos miseros Homines concernunt, debui specialiter scribere de bello-captis.

Duellum, sive Bellum privatum. Differit de Monomachia, & examinato An detur casus, in quo licita sit? An provocare interdum liceat? an saltem egredi? Et multas alias Controversias incidentes examinat.

Pax publica. Quæ quanta & qualis cum Catholicis, cum Hæreticis, & cum Mahometanis iniri possit, soleatque.

S. Rom. Imp. Pax. Variis fuit consiliis agitata, & demùm à Nobis medullitùs discussa: & ad duas Hypotheses reducta. Sub primam cõdemnata & dissuasa: sub secundam pia licita & valida demonstrata, commendata, approbata, persuasa.

Est Opus Theologico Politicum omnibus necessarium; prodiit iterùm iterumque Francofurti apud Schonvvetter an. 1647. & 1648. & Viennæ iterùm apud Matthæum Cosmerov. an. 1649.

Hæc omnia indictionem & suspensionem Belli, & Principes supremos cõcernunt: at quia sæpè in ipso Bello justo peccatur, à Generalibus, à Legionariis, à Ducibus, à Gregarijs militibus, cogitatione, verbo, opere, & cõntra singula præcepta Dei, Ecclesiæque, debui per singulas personas & Officia discurrere, & ubique plurimos casus proponere, & singulos ad veræ Theolog. fundamenta reducere. Et hanc ob rem alium Librum adjunximus, qui

Sacerdos Militaris inscribitur, in quo de Militum Parochis & eorumdem officio: item de Decalogo & Ecclesiæ Præceptis, & quo ista modo & quando à Militibus violari soleant, possintque. In ipso etiam de Sacramentorum apud Milites usu & abusu: de capacitate etiam activâ & passivâ, &c. Ubique multa, quæ valde necessaria Presbyteris, qui Castris & Militum Animabus inserviunt.

PATRES.

NOn multum Ego temporis impendo aut perdo in Veterum Libris legendis; non quòd contemnam illos,

illos, sed quòd omnia quæ pulchrè cogitarunt, jam sint à tumoribus summo studio & industria eliminata. Interim sunt aliqui *Scriptores antiqui, qui à nostris hominibus non satis intellecti videntur, qui debuerunt omninò recognosci, & Commentariis illustrari.* Examinati sunt à Nobis præcipuè Dionysius, Augustinus, Benedictus, Bernardus. Quid in singulis factum, expono.

Dionysius. Correctissimum habemus à Corderio, qui illum curavit imprimi in Officina Plautinian. apud Balthasarem Moretum. Illum bini comitantur Interpretes, Pachymiras & Maximus. An Dionysium intellexerint ipsi? an ipsos nos? Græci sunt, & interdum obscuriores Dionysio.

Augustinus. Opus est Theologicum, & Quæstiones plurima de Gratiâ & Libero Arbitrio ad mentem Divini Doctoris examinans. Illud priùs composuit Cornel. Iansen. non tam Pelagianor. quâm Iesuitarum adversarius: & quia ubique verba Augustini in oppositos sensus obtorsit, debuit necessariò rescribi. Absolvissem hoc Opus, si mansissem Lovanij: ibi enim inter Veteris & novæ doctrinæ Assedas perpetuæ disputationes erant: at in Germaniam missus alijs debui negotijs insudare. Ultimam nihilominus manum Operi imponam, in quo probabo *primò* vix ullum in toto Iansenio Syllogismum, qui reprehensione careat, inferamque Authorem Rhetorem quidem fuisse, non Dialecticum. *Secundò*, textus ipsos contra mentem Augustini allegari. *Tertiò*, hodie Lutheranos & Calvinistas in Liberi Arbitrij materia propiùs ad nos accedere, quàm Iansenianos. *Quartò* meritò istam doctrinam, quâ necessitatem sub Libertatis specioso vocabulo protrudit, (cætera enim quæ cum necessitate voluntatis connexionem non habent; & quæ *Necessitatis* nomen in nomen *Infallibilitatis* convertunt, tolerabilia fortassis sunt) esse in Lutheranos & Calvino à Tridentinâ Synodo, in Bayo à duobus Pontificibus, & ab alijs duobus in Iansenio damnatam. In hoc Opere continentur hi Libri.

Philosophia. Tota traditur ad mentem Divini Doctoris.

Theologia Scholastica. Tota testimonijs ejusdem illustratur.

Theologia Moralis. Et in ista erunt Quæstiones præcipuæ, quæ inter Catholicos & Heterodoxos agitantur.

Hæresis Pelagiana. Varios ipsam diversis temporibus habuisse errores assero; multa etiam aut vera aut tolerabilia intermiscuisse: à Massiliensibus* & aliis plurimis remissiùs traditam. [Puto hæresin olim Pelagianam, sicut hodie Lutheranâ & Calvinianâ à tribus aboriri Parentibus: videlicet, Ignorantiâ, Æquivocatione, Irritatione. Nam si cessaret odium & aliquæ hallucinationes & æquivocationes tollerentur, instrui possent hæretici, & faciliùs ad veram Religionem reduci.]

Pura natura. Eam esse impossibilem docet Iansenius. at testimonia Hipponensis Episcopi videntur potius probare eam fuisse productam de facto: & tamen neutrum est asserendum.

Natura Integra. Ignota est, & à singulis diverso modo exposita. Iansenius, cùm agit de Natura Lapsa, voluntatem necessitat; cùm de Integra, Molinæ & Patribus Iesuitis subscribit, sed ausu irrito, quia multa negat, sine quibus suam sententiam propugnare non potest.

Natura Lapsa. Arbitrij indifferentiam retinet, quidquid clamitent Heterodoxi. Qui Libertatem cum spontaneitate confundunt, audire deberent Calvinum à Synodo Tridentinâ condemnatum, qui ait, *si libertatis vocabulo libertas à coactione sit intelligenda, esse in Homine liberum arbitrium, & arguendum hæreseos, qui contrarium assereret.* Ergo totus hic Liber erit pro Arbitrij indifferentia

differentia in Natura lapsa propugnanda.

Peccatum Originale. Mira de illo delirant Lutherani, mira Calvinistæ, mira & alij: & omnia ex Augustino, ut existimant. Et hanc ob rem, ut Sanctissimum hunc Doctorem vindicaremus, debuimus hunc Librum subscribere.

Gratia Omnipotens. At ita omnipotens, ut humanæ voluntatis libertatem non lædat. Et de hoc debuimus specialem Tractatum.

Nota. Iansenium amavi, dum viveret; virum (sincerè loquor) modestissimum, urbanissimum, moderatissimum; virum vitæ inculpabilis, & si ab opinionibus posthumis præscindamus, omni laude dignissimum. Amavi ejus primarium Discipulum Libertum Fromondum, ingenio floridissimo & fortissimo præditum; pium & doctum: & utrumque etiamnum veneror, nam potuerunt nimio erga Augustinum amore, nimio erga Iesuitas tædio seduci, & in re nobis clara invincibiliter cœcutire & errare. Et in eorumdem gratiam alicui docto Iansenianо suaderem, ut librum totum illum ad mentem D. Thomæ corrigeret, & omnia quæ de necessitate absolutâ Iansenius, aut ad infallibilitatem (& hoc meliùs) aut ad necessitatem sensûs compositi (& hoc severiùs) revocaret. Hinc gratiæ efficaciam deduceret. Hinc cognosceret Pelagianorum & Semipelagianorum veterum exorbitantias. Ut in eorumdem placitis (non enim omnia sunt hæretica) vera separaret à falsis; & in Parallelis laudaret Iuniorum doctrinam consentientem Pelagio, in articulis, in quibus iste consonuit veritati. Sanè in Iansenij Augustino materia multa est, quæ formam Thomisticam non recusaret, si daretur agens extrinsecum, quod eam induceret. Ego enim, si per occupationes liceret, possem, ut puto, illam rudem indigestam, aut monstrosè conformatam materiã exuere Iansenianâ formâ, quæ quatuor Pontificibus displicet, & Catholicis sinceris non placet, & vestitu Thomistica, unius aut alterius anni spatio. Si hoc semel fieret, cessarent controversiæ, & novus ille liber, Angelici Doctoris doctrinam magno suffragio confirmaret. Sed hoc ipsum admonuisse sufficiat; & utinam à Thomistâ aliquo perficeretur.

Benedictus. Et in hoc Libro ex Sanctissimi Patriarchæ dictis scriptis, factisque Philosophicas & Theologicas Theses diduco. Est hic liber curiosus, & quidam Scholasticus (hoc est, Logicus, Physicus, Metaphysicus, & Theologicus) Regulæ Benedictinæ Commentarius.

Curo etiamnum in ære sculpi vitam Christi & Div. Benedicti, ut Claustra Cœnobiorum ornentur. Liber ipse BENEDICTUS CHRISTIFORMIS inscribetur, & reliquos picturis optimis condecorabit.

Bernardus. Multum olim in Bernardi castigatione & illustratione elaboravi; multa etiamnùm habeo parata, multa diebus singulis occurrunt, quæ poterunt intento prodesse. Sed quia dare jam non poteto Bernardum, qualem volui, dabo qualem per tempus licuit, & qualem volebam explicabo, si fortè alius, aut Ego aliàs, possim hunc laborem subire.

Distinxi Opera D. Bernardi in Paragraphos & singulis subscripsi Authores Catholicos & Acatholicos, qui illos citarunt, & eorumdem Expositiones recognovi, & ad limam reduxi laudando aut vituperando quę digna videbantur censurâ. Addidi Indices, Grammaticum, Logicum, Physicum, Metaphysicum, Theologicum, Canonicum, Medicum & Scripturarium. Apparavi quàm multa, & si tempus & quies faveant, resumam iterùm, cum tædio tamen, mihi enim molestissimum est, quæ scripsi & perierunt, rescribere, & ex tanto apparatu perditi sunt Codices multi, Musæo hinc illuc, prout Bella coëgerunt, translato,

CVRSVS BIBLICVS.

MVlta scripsi in revelatos S. Scripturæ Libros; multa dixi viginti quinque annis (tot enim aut etiam pluribus, Concionatorem ago) multa sum contemplatus; sed quia Hebræo Textu delector, hos Libros præcipuè in hac materia elaboravi.

Institutionis linguæ Hebrææ. Conservo communem vocum pronuntiationem: & puncta, quia puto à Iunioribus ficta, & summâ irregularitate laborare, in alia facillima commuto: atque vocalem Artem ad prima rationis fundamenta reduco. [Est quidem pulcher ausus, cui ad votum omnia. An ne idem etiam succederet in alijs linguis? Minimè: Hebræa enim magno consilio est composita, & cæteræ casu surrepserunt.]

Favissa Hebraica. Differt à Thesauro Favissa, (sic profert Gellius lib. 2. c. 10. at Varro in Epistola ad Ser. Sulpitium Flavissas nominat) ut à Lauro Lauretum. Est igitur Lauretum locus, cui implantatæ sunt multæ lauri: & Favissæ sunt loca in quo repositi sunt multi Thesuari. Quatuor reconduntur in nostris.

Primus est, *Thesaurus Rationalis.* Duas complectitur partes; Theoricam, Practicam: illa docet, hæc utitur, illa est brevissima. & singulas literas habere partialem significationem ostendit; hæc est uberior, & doctrinâ istâ utitur, & ex partialibus significationibus eruit datæ Radicis aut Dictionis compositam significationem. Ergo stando huic doctrinæ, omnium scit vocum significationes, qui Characterum potestatem.

Sed quia amat brevitatem memoria, triplici viâ hunc eumdem thesaurum ad quintam essentiam reduximus, & è secundis meditationibus prodierunt, Literarius, Dictionarius, Absconditus. Igitur

Secundus est, *Thesaurus Literarius.* In quo carmen Hexametrum nominibus literarum ludit.

Tertius est, *Thesaurus Dictionarius.* In quo è Radicibus & earumdem significationibus carmina teximus.

Quartus est, *Thesaurus absconditus.* Et quidem non solùm condit divitias, sed sub pacto. Est Poëma Heroicum purè Latinum, in quo (quis crederet?) nulla dictio, nulla litera Hebræa scribitur, sed solummodo quidam Hortus describitur quasi mille carminibus; quæ si memoriâ teneas, te dirigant, ut nullius vocis Hebraicæ significationem ignores.

Caballa. Liber est de arcano Scripturæ intellectu. Specimen inter Artes Humaniores posuimus, quoniam illo Labyrinthi Poëtici succollabantur: hîc uberiùs singula retractamus.

Hebræo Crene. Probat Linguam Hebræ. in omnium primam & Principem, cæteras ab illa emanare, paucisque juxta Artem & Regulas mutatis in eam redire. Et in aliquos dividitur Libros.

Primus est, *Hebræo elamita.* Dat Institutiones Elamiticæ Linguæ, & illas ipsas miro artificio ab Hebraicis diducit.

Secundus, *Hebræo-Syrus.* Præmittit Syr. Linguæ Grammaticam, & eam ab Hebr. probat ingeniosè procedere.

Tertius, *Hebræo-Arabs.* Agit de Lingua Arabum, & ejusdem Origine, & cum Hebræa cognatione.

His accedere debuit *Hispano-Arabs*, ubi de Lingua Maurorum Hispaniam occupantium tractatur. Erat inter Hispanicam & Arabicam media, quæ Maurischis ann. 1609. à tota Hispania relegatis desiit, & debuit describi saltem, ne periret omninò.

Quartus,

Quartus, *Hebræo Romanus*. Et hic præcipuè Liber fortè dicendus Paradoxus; esto: interim ingenio & fœlicitate non caret. Probat Linguas Latinam Hebræamque merâ dispunctione differre: adeoque (NB.) quæ in textu Hebraico reperiuntur, si juxta meas Hebræo-Romanas Institutiones repugnantur, esse purè Latina.

Quintus, *Hebræo-Græcus*. Est Liber similis præcedenti; & quidquid Romanè alter, is Græcè audet, probatque Linguas Hebræam & Græcam coincidere, & sola dispunctione differre.

An-ne in his duobus Paradoxis Operibus Goropium Becanum, Schrilcium, & alios Belgas imitamur, qui voluerunt vernaculum suam Linguam non differre ab Hebraica? Minimè. Illi enim sine arte aliquas voces exponere conati fuerunt: at nos Grammaticas Institutiones, & etiam Dictionaria damus. Sed quo frûctu? Ut ostendamus has duas Linguas, (Græcam Latinamque) non esse primitivas, sed ab Hebræa non sine regulis & arte natas.

Ista visa sunt sensum literarum concernere, & posse conducere, ut radiciùs intelligatur. At quia in S. Scriptura non solùm voces, sed etiam res ipsæ significant, addere debuimus.

Hieroglyphica. Liber est de Rerum & Actionum significatione. Multa de hac materia Iudæi in Veterum Rabbinor. Bibliotheca, quam THALMUD nominant; sed quia superstitionibus & fabulis plena, debent non perlegi, sed interlegi, Christianè, & cautè. Eadem videtur Arias Montanus expurgasse & reduxisse ad pulchros Libros, qui *Regiorum Biblior. Apparatum* componunt.

Quæ hucusque data ad Bibliorum ornatum & intelligentiam spectant: subveniamus ad praxim. Sanè ego his instructus notitiis, prout tempora tulerunt, varios S. Scripturæ Libros dilucidavi. Multa habeo adhuc rudia & informia, quæ manum secundam exspectant; at hæc poterunt statim evulgari.

Hexameron. Primum Caput Geneseos, & opera sex dierum explanat.

Paradisus. Illum describit; ejus aut rudera aut vestigia quærit, & ubinam fuerit, investigat.

Benedictiones Patriarcharum. Habui Antuerpiæ Quadragesimales Conciones de hac materia, & in illis præcipuè posteriora Geneseos Capita dilucidavi.

Psalterium. Psalmos singulos conceptibus variis exornat.

Meditationes evangelicæ. Sunt Politicæ; & ex Divina Christi Historia Dogmata & Consilia ad Remp. benè gubernandam diducunt.

Paulus. Omnes ejus Epistolas complectitur, & scholasticis radiis illustrat. Est opus contra Lutheranos & Calvinianos scriptum; hoc ævo valdè necessarium.

Orationes Evangelicæ. Multæ sunt & variæ, quas edidi; multæ quas habeo; debebunt in Libros & tomos distingui; at inter alios, qui ultimam manum desiderant, sunt isti jam parati.

Adventus. Conciones Dominicales à prima Adventus die ad Caput Jejunii complectitur.

Quadragesimale. Et Conciones pro tota Quadragesima continet.

Dominicale. Conciones à Paschate ad Adventum exhibet.

Mariale. Serviet in omnibus Deiparæ solennitatibus.

Sanctorale. Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginumque communes & speciales Fastos celebrat.

Funerale. Lachrymas ad Evangelicum textum elimat, & ita eas in funeribus fundit, ut Auditoribus prodesse possint.

Encyclopædia. Omnes Scientias, videlicet Orthographiam, Grammaticam, Rhetoricam, Arithmeticam, Geometriam, Logarithmicam, Artem Militarem, & Musicam; necnon Lo-

gicam, Physicam, Metaphysicam, Libros de Generatione & Corruptione; de Cœlo & Mundo; de Animâ Vegetativa, Sensitiva & Rationali, & tandem Medicinam etiam Politicam & Jurisprudentiam, demumque Theologiam conceptibus variis dilucidat, & Ecclesiasticis Fastis appropriat. Dedimus anno 1649 priorem partem: nunc & posteriorem adiungimus, prioremque novis conceptibus nobilitamus.

Hispanum Stemma. Austriacorum Stemmata Heroicis conceptibus dilucidat, & Monitis Politicis exornat.

EPISTOLÆ.

Plurimas habeo doctrinales (Historicas, Mathematicas, Philosophicas, Theologicas, Ethicas) & plurimas eruditionis aut urbanitatis gratia scriptas. Quæ non sunt Scholasticæ, latere jubentur sub modio; nescio enim quo fructu audent sæpè in lucem prodire, quæ præter verba nihil habent. Volui aliquando omnes Doctrinales ad Volumen speciale reducere; at meliore consilio multas suis locis adscribo, & proprijs resolutionibus intersero. Cæterùm, quia adhuc manserunt plurimæ, quæ commodè non potuerunt interseri, illas omnes ad unum librum miscellaneum reduximus, quem loco penultimo dabimus.

PALYMPSESTI.

Etiam ipsi pertinent ad Theologiam, tametsi Politica edisserant. Sic eos inscripsi, quod in ipsis delicato Lectori oblitterare liceat, quod habere non placeat. Huc confluxerunt multa & varia; visa, audita; cogitata, suspicata, somniata. Huc ignorata etiam, multum enim scit, qui scit quæ ignoret: multum dicit & docet, qui se fatetur ignorare, quæ nemo imperitus ignorat. Fortè ad doctè ignorandum plus scientiæ & experientiæ requiritur, quàm ad indoctè sciendum. Fortè nihil omninò sciunt, qui nihil nesciunt: hoc alij viderint: ignoro enim hoc ipsum, qui me existimo suprà vulgus eruditorum sapere, cùm ea ipsa, quæ illi non examinarunt, & sciunt, me examinasse & nescire demonstro.

Opus hoc tardius lucem videbit, nam complectitur nudas veritates, quas nostri homines, nec transglutire crudas volunt, nec concoquere possunt. Interim promovebitur, ut fortè olim, quando saltem somniare vera liceat, imprimatur.

Ex his multi jam sunt tertiò aut quartò recusi, sed modo omnes simul ad paucos Tomos reducentur, & simul in lucem prodibunt.

Ioannes Casa Marii (siue Casa marij) in Italiâ Abbas, cælestibus reuelationibus clarus fuit, quarum aliquot expressit *In epistola consolatoria ad sanctum Bernardum super infelici successu expeditionis Hierosolimitanæ.* Quam epistolam Baronius dignam iudicauit suis Annalibus ecclesiasticis, & edita etiam est inter epistolas Sancti Bernardi, numero 333. Vide pariter Angelum Manriquez tomo 2. Annalium, ad annum 1150, cap. 2.

Ioannes de Ceruo monachus ordinis Cisterciensis, S. Theol. Doctor, scripsit *Commentaria 4. libros Sententiarum,* teste Syluestro Maurolyco Maris oceani lib. 2. & citatur à Vincentio Bandelo, lib. de conceptione B. Virginis.

Ioannes cognomento, de Cirey patria Diuionensis, ex Abbate Balernæ, anno 14-6. ad Cistercij regimen assumptus, fuit 9. illius nominis ibidem Abbas, de quo Bonifacius Simoneta lib. 2. epistola 19. scribit, illum tamquam massam omnibus virtutibus conditam & elimatam ordini Cisterciensi à Deo fuisse prouisum. Innocentio VIII. Pontifici, ob singulares animi virtutes, doctrinam, & præclara merita (vt ipsemet

ſemet ait) eximiè charus. Multis *contra Commendas monaſteriorum, tum orationibus, tum ſcriptis diſputauit, tam in Romana curia, quam coram Regibus, & Principibus chriſtianis*. Aurelianis in prouinciali Synodo, anno 1477. & 1478. Turonis; demum in Romana curia, coram Innocentio VIII. à quo Pontifice plura ordini ſuo impetrauit priuilegia: quæ omnia, cum aliis antiquioribus priuilegiis, à diuerſis Pontificibus, Regibus & Principibus, eidem ordini conceſſis in vnum corpus collecta, ipſemet Diuione publicari curauit, anno 1491. per Petrum Metlinger, Alemannum.

Conſcripſit etiam *Compendium Sanctorum ordinis Ciſtercienſis*, quod eodem anno 1491. Diuione impreſſum fuit. Hoc compendium ſæpiſſimè citat Henriquez in Menologio. Scribi etiam fecit, per quemdam ex religioſis ſuis (aut, ſecundum aliquos, ipſemet ſcripſit) Dialogum quemdam inter Priorem, & Subpriorem (contra libellum quemdam Matthæi Pillard, Abbatis Claræuallenſis) qui frequenter citatur à Reuerendiſſimo Angelo Manriquez in Annalibus, titulo *Dialogi de proſpero & aduerſo ſtatu ordinis*.

Denique, libro priuilegiorum ordinis memorato, adiunxit pulcherrimam exhortationem ad monachos omnes ordinis Ciſterc. dignam reuerà, quæ in ſingulorum memoriis iugiter vigeat. Publicauit hanc Chryſoſtomus Henriquez, in libro priuilegiorum ordinis, fol. 41. editionis Plantinianæ anni 1630. Quam nihilominus hîc pariter inſerendam duximus; tum vt ſæpius recuſa, omnium oculis frequentius obuerſetur; cum etiam, quia celebris in ea mentio fit plurimorum monachorum, qui ſcriptis ſuis ordinem noſtrum illuſtrarunt.

Exhortatio Ioannis Abbatis Ciſtercienſis:

Eia, Venerabiles & egregij Patres, amantiſſimique ac deuotiſſimi Fratres, ſacræ huius religionis alumni, & cultores! ſpiritus veſtros nedum per capreas hinnuloſque ceruorum; ſed certè, per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, per vulnera; pretioſiſſimumque ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ac per illam æternæ beatitudinis portionem, quam ſub glorioſiſſimo Reginæ cœli mantello finaliter expectatis, adiuramus, obteſtamur, interpellamus, hortamur, & rogamus, vt feruenti charitate, conſideratis præſentis voluminis tenoribus, nobiliſſima ſanctæ religionis veſtræ exordia, atque fundamenta, attentius animo reuoluentes, vos deinceps iugiter totos, ſaltem in duobus, ſine fictione paratos efficaces, & beneuolos exhibeatis. Primum, vt in omni vita, & conuerſatione, tanquam veri ſanctorum filij & ſucceſſores, ad petram vndè exciſi eſtis, iuxta Iſaiæ commonitionem, attendentes, exemplo eorum, qui vos in ſancta vocatione iſta tam glorioſè præcellerunt, ſacri ordinis veſtri puritatem coram Deo & hominibus obſeruare ſtudeatis. Secundum, vt ampliſſimo præmiſſorum vigore priuilegiorum, in religioſæ dilectionis vniformitate & concordia, vos, & vobis commiſſa ſeu credita quæcumque bona, murum defenſiones pro domo Dei, religioneque, ſpeciali ſuæ intemeratæ genitricis conſtanti virtute opponatis. *Eſt enim omnium religionum prima, in ipſius Virginis Matris honorem dedicata*. In qua, ſub ſuaui ſanctæ reformationis iugo & obſeruantia, non ſolum ſancti, quorum nonnullos annumerare curauimus; verum etiam innumerabiles ex omni ſtatu mundi, iter regni cæleſtis vobis oſtenderunt. Nam crebrò multi Pontifices in vtroque ſtatu reuerendi, tantæ deuotionis odore attracti, infulis depoſitis, ſimplicem cum Dei famulis monachatum ducere gaudebant: innumerabiles Decani, Abbates, Archidiaconi, Cantores, cæterique Eccleſiæ, nec non aliorum ordinum Prælati, mente humili, pauperes Chriſti

Christi patres vestros imitari studebant, sua etiam quandoque loca sacro ordini supponentes. Regum quoque ac principum filij & nepotes, nonnunquam ipsi Principes, reiecta gloriæ mundialis pompâ, ad ordinis vestri humilem paupertatem confluebant: quorum nonnulli monachorum cucullam; alij conversorum barbam; cæteri fratrum laicorum statum eligebant. Nouum perfectò & grande spiritualis militiæ spectaculum, inclitum nuper videre militem, in sæculo gloriosum, delitijs affluentem, iam gustato spirituali patrum vestrorum pane, ad Christum conuersum, cum hilaritate spiritus claustrum scopantem, coquinæ officijs promptè seruientem bubulci, ouilspilionis, & aurigæ seruitio hilariter incumbentem, pane hordeaceo, fabâ, lente, oleo, & aqua suauiter reficientem, aliasque religionis austeritates, præ nimio Reginæ cæli amore, claro pectore dulciter in huius religionis simplicitate ferentem. *Non solum autem præmissos sacra suscepit religio, verum etiam innumerabiles Doctores, Philosophos, Rhetores, Medicos, Dialecticos, Iurisconsultos, ac Theologos, Christo cum humilitate seruire edocuit; quorum nomina, scripta, opera præclara, enarrare si volumus, non minus quam stellas cæli numerare tentaremus.* Sublimium quoque exemplo personarum, alij inferioris gradus ad ordinis vestri gremium confluebant, nobiles Burgenses, practici mercatores, artifices, laboratores, & in plebe honorati diuites, qui temporalibus dispositis opibus, se, & quandoque cum ingenti massa auri, monasteriis donabant: ex quibus, taliumque laboribus, sumptuosa, cæteris profectò clariora Reginæ cæli in hoc ordine constructa sunt ædificia. Cuius meriti, religiosæ ac Christo deuotæ matronæ, participes fieri cupientes, manus largas apponebant. Sic breui tempore, ex quolibet orbis statu, Domina mundi innumeros speciales famulos, famulasque, sub hoc habitu cælesti acquisiuit. Quid ergo nos iam faciemus aut coram summo Deo dicemus, si (quod absit) tot qui nos præcesserunt, qui viam paradisi in mundo nobis ostenderunt, qui loca religioni aptissima nobis parauerunt, libros chartas, ornamenta, domos, possessiones, amicos, prouisores, & quæ ad sanctæ conuersionis obseruantiam necessaria, magnificè reliquerunt, desides aut delicati milites, seu indisciplinati successores, sequi nolumus, aut certè contemnimus?

Hac profectò sacra religio, quæ potius ad sanctæ regulæ Beati Benedicti obseruantiam, reformatio dicitur, prout Sanctissimi Bernardi, aliorumque Patrum scripta tradunt, peculiaris est in terris familia gloriosissimæ Matris Domini, cuius viuendi formam, sibi deuotis famulis primis patribus nostris inspirasse certum est. Nam vltra spirituales reuelationes, intimasque consolationes, sæpius fulgidissimo cæli ciuium stipata comitatu, eos visitabat, etiam visibiliter consolabatur, edocebat, adiuuabat, dirigebat. Ob hoc, & ipsa sacri huius ordinis Patrona, Domina, Protectrix, & Aduocata nominatur: *sicut ordo ipse primus est omnium ordinum in eius honorem dedicatus, cuius habitum, tam Monachorum, quam sanctimonialium tradidisse fertur, cum tantæ dignitatis authoritate, merito, & virtute, vt diabolus nullam habeat potestatem in aliquem, qui eo indutus moritur, saltem donec de ipso Iudex viuorum, & mortuorum, dederit sententiam.* Denique huius sanctæ vocationis tolerantia, pro omnibus peccatis præcedentibus sufficiens creditur pœnitentia. Quinimò, si (per impossibile) dæmon, aut etiam Iudas, humiliter & integraliter sacri ordinis obseruantias custodirent, de eorum salute finali nequaquam desperandum videretur. *Vnde & (iuxta Christi reuelationem, infallibileque promissum) perseuerantes in isto ordine sub religiosa humilitate, & obedientia, infallibiliter saluabuntur.* (Vide Menologium Cisterciense.) Has veritates, similesque conclusiones, apertis litteris docent

cent Sanctorum monumenta; & inter cætera, clarissimus liber, qui *Exordium Cisterij* inscribitur, quarum participem in hoc sæculo, & in alio, religiosam hanc familiam, per vniuersa mundi climata constitutam, faciat pijssimus Dominus IESVS, suæ dulcissimæ Matris precibus. Amen. Hæc Ioannes Abbas, qui tandem senio fractus, Abbatiam suam resignauit anno 1503. reliquumque vitæ sancto fine conclusit, sub finem adhuc eiusdem anni. Cui insigne positum est epitaphium, quod refert Reuerendissimus Manriquez, in serie Abbatum Cisterciensium. De hoc Ioanne vid. etiam Ludouicum Iacobi Carmelitam, lib. de Scriptoribus Cabilonensibus.

Ioannes Cirita, Abbas Tharaucanus, siue sancti Ioannis de Tharauca, ordinis Cisterciensis in Hispania, vnà cum Guiscardo monacho suo, anno 1162. scripsit *Regulam militibus ordinis Auisij, apud Lusitanos clari, ad petitionem Alphonsi Regis Portugalliæ*. Regulam hanc edidit Chrysostomus Henriquez in vita B. Ioannis Ciritæ, lib. 1. Fasciculi, dist. 19. Vbi etiam refert *Epistolam quandam eiusdem Ioannis, ad monachos Tharaucanos*, postquam iam resignata Abbatiali dignitate, in monasterio Sancti Christophori priuatam vitam ageret. Item, *Aliam ad Boëmundum Abbatem de Tharauca, eiusque Monachos*. Obijt sanctitate illustris anno 1164. Vide Henriquez in Menologio, 23. Decembris; & Miræum in Auctario suo, de scriptoribus ecclesiasticis.

Ioannes, cognomento, *Clarus*. Monachus Alcobaciæ S. Theol. Doctor, tantæ celebritatis vt Serenissimus Emanuel Portugalliæ Rex, Conimbricæ recens institutam S. Theol. cathedram, eidem (tanquam viro totius regni doctissimo) regendam tradiderit Vlissiponæ, 5. Ianuarij, anno 1504. teste Reuerendissimo Angelo Manriquez in serie Abbatum Alcobaciensium, ad calcem tomi 2. Annalium suorum. *Fertur, præclara doctrina suæ monumenta reliquisse*, quorum tamen specificationem obtinere nequiui.

Bibliothec. Ord. Cist.

Ioannes Coene, Belga, cœnobij Camberonensis meritissimus Abbas ordinisque Cisterciensis per vniuersum Belgium Vicarius generalis, S. Theol. Baccalaureus formatus, antea Monasterij sui Prior; vir variarum scientiarum supellectile haud vulgariter instructus; conscripsit, & Montibus Hannoniæ, typis Francisci Vaudræi, publicauit *Doctissimū Panegyricum, Prædecessori suo, Amplissimo & Eximio Dno Ioanni Farinart, Camberonensi Abbati dictum, quum is sacerdotij sui, & religiosæ professionis Iubilæum celebraret*, anno 1634. 9. Kal. Maij. Obiit anno 1650.

Ioannes Cogneu, religiosus Bonævallis Ruthinensis, S. Theol. Doctor Sorbonicus, *Transtulit in linguam Gallicam, quosdam tractatus Sancti Bernardi*, quos anno 1566. Parisiis impressit Guilhelmus Chaudire. Ant. Verdier in bibliotheca Gallica; & Philippus Seguinus in bibliotheca Cisterciana M.S. Qui specialiter addit, Ioannem hunc, ob doctrinæ claritatem, fuisse eximiè charum S.R.E. Cardinalibus, ab Armigniaco, Tholosano Archiepiscopo; & Hieronymo à Socheris, Cistercii, & Claræuallis Antistiti.

Ioannes, confessarius, seu Prior sanctimonialium monasterij *Cornelensis*, siue *Montis Sancti Cornelij*, iuxta Leodium, vbi nunc est hospitale leprosorum: vir simplicitatis columbinæ, vitæque sanctitate excellens, hortatu B. Iulianæ dicti monasterij Priorissæ, *composuit & descripsit, non sine speciali Dei adiutorio* (vt habet Author vitæ B. Iulianæ, cap. 46.) *Officium ecclesiasticum integrum de Venerabili Sacramento, quod à Superioribus approbatum, Leodij, Tungris, & aliis in locis in vsu fuit, priusquam officium à Sancto Thoma* Aqui-

Aquinate concionatum; authoritate Vrbani IV. publicaretur. Initium huius officij erat: *Animarum cibus, &c.* Vide Gillemannum in vita B. Iulianæ, quæ extat in Rubea valle, suprà: & Miræum in fastis Belgicis & Burgundicis, 5. Aprilis. Floruit circa annum 1240. tandemque anno 1246. præsentis vitæ miserias (vt citatus loquitur Author) pretiosæ mortis transitu commutauit. De hoc fusius Henriquez in Menologio, Kalendis Ianuarij.

Porrò, venerabilem hunc virum, atque etiam beatam Iulianam Corneliensem (institutæ festiuitatis Ven. Sacramenti promotricem præcipuam) hactenus communi celeberrimorum scriptorum consensu pro Cisterciensibus habitos, nuper R. P. Bartholomæus Filen, Soc. Iesu, in libello, Duaci anno 1628. edito *de prima origine Festi Corporis Christi, ex viso Sanctæ Iulianæ diuinitus oblato*, conatus fuit illos nobis subtrahere, asserens Iulianam non fuisse Cisterciensem (& consequenter nec Ioannem) qui erat eiusdem cœnobij) sed hospitalariam Augustinianam, quales nunc sunt moniales in monte Cornelio degentes, productis quibusdam rationibus, non quidem contemnendis, attamen non etiam tantæ efficaciæ, vt aduerso torrente rapidissimo tot clarissimorum Scriptorum proruere me possent; præsertim quod nulla earum sit, quæ non commodè à Cisterciensium fautoribus exponi, & resolui possit. Nam, ad 1. & præcipuam, qua asseritur, in memorato monasterio Corneliensi inferiori, nullius hodiè regulæ mentionem esse, nisi Augustinianæ; adeoque necessarium videri, vt quicunque asserit Iulianam fuisse Cisterciensem, probet disciplinam Cisterciensem ibidem aliquando fuisse obseruatam, & postmodum mutatam in Augustinianam, cuius sententiæ antiquum Autorem nemo dabit.

Respondetur imprimis, facilè contingere posse, vt quandoque monasteria aliqua de vno instituto transeant in aliud, & tamen post aliquot sæcula, in dictis monasteriis nulla sit memoria prioris instituti; maximè si monasteria hæc interim fuerint euersa, aut desolata, & monumenta eorundem incendio, aut aliâ quacunque iniuria perierint. Monasterium minoris Bigardiæ in Brabantiâ institutum seruat nigrorum Benedictinorum, & à paucis adhuc annis, nulla ibidem mentio erat alterius instituti: at postquam nuper Reuerendus admodum Dominus Christophorus Butkens, Brabantica sua trophæa publicauit, ibidemque, lib. 7. cap. 1. ex diuersis antiquis, & authenticis instrumentis, clarè ostendit dictum monasterium fuisse fundatum sub instituto ordinis Cisterciensis, & in eodem etiam aliquamdiu perseuerasse, nemo de hoc iam dubitat; tametsi adhuc incognitum sit, quo tempore, & quâ de causa moniales illius monasterij relicto ordine Cisterciensi, digressæ sint ad ordinem Sancti Benedicti.

Similiter monasterium Sanctæ Agnetis in vrbe Moguntinà, per aliquot sæcula inhabitarunt moniales Cistercienses; iam autem à 60. aut circiter annis, illud occuparunt, & etiamnum possident Augustinianæ. Qualia monasteria per Germaniam vidi plura, de vno ordine ad alium translata; & licet nunc adhuc sciamus tempus & causam huiusmodi translationis, quis tamen neget fieri posse, vt post tria aut 4. sæcula, deperditis monumentis, aut fortè etiam euersis monasteriis, translationis huius memoria pereat, maximè si inter media aliqua sæcula laborent penuria scriptorum, quemadmodum quædam retroacta laborarunt. Quanquam haud credibile sit, *Molanum Chapeauille, Hareum, Miræum, & Authorem Sacrarii Leodiensis*, Scriptores rerum Ecclesiasticarum per Belgium

gium & Leodiensem ditionem, exactissimos, & fidelissimos, monachatum B. Iulianæ & consequenter translationem monasterij Corneliensis ex ordine Cisterciensi ad Augustinianum, ex cerebro confinxisse & scriptis suis admiscuisse; quin potius apud probatum quempiam scriptorem, aut saltem in antiquis quibusdam manuscriptis monumentis reperisse, Reuerendo Patri Filen adhuc incognitis. Præterea, quicunque Cistercienses possessione sua pacifica, tot grauissimorum virorum sententiis roborata, deturbare cupit, illi probandum incumbit, Cisterciense institutum in cœnobio Corneliensi nunquam viguisse: sed illud à 1. fundatione huc vsque fuisse alterius ordinis, pro vt nunc est; non autem necesse est, vt Cistercienses, aut eorundem fautores, cuicunque passim rationem reddant suæ possessionis: Licet non dubitem, quin plures saltem Authorum suprà citatorum, id sufficienter præstare potuissent, si (dum in viuis erant) de eo requisiti fuissent, vel quisquam comparuisset, qui opinionem R.P. Filen scripto publicasset.

2. Ratio in hoc consistit, quod Iacobus de Vitriaco, S.R.E. Cardinalis, Author Sanctæ Iulianæ synchronus, suo tempore Leodij fuisse tradat familiam, quæ ex S. Augustini regula, ijs fungebatur muneribus, quæ vsurpata fuisse in cœnobio Corneliano, ex tota vita Sanctæ Iulianæ constat: atqui, si Cornelianam excipis, nullum alibi superfit Leodij familiæ huius vestigium. Sed vt hæc ratio concluderet, probandum esset, tunc temporis reuerâ non fuisse alias moniales hospitalarias Regulæ S. Augustini, nam fieri facillimè potuit, vt interim aliquæ similes congregationes Leodij ad aliud institutum se transtulerint; prout passim adhuc indies fieri videmus in aliis ciuitatibus. Quod vt notissimis ostendam exemplis; Furnis in Flandriâ degunt moniales Præmonstratenses sub regulari clausurâ, album gerentes habitum; quas ego adhuc recordor me vidisse hospitalarias, gestantes habitum Cisterciensem, scilicet tunicam albam, cum scapulari, & velo nigri coloris.

Gandaui nuperrimè etiam hospitalariæ Leprosarij, quod vulgo vocatur Xenodochium diues *het rycke gasthuys*, amplexæ sunt institutum S. Benedicti. Plura similia exempla ex solâ Flandriâ producere possem, si necesse esset.

3. Ratio & vltima, euincere conatur, Iulianam dum Salsiniæ habitauit, non se dedisse in obedientiam Antistitæ eiusdem loci: id quod libentissimè concedo, quia hoc ipsum clarissime deducitur ex cap. 58 vitæ ipsius (apud Patrem Filen) vbi Lego, Himanam Salsiniensem Antistitam, sæpè precibus institisse apud Iulianam, vt corpus suum exanime Salsiniæ condi decerneret, at quod hæc nunquam potuit persuaderi. Sanè si Iuliana hæc adcensita fuisset Salsiniensibus, nunquam Antistita tale quid ab illâ petere debuisset, nec illa etiam petenti denegare. Itaque censeo Iulianam receptam fuisse tanquam ordinis eiusdem Antistitam exulantem, ibidemque in tali qualitate fuisse tractatam, permissâ illi vnâ atque alterâ moniali, pro secretioribus seruitiis, &c. Cuiusmodi exempla vidi in ordine nostro plurima, nominatim etiam in monasterio nostro Dunensi, vbi aliquandò nobis commixerunt (satis longo tempore) Abbatis Hyberni duo D. Paulus Ragget Abbas Dubliniensis, & Robertus Brit; qui nunquam obedientiam vouerunt Abbati nostro, sed remanserunt sui iuris; concesso etiam priori, scilicet Dubliniensi, vt famulum & sacellanum apud se detinere posset. Quanquam etiam dicendũ videatur Iulianam cum sororibus sibi adhærentibus Salsiniũ profectam fuisse cum intentione ibidem perseuerandi vsque ad obitũ, sub obedientia Abbatissę eiusdē loci, idq;

ex persuasione Virorum doctissimorum & grauissimorum; vt clarè etiam habetur cap. 42. vitæ suprà citatæ, his verbis: *Porrò, vt maledicorum os obstrueretur qui fortassis viuendi genus sine Preside, ab immoderatâ libertate reprehenderent: è consilio, sententiâque hominum sapientiâ & eruditione præcipuorum, atque inprimis Guidonis Episcopi Cameracensis, tempus vitæ reliquum Antistiti Salsiniensi submiserunt.* Ex quo satis arguitur illas non fuisse ibi absque omni obedientiâ, & etiam fuisse eiusdem Ordinis; quia inauditum est vt moniales alterius Ordinis admittantur ad habitandum pro tota vita sua in Cænobio nostri Ordinis, præsertim ad vitam communem cum cæteris monialibus pro vt hic factum fuisse habetur tum ex verbis citatis, tum etiam ex capite 43. sequenti, vbi dicitur, quod, suadentes Iulianæ vt Salsiniam se conferret, (inter alia) allegauerint, *quod confecta ætas & vires, vitam communem magis postularent quam priuatam*: quodque, hæc, tandem consilijs his acquieuerit. A quæ hæc ad rationes R. P. Hienden dicta sufficiunt, vt quilibet videat propter illas non esse recedendum à communi Doctorum sententiâ, asserentium hos fuisse Cistercienses.

Verum enim vero, quia posteà etiam R. D. Petrus de Waghenaere, Religiosus Ordinis Præmonstratensis, & Subprior Abbatiæ S. Nicolai Furnis, (vir diuersis editis operibus clarus) aliam viam ingressus, Iulianam (& consequenter eius Socias, ac Ioannem Priorem) Præmonstratensibus suis adserere voluit, fauore trium præsertim rationum, quas scripto mihi transmisit (*eodem ferè tempore quo eiusdem Virginis Iulianæ vitam ex Latino Flandricam reddidissem*, necesse quoque fuit & illas resoluere, si illustres has Personas Ordini nostro vindicare vellem: Id quod etiam statim feci in primâ editione huius Bibliothecæ; & hic etiam repetere non grauabor. Itaque prima ratio Reuerendi Domini de Waghenaere, hæc fuit: quia antiqui catalogi monasteriorum ordinis Cisterciensis nullum referunt monasterium Corneliense, siue Montis S. Cornelij, cum tamen è contra, Præmonstratenses catalogi recenseant monasterium Corneliense inter filias Floreffiensis monasterij, esse illud, quo modò Leodium translatum, vocatur monasterium Belli-reditus. Huic præfuit B. Lucas Abbas, B. Patris Norberti discipulus, &c. vt videre est apud Ioannem le Paige, in bibliotheca Præmonstratensi.

2. Ratio: in monasterio Corneliensi, vna cum B. Iuliana, & alijs virginibus, habitabant simul viri religiosi, qui suum habebant Priorem (vt patet ex vita ipsius Iulianæ:) id quod in ordine Præmonstratensi olim vsitatum erat, nullatenus verò apud Cistercienses. Imo, S. Bernardus epistola 79. ad alterum B. Lucam Abbatem ordinis Præmonstratensis, talem habitationem non probat.

3. Ratio refertur quoque in eadem vita, tempore ipsius Iulianæ in dicto Corneliensi monasterio constitutum fuisse Priorem, ex ordine Præmonstratensi: ex quo omninò colligi videtur moniales has fuisse eiusdem ordinis; non enim hactenus auditum fuit, Cisterciensibus monialibus præfectum fuisse Priorem Præmonstratensem. Hæc summa fuit rationem D. Waghenarij.

Ad quartum respondi, catalogos antiquos referentes monasteria ordinis Cisterciensis, nō continere nisi monasteria virorum, (vt legentibus patebit;) nec vllum hactenus formatum fuisse catalogum monasteriorum monialium. Cum autem monasterium Iulianæ fuerit monialium, non mirum, illud in dictis catalogis non contineri: monasterium verò Corneliense, seu Montis S. Cornelij, quod in Præmonstratensibus recensetur catalogis, non fuisse monasterium B. Iulianæ (quod modò est domus Leprolo-

prosorum) sed aliud, quod in vertice eiusdem montis situm, vocabatur *Superius monasterium* (*La haute Cornelhon*) quodque Leodium translatum, nunc vocatur *Monasterium Belli reditus*. Duo namque fuisse monasteria Corneliensia, sibi inuicem satis vicina, expresse habetur in vita Beatæ Iulianæ, quorum vnum, scilicet *superius*, virorum erat Præmonstratensium; alterum *inferius* dictum, moniales habebat Cistercienses. Eodem ferè modo, quo nunc Parcum Dominorum, iuxta Louanium, Canonicorum est Præmonstratensium; Parcum verò Dominarum Vrauvven parck, Sanctimonialium est Cisterciensium.

Ad 2. Satis vsitatum semper fuisse in ordine Cisterciensi, vt in monasterijs monialium residerent 4. aut 5. monachi. (pro vt nuper adhuc Flinis, iuxta Duacum, residebant 4.) Quorum Primarij, tametsi in Belgio non vocentur nisi Patres Confessarij, in alijs tamen Prouincijs maximè Germanicis, ijsque vicinis, communiter vocentur Priores.

Præterea, olim etiam in plurimis monasterijs monialium, præsertim quæ hospitalia annexa habebant, aut agriculturam exercebant, multi erant Conuersi, seu Fratres laici, rerum temporalium curam gerentes, qui Abbatissis, aut Priorissis obedientiam promittentes, professionem emittebant in manibus earum, prout patet ex cap. vltimo, dist. 14. Lib. 1. antiquarum Constitutionum ordinis Cisterc. vbi ad longum describuntur cæremoniæ quæ in huiusmodi professionibus obseruari debebant.

Denique, erant & Clerici, ac Sacerdotes, qui à dictis Abbatissis, seu Priorissis ad religiosum habitum recepti, de licentia Patrum Abbatum, etiam professionem emittebant, stabilitatem vouentes in ipsis monasterijs monialium, qui proinde tunc fiebant membra eorundē monasteriorum, vocabanturque Capellani monasteriorum. De his etiam agitur in libro antiquarum constitutionum, loco citato; & rursum in constitutionibus nouellis, dist. 1. cap. 4. vbi hæc leguntur. *Inhibetur districtius, ne aliqua persona cuiuscunq. status fuerit, recipiatur in Capellanum in monasterijs monialium, ad habitum regularem, sine Patris Abbatis illius monasterij petita licentia, pariter & obtentâ.* Et post pauca: *Capellani monialium ordini perpetuò traditi, & oblati, de cætero portare regularem habitum ordinis teneantur* &c. Libro etiam Priuilegiorum ordinis, anno 1630. Antuerpiæ typis Plantinianis impresso, priuilegio 29 refertur ad verbum bulla Alexandri Papæ IV. qua Pontifex concedit Abbatibus Cisterciensibus, vt tanquam contra alios apostatas procedere possint, contra Capellanos monialium transeuntes ad alios ordines. Quià verò dicti Capellani, & Conuersi, dormitorium, refectorium, & alia loca regularia habebant separatim à monialibus, necessariò debebant habere Priorem, vel alium Præsidem (quocunque nomine vocaretur) qui in absentia Abbatissæ, vel Priorissæ, ijsdem inuigilaret; eratque hic ordinariè Confessarius conuentus. Taliter videtur fuisse in monasterio Corneliensi inferiori, vbi Prior, Capellanorum & Conuersorum superintendens, Confessarius quoque erat monasterij, non autem absolutus Superior; vt clarè etiam colligitur ex vitâ citatâ B. Iulianæ, in quâ habetur, Iulianam nunquam voluisse tradere Priori suo litteras, & monumenta monasterij; quod sanè facere debuisset, si Prior ille fuisset monasterij Superior.

Nec obstat, quod S. Bernardus alibi videatur improbare cohabitationem virorum cum fæminis; quia lapsu temporis multa fuerunt introducta, aut tolerata, quæ Sanctus Bernardus nunquam approbauit; vt patet de esu carnium, &c.

læ Expositionem, quam hic damus, à Christo illa revelatam seu dictatam affirmat: sed quia multa singularia complectitur, debuit à nobis severiore calamo dilucidari.

Monachus Primitivus. Regulam hic Libellus accuratè considerat, & quo olim intellecta fuerit modo à Cistercientibus, & alijs Sanctissimis Viris exponit: & edisserit multa, quæ jam sunt obsoleta, & deberent veterum exemplo ad Monasteria revocari.

In secundâ autem Theologiæ Regularis parte, ponitur noster COMMENTARIUS IN REGULAM D. BENEDICTI. Est Historicus, Scholasticus, Iudicialis, Politicus: & in ipso clauduntur libri sequentes.

Regula Religiosa. Agit de Legibus, & specialiter de fundamentalibus, quæ nominantur *Regulæ*, & exponit qualiter obliget Benedictina.

Religiosi ante Christum. Fuisse multas & varias Religiosorum Hominum Congregationes ab ipso Mundi initio usque ad Christum ostendit.

Religiosi sub Christo. Probat Christum Dominum vitam Religiosam egisse: item Apostolos: etiam sub illud tempus multos alios.

Religiosi post Christum. Et hic eos Liber à Christo ad Nos sine interruptione perennasse demonstrat.

Monachorum Genera. Multa enumerat & exponit.

Novitius. Agit de dubijs quæ circa Novitiorum admissione, educatione, & promotione oriri possunt.

Stabilitas. Qualiter intelligenda sit? Et an sit speciale votum in Ordine S. Benedicti?

Vota Substantialia. Sunt Obedientia, Paupertas, & Castitas, & de singulis accuratè tractatur.

Officium Divinum. Agit de ejus ritu, solennitate, antiquitate: item de obligationibus, sub quibus tenentur Religiosi Horas suas recitare.

Regimen Monasticum. Agit de Abbate, Præposito, Priore, Decanis, Celerario, Sacristâ, Novitiorum Magistro, Ostiario, & cæteris Communitatis Administris.

Tribunal. Agit de Capitulis privatis, Visitationibus, Correctionibus, & Litibus Religiosorum.

Opuscula D. Benedicti. Ponuntur aliqua, & breviter dilucidantur.

Regula Militum Templi. Ponitur, & brevi Commentarius illustratur.

Regula S. Augustini. E diversis, quas Doctor Divinus composuit, illa exponitur, quæ à nostri ævi Religiosis admissa.

Regula S. Francisci. Vnica est, eaque severissima, & ex disputatis in toto Regulari Opere lucem accipit.

Regula Fratrum & Sororum de Pœnitentia, tertij Ordinis S. Francisci habitantium in Communitate.

Regula Fratrum & Sororum in Domibus proprijs habitantium.

Commentario Morali, & multorum Casuum Resolutionibus, quæ possunt Religiosis universis prodesse, explicantur & dilucidantur.

Theologia Civilis. Humanas sæculares omnes componit cum lege Divina. Omnem civilem authoritatem ostendit esse à Deo, omnem esse ab Hominibus, sed diversimodè. Omnem, quà Divinam, ad ædificationem, & non ad destructionem esse: omnem, quà Humanam, ad conservationem & defensionem. Principes posse obligare Conscientias, etiam solere. Tributa eisdem deberi ab omnibus qui propugnantur: ab eisdem tributis ex rei naturâ nullum, aliquos privilegio eximi. Penes eosdem esse ferendi leges authoritatem; non dissolutam, sed absolutam. An in pronuntiando à Republica, an in obligando à Populi acceptatione pendeant? An Reipublicæ subsint, an contrà illis Respublica?

ca? Demonstro multas Leges, aliàs injustas, merâ acceptatione justas reddi; cedunt enim suo iure, qui ultrò acceptant. His tandem notitiis instructum Lectorem ad Ius Cæsareum confero, ejusdem vires examino; quo Hispanos, Gallos, & alias Gentes modo obliget: & unde hæc obligatio suboriatur, edissero. Demùmque totum illud, quantum est, ut præ oculis haberi queat, ad breve compendium reduco.

Theologia Militaris, quæ Civilis est pars, & in ipsa de Bello, & Pace; de concordiæ articulis onerosis, de favorabilibus, & à quibus & quando possint iniri aut non iniri. [Huc pertinent omnes Libri, quos pro Regibus Philippo II. III. & IV. omnes, quos pro Cæsaribus Ferdinando I. II. & III. huc etiam, quos scripsi pro aliis] Et hi sunt Libri, quos Tomus iste Militaris complectitur.

Bellum Publicum. A quibus quando & qualiter geri possit, examinat.

Philippus Prudens, Caroli V. Imp Filius, Lusitaniæ. Algarbiæ Indiæ & Brasiliæ Legitimus Rex, demonstratus. Agit de jure adquirendi, possidendi & recuperandi Coronas, & ut doctrinam hanc clariùs dilucidet, Philippum II. Hispaniæ Regem Lusitaniam mortuo Henrico occupantem proponit, & quanto illam jure occuparit, & possideant successores ostendit.

Ioannes Bargantinus, Lusitaniæ, Algarbiæ, Indiæ & Brasiliæ illegitimus Rex demonstratus. Agit de defectione Portugalliæ, quæ accidit anno 1640. Coronamque à Duce Bargantino illegitimè invasam, ostendit.

Captivus. Qui bello justo capitur *Mancipium* dicitur; si servetur, vocatur *Servus*; & quia sunt multæ difficultates, quæ hos miseros Homines concernunt, debui specialiter scribere de bellocaptis.

Duellum, siue *Bellum privatum*. Differit de Monomachia, & examinato An detur casus, in quo licita sit? An provocare interdum liceat? an saltem egredi? Et multas alias Controversias incidentes examinat.

Pax publica. Quæ quanta & qualis cum Catholicis, cum Hæreticis, & cum Mahometanis iniri possit, soleatque.

S. Rom. Imp. Pax. Variis fuit consiliis agitata, & demùm à Nobis medullitùs discussa: & ad duas Hypotheses reducta. Sub primam cõdemnata & dissuasa; sub secundam pro licita & valida demonstrata, commendata, approbata, persuasa.

Est Opus Theologico Politicum omnibus necessarium; prodiit iterùm iterumque Francofurti apud Schonvvetter an. 1647. & 1648. & Viennæ iterùm apud Matthæum Cosmerov. an. 1649.

Hæc omnia indictionem & suspensionem Belli, & Principes supremos cõcernunt: at quia sæpè in ipso Bello justo peccatur, à Generalibus, à Legionariis, à Ducibus, à Gregarijs militibus, cogitatione, verbo, opere, & contra singula præcepta Dei, Ecclesiæque, debui per singulas personas & Officia discurrere, & ubique plurimos casus proponere, & singulos ad veræ Theolog. fundamenta reducere. Et hanc ob rem alium Librum adjunximus, qui

Sacerdos Militaris inscribitur, in quo de Militum Parochis & eorumdem officio: item de Decalogo & Ecclesiæ Præceptis, & quo ista modo & quando à Militibus violari soleant, possintque. In ipso etiam de Sacramentorum apud Milites usu & abusu: de capacitate etiam activa & passivâ, &c. Ubique multa, quæ valde necessaria Presbyteris, qui Castris & Militum Animabus inserviunt.

PATRES.

NOn multum Ego temporis impendo aut perdo in Veterum Libris legendis; non quòd contemnam illos,

illos, sed quòd omnia quæ pulchrè cogitarunt, jam sint à Iunioribus summo studio & industria elimata. *Interim sunt aliqui Scriptores Antiqui, qui à nostris hominibus non satis intellecti videntur, qui debuerunt omninò recognosci, & Commentariis illustrari.* Examinati sunt à Nobis præcipuè Dionysius, Augustinus, Benedictus, Bernardus. Quid in singulis factum, expono.

Dionysius. Correctissimum habemus à Corderio, qui illum curavit imprimi in Officina Plantiniana, apud Bathasarem Moretum. Illum bini comitantur Interpretes, Pachymiras & Maximus An Dionysium intellexerint ipsi? an ipsos nos? Græci sunt, & interdum obscuriores Dionysio.

Augustinus. Opus est Theologicum, & Quæstiones plurima de Gratiâ & Libero Arbitrio ad mentem Divini Doctoris examinans. Illud priùs composuit Cornel. Iansen. non tam Pelagianor. quâm Iesuitarum adversarius: & quia ubique verba Augustini in oppositos sensus obtorsit, debuit necessariò rescribi. Absolvissem hoc Opus, si mansissem Lovanij: ibi enim inter Veteris & novæ doctrinæ Asseclas perpetuæ disputationes erant: at in Germaniam missus alijs debui negotijs insudare. Ultimam nihilominus manum Operi imponam, in quo probabo *primò* vix ullum in toto Iansenio Syllogismum, qui reprehensione careat, inferamque authorem Rhetorem quidem fuisse, non Dialecticum. *Secundò*, textus ipsos contra mentem Augustini allegari. *Tertiò*, hodie Lutheranos & Calvinistas in Liberi Arbitrij materia propius ad nos accedere, quàm Iansenianos. *Quartò*. meritò istam doctrinam, quâ necessitatem sub Libertatis specioso vocabulo protrudit, (cætera enim quæ cum necessitate voluntatis connexionem non habent; & quæ *Necessitatis* nomen in nomen *Infallibilitatis* convertunt, tolerabilia fortassis sunt) esse in Lutheranos & Calvino à Tridentinâ Synodo, in Bayo à duobus Pontificibus, & ab alijs duobus in Iansenio damnatam. In hoc Opere continentur hi Libri.

Philosophia. Tota traditur ad mentem Divini Doctoris.

Theologia Scholastica. Tota testimonijs ejusdem illustratur.

Theologia Moralis Et in ista erunt Quæstiones præcipuæ. quæ inter Catholicos & Heterodoxos agitantur.

Hæresis Pelagiana. Varios ipsam diversis temporibus habuisse errores assero; multa etiam aut vera aut tolerabilia intermiscuisse: à Massiliensibus & alijs plurimis remissiùs traditam. [Puto hæresin olim Pelagianam, sicut hodie Lutheranã & Calvinianã à tribus aboriri Parentibus: videlicet, Ignorantiâ, Æquivocatione, Irritatione. Nam si cessaret odium & aliquæ hallucinationes & æquivocationes tollerentur, instrui possent hæretici, & faciliùs ad veram Religionem reduci.]

Pura natura. Eam esse impossibilem docet Iansenius. at testimonia Hipponensis Episcopi videntur potius probare eam fuisse productam de facto: & tamen neutrum est asserendum.

Natura Integra. Ignota est, & à singulis diverso modo exposita. Iansenius, cùm agit de Natura Lapsa, voluntatem necessitat; cùm de Integra, Molinæ & Patribus Iesuitis subscribit, sed aufu irrito, quia multa negat, sine quibus suam sententiam propugnare non potest.

Natura Lapsa. Arbitrij indifferentiam retinet, quidquid clamitent Heterodoxi. Qui Libertatem cum spontaneitate confundunt, audire deberent Calvinum à Synodo Tridentinâ condemnatum, qui ait, *si libertatis vocabulo libertas à coactione sit intelligenda, esse in Homine liberum arbitrium, & arguendum hæreseos, qui contrarium asseveret.* Ergo totus hic Liber erit pro Arbitrii indifferentia

differentia in Natura lapsa propugnanda.

Peccatum Originale. Mira de illo delirant Lutherani, mira Calvinistæ, mira & alij: & omnia ex Augustino, ut existimant. Et hanc ob rem, ut Sanctissimum hunc Doctorem vindicaremus, debuimus hunc Librum subscribere.

Gratia Omnipotens. At ita omnipotens, ut humanæ voluntatis libertatem non lædat. Et de hoc debuimus specialem Tractatum.

Nota. Iansenium amavi, dum viveret; virum (sincerè loquor) modestissimum, urbanissimum, moderatissimum; virum vitæ inculpabilis, & si ab opinionibus posthumis præscindamus, omni laude dignissimum. Amavi ejus primarium Discipulum Libertum Fromondum, ingenio floridissimo & fortissimo præditum; pium & doctum: & utrumque etiamnum veneror, nam potuerant nimio erga Augustinum amore, nimio erga Iesuitas tædio seduci, & in re nobis clara invincibiliter cœcutire & errare. Et in eorumdem gratiam alicui docto Iansenia no suaderem, ut librum totum illum ad mentem D. Thomæ corrigeret, & omnia quæ de necessitate absolutâ Iansenius, aut ad infallibilitatem (& hoc meliùs) aut ad necessitatem sensûs compositi (& hoc severiùs) revocaret. Hinc gratiæ efficaciam deduceret. Hinc cognosceret Pelagianorum & Semipelagianorum veterum exorbitantias. Ut in eorumdem placitis (non enim omnia sunt hæretica) vera separaret à falsis; & in Parallelis laudaret Iuniorum doctrinam consentientem Pelagio, in articulis, in quibus iste consonuit veritati. Sanè in Iansenij Augustino materia multa est, quæ formam Thomisticam non recusaret, si daretur agens extrinsecum, quod eam induceret. Ego enim, si per occupationes liceret, possem, ut puto, illam rudem indigestam, aut monstrosè conformatam materiā exuere Iansenianâ formâ, quæ quatuor Pontificibus displicet, & Catholicis sinceris non placet, & vestire Thomistica, unius aut alterius anni spatio. Si hoc semel fieret, cessarent controversiæ, & novus ille liber, Angelici Doctoris doctrinam magno suffragio confirmaret. Sed hoc ipsum admonuisse sufficiat; & utinam à Thomistâ aliquo perficeretur.

Benedictus. Et in hoc Libro ex Sanctissimi Patriarchæ dictis scriptis, factisque Philosophicas & Theologicas Theses diduco. Est hic liber curiosus, & quidam Scholasticus (hoc est, Logicus, Physicus, Metaphysicus, & Theologicus) Regulæ Benedictinæ Commentarius.

Curo etiamnum in ære sculpi vitam Christi & Div. Benedicti, ut Claustra Cœnobiorum ornentur. Liber ipse BENEDICTUS CHRISTIFORMIS inscribetur, & reliquos picturis optimis condecorabit.

Bernardus. Multum olim in Bernardi castigatione & illustratione elaboravi; multa etiamnùm habeo parata, multa diebus singulis occurrunt, quæ poterunt intento prodesse. Sed quia dare jam non potero Bernardum, qualem volui, dabo qualem per tempus licuit, & qualem volebam explicabo, si fortè alius, aut Ego aliàs, possim hunc laborem subire.

Distinxi Opera D. Bernardi in Paragraphos & singulis subscripsi Authores Catholicos & Acatholicos, qui illos citarunt, & eorumdem Expositiones recognovi, & ad limam reduxi laudando aut vituperando quę digna videbantur censurâ. Addidi Indices, Grammaticum, Logicum, Physicum, Metaphysicum, Theologicum, Canonicum, Medicum & Scripruratium. Apparavi quàm multa, & si tempus & quies faveant, resumam iterùm, cum tædio tamen, mihi enim molestissimum est, quæ scripsi & perierunt, rescribere, & ex tanto apparatu perditi sunt Codices multi, Musæo hinc illuc, prout Bella coëgerunt, translato,

CVRSVS BIBLICVS.

M*Vlta scripsi in revelatos S. Scripturæ Libros; multa dixi viginti quinque annis (tot enim aut etiam pluribus, Concionatorem ago) multa sum contemplatus; sed quia Hebræo Textu delector, hos Libros præcipuè in hac materia elaboravi.*

Institutiones linguæ Hebrææ. Conservo communem vocum pronuntiationem: & puncta, quia puto à Iunioribus ficta, & summâ irregularitate laborare, in alia facillima commuto: atque vocalem Artem ad prima rationis fundamenta reduco. [Est quidem pulcher ausus, cui ad votum omnia. An ne idem etiam succederet in alijs linguis? Minimè: Hebræa enim magno consilio est composita, & cæteræ casu surrepserunt.]

Favissa Hebraica. Differt à Thesauro Favissa, (sic profert Gellius lib. 2. c. 10. at Varro in Epistola ad Ser. Sulpitium Flavissas nominat) ut à Lauro Lauretum. Est igitur Lauretum locus, cui implantatæ sunt multæ lauri: & Favissæ sunt loci in quo repositi sunt multi Thesuari. Quatuor reconduntur in nostris.

Primus est, *Thesaurus Rationalis.* Duas complectitur partes; Theoricam, Practicam: illa docet, hæc utitur, illa est brevissima. & singulas literas habere partialem significationem ostendit; hæc est uberior, & doctrinâ istâ utitur, & ex partialibus significationibus eruit datæ Radicis aut Dictionis compositam significationem. Ergo stando huic doctrinæ, omnium scit vocum significationes, qui Characterum potestatem.

Sed quia amat brevitatem memoria, triplici viâ hunc eumdem thesaurum ad quintam essentiam reduximus, & è secundis meditationibus prodierunt, Literarius, Dictionarius, Absconditus. Igitur

Secundus est, *Thesaurus Literarius.* In quo carmen Hexametrum nominibus literarum ludit.

Tertius est, *Thesaurus Dictionarius.* In quo è Radicibus & earumdem significationibus carmina teximus.

Quartus est, *Thesaurus absconditus.* Et quidem non solùm condit divitias, sed sub pacto. Est Poëma Heroicum purè Latinum, in quo (quis crederet?) nulla dictio, nulla litera Hebræa scribitur, sed solummodo quidam Hortus describitur quasi mille carminibus; quæ si memoriâ teneas, te dirigant, ut nullius vocis Hebraicæ significationem ignores.

Caballa. Liber est de arcano Scripturæ intellectu. Specimen inter Artes Humaniores posuimus, quoniam illo Labyrinthi Poëtici succollabantur: hîc uberiùs singula retractamus.

Hebræo Crete. Probat Linguam Hebræ. in omnium primam & Principem, cæteras ab illa emanare, paucisque juxta Artem & Regulas mutatis in eam redire. Et in aliquos dividitur Libros.

Primus est, *Hebræo elamita.* Dat Institutiones Elamiticæ Linguæ, & illas ipsas miro artificio ab Hebraicis diducit.

Secundus, *Hebræo-Syrus.* Præmittit Syr. Linguæ Grammaticam, & eam ab Hebr. probat ingeniosè procedere.

Tertius, *Hebræo-Arabs.* Agit de Lingua Arabum, & ejusdem Origine, & cum Hebræa cognatione.

His accedere debuit *Hispano-Arabs*, ubi de Lingua Maurorum Hispaniam occupantium tractatur. Erat inter Hispanicam & Arabicam media, quæ Mauriscis ann. 1609. à tota Hispania relegatis desiit, & debuit describi saltem, ne periret omninò.

Quartus,

Quartus, *Hebræo Romanus*. Et hic præcipuè Liber fortè dicendus Paradoxus; esto: interim ingenio & fœlicitate non caret. Probat Linguas Latinam Hebræamque merâ dispunctione differre: adeoque (NB.) quæ in textu Hebraico reperiuntur, si juxta meas Hebræo-Romanas Institutiones repugnantur, esse purè Latina.

Quintus, *Hebræo-Græcus*. Est Liber similis præcedenti; & quidquid Romanè alter, is Græcè audet, probatque Linguas Hebræam & Græcam coincidere, & sola dispunctione differre.

An-ne in his duobus Paradoxis Operibus Goropium Becanum, Schrilcium, & alios Belgas imitamur, qui voluerunt vernaculum suam Linguam non differre ab Hebraica? Minimè. Illi enim sine arte aliquas voces exponere conati fuerunt: at nos Grammaticas Institutiones & etiam Dictionaria damus. Sed quo fructu? Ut ostendamus has duas Linguas, (Græcam Latinamque) non esse primitivas, sed ab Hebræa non sine regulis & arte natas.

Ista visa sunt sensum literarum concernere, & posse conducere, ut radicitùs intelligatur. At quia in S. Scriptura non solùm voces, sed etiam res ipsæ significant, addere debuimus.

Hieroglyphica. Liber est de Rerum & Actionum significatione. Multa de hac materia Iudæi in Veterum Rabbinor. Bibliotheca, quam Thalmud nominant; sed quia superstitionibus & fabulis plena, debent non perlegi, sed interlegi, Christianè, & cautè. Eadem videtur Arias Montanus expurgasse & reduxisse ad pulchros Libros, qui *Regiorum Biblior. Apparatum* componunt.

Quæ hucusq; data ad Bibliorum ornatum & intelligentiam spectant: subveniamus ad praxim. Sanè ego his instructus notitiis, prout tempora tulerunt, varios S. Scripturæ Libros dilucidavi. Multa habeo adhuc rudia & informia, quæ manum secundam exspectant; at hæc poterunt statim evulgari.

Hexameron. Primum Caput Geneseos, & opera sex dierum explanat.

Paradisus. Illum describit; ejus aut rudera aut vestigia quærit, & ubinam fuerit, investigat.

Benedictiones Patriarcharum. Habui Antuerpiæ Quadragesimales Conciones de hac materia, & in illis præcipuè posteriora Geneseos Capita dilucidavi.

Psalterium. Psalmos singulos conceptibus variis exornat.

Meditationes evangelicæ. Sunt Politicæ; & ex Divina Christi Historia Dogmata & Consilia ad Remp benè gubernandam diducunt.

Paulus. Omnes ejus Epistolas complectitur, & scholasticis radijs illustrat. Est opus contra Lutheranos & Calvinianos scriptum; hoc ævo valdè necessarium.

Orationes Evangelicæ. Multæ sunt & variæ, quas edidi; multæ quas habeo; debebunt in Libros & tomos distingui; at inter alios, qui ultimam manum desiderant, sunt isti jam parati.

Adventus. Conciones Dominicales à prima Adventus die ad Caput Iejunii complectitur.

Quadragesimale. Et Conciones pro tota Quadragesima continet.

Dominicale. Conciones à Paschate ad Adventum exhibet.

Mariale. Serviet in omnibus Deiparæ solennitatibus.

Sanctorale. Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginumque communes & speciales Fastos celebrat.

Funerale; Lachrymas ad Evangelicum textum elimat, & ita eas in funeribus fundit, ut Auditoribus prodesse possint.

Encyclopædia. Omnes Scientias, videlicet Orthographiam, Grammaticam, Rhetoricam, Arithmeticam, Geometriam, Logarithmicam, Artem Militarem, & Musicam; necnon Logicam

gicam, Physicam, Metaphysicam, Libros de Generatione & Corruptione; de Cœlo & Mundo; de Animâ Vegetativa, Sensitiva & Rationali; & tandem Medicinam etiam Politicam & Jurisprudentiam, demumque Theologiam conceptibus variis dilucidat, & Ecclesiasticis Fastis appropriat. Dedimus anno 1649 priorem partem: nunc & posteriorem adiungimus, prioremque novis conceptibus nobilitamus.

Hispanum Stemma. Austriacorum Stemmata Heroicis conceptibus dilucidat, & Monitis Politicis exornat.

EPISTOLÆ.

Plurimas habeo doctrinales (Historicas, Mathematicas, Philosophicas, Theologicas, Ethicas) & plurimas eruditionis aut urbanitatis gratia scriptas. Quæ non sunt Scholasticæ, latere jubentur sub modio; nescio enim quo fructu audeant sæpè in lucem prodire, quæ præter verba nihil habent. Volui aliquando omnes Doctrinales ad Volumen speciale reducere; at meliore consilio multas suis locis adscribo, & proprijs resolutionibus intersero. Cæterùm, quia adhuc manserunt plurimæ, quæ commodè non potuerunt interseri, illas omnes ad unum librum miscellaneum reduximus, quem loco penultimo dabimus.

PALYMPSESTI.

Etiam ipsi pertinent ad Theologiam, tametsi, Politica edisserant. Sic eos inscripsi, quod in ipsis delicato Lectori oblitterare liceat, quod habere non placeat. Huc confluxerunt multa & varia; visa, audita; cogitata, suspicata, somniata. Huc ignorata etiam, multum enim scit, qui scit quæ ignoret: multum dicit & docet, qui se fatetur ignorare, quæ nemo imperitus ignorat. Fortè ad doctè ignorandum plus scientiæ & experientiæ requiritur, quàm ad indoctè sciendum. Fortè nihil omninò sciunt, qui nihil nesciunt: hoc alij videant: ignoro enim hoc ipsum, qui me existimo suprà vulgus eruditorum sapere, cùm ea ipsa, quæ illi non examinarunt, & sciunt, me examinasse & nescire demonstro.

Opus hoc tardius lucem videbit, nam complectitur nudas veritates, quas nostri homines, nec transglutire crudas volunt, nec concoquere possunt. Interim promovebitur, ut fortè olim, quando saltem somniare vera liceat, imprimatur.

Ex his multi jam sunt tertiò aut quartò recusi, sed modo omnes simul ad paucos Tomos reducentur, & simul in lucem prodibunt.

Ioannes Casa Marii (siue Casa marij) in Italiâ Abbas, cælestibus reuelationibus clarus fuit, quarum aliquot expressit *In epistola consolatoria ad sanctum Bernardum super infelici successu expeditionis Hierosolymitanæ.* Quam epistolam Baronius dignam iudicauit suis Annalibus ecclesiasticis, & edita etiam est inter epistolas Sancti Bernardi, numero 333. Vide pariter Angelum Manriquez tomo 2. Annalium, ad annum 1150, cap. 2.

Ioannes de Ceruo monachus ordinis Cisterciensis, S. Theol. Doctor, scripsit *Commentaria 4. libros Sententiarum*, teste Syluestro Maurolyco Maris oceani lib. 2 & citatur à Vincentio Bandelo, lib. de conceptione B Virginis.

Ioannes cognomento, de Cirvo patria Diuionensis, ex Abbate Balernæ, anno 14?6. ad Cistercij regimen assumptus, fuit 9. illius nominis ibidem Abbas, de quo Bonifacius Simonera lib. 2. epistola 19. scribit, illum tanquam massam omnibus virtutibus conditam & elimatam ordini Cisterciensi à Deo fuisse prouisum. Innocentio VIII. Pontifici, ob singulares animi virtutes, doctrinam, & præclara merita (vt ipsemet

ſemet ait) eximiè charus Multis *contra Commendas monaſteriorum, tum orationibus, tum ſcriptis diſputauit, tam in Romana curia, quam coram Regibus, & Principibus chriſtianis.* Aurelianis in prouinciali Synodo, anno 1477. & 1478. Turonis; demum in Romana curia, coram Innocentio VIII. à quo Pontifice plura ordini ſuo impetrauit priuilegia: quæ omnia, cum aliis antiquioribus priuilegiis, à diuerſis Pontificibus, Regibus & Principibus eidem ordini conceſſis in vnum corpus collecta, ipſemet Diuione publicari curauit, anno 1491. per Petrum Metlinger, Alemannum.

Conſcripſit etiam *Compendium Sanctorum ordinis Ciſtercienſis,* quod eodem anno 1491. Diuione impreſſum fuit. Hoc compendium ſæpiſſimè citat Henriquez in Menologio. Scribi etiam fecit, per quemdam ex religioſis ſuis (aut, ſecundum aliquos, ipſemet ſcripſit) Dialogum quemdam inter Priorem, & Subpriorem (contra libellum quemdam Matthæi Pillard, Abbatis Claræuallenſis) qui frequenter citatur à Reuerendiſſimo Angelo Manriquez in Annalibus, titulo *Dialogi de proſpero & aduerſo ſtatu ordinis.*

Denique, libro priuilegiorum ordinis memorato, adiunxit pulcherrimam exhortationem ad monachos omnes ordinis Ciſterc. dignam reuerà, quæ in ſingulorum memorijs iugiter vigeat. Publicauit hanc Chryſoſtomus Henriquez, in libro priuilegiorum ordinis, fol. 241. editionis Plantinianæ, anni 1630. Quam nihilominus hîc pariter inſerendam duximus; tum vt ſæpius recuſa, omnium oculis frequentius obuerſetur; tum etiam, quia celebris in ea mentio fit plurimorum monachorum, qui ſcriptis ſuis ordinem noſtrum illuſtrarunt.

Exhortatio Ioannis Abbatis Ciſtercienſis:

Eia, Venerabiles & egregij Patres, amantiſſimique ac deuotiſſimi Fratres, ſacræ huius religionis alumni, & cultores! ſpiritus veſtros nedum per capreas hinnuloſque ceruorum; ſed certè, per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, per vulnera; pretioſiſſimumque ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ac per illam æternæ beatitudinis portionem, quam ſub glorioſiſſimo Reginæ cœli mantello finaliter expectatis, adiuramus, obteſtamur, interpellamus, hortamur, & rogamus, vt feruenti charitate, conſideratis præſentis voluminis tenoribus, nobiliſſima ſanctæ religionis veſtræ exordia, atque fundamenta, attentius animo reuoluentes, vos deinceps iugiter totos, ſaltem in duobus, ſine fictione paratos efficaces, & beneuolos exhibeatis. Primum, vt in omni vita, & conuerſatione, tanquam veri ſanctorum filij & ſucceſſores, ad petram vndè exciſi eſtis, iuxta Iſaiæ commonitionem, attendentes, exemplo eorum, qui vos in ſancta vocatione iſta tam glorioſè præcellerunt, ſacri ordinis veſtri puritatem coram Deo & hominibus obſeruare ſtudeatis. Secundum, vt ampliſſimo præmiſſorum vigore priuilegiorum, in religioſæ dilectionis vniformitate & concordia, vos, & vobis commiſſa ſeu credita quæcumque bona, murum defenſiones pro domo Dei, religioneque, ſpeciali ſuæ intemeratæ genitricis conſtanti virtute opponatis. *Eſt enim omnium religionum prima, in ipſius Virginis Matris honorem dedicata.* In qua, ſub ſuaui ſanctæ reformationis iugo & obſeruantia, non ſolum ſancti, quorum nonnullos annumerare curauimus; verumetiam innumerabiles ex omni ſtatu mundi, iter regni cæleſtis vobis oſtenderunt. Nam crebrò multi Pontifices in vtroque ſtatu reuerendi, tantæ deuotionis odore attracti, infulis depoſitis, ſimplicem cum Dei famulis monachatum ducere gaudebant: innumerabiles Decani, Abbates, Archidiaconi, Cantores, cæterique Eccleſiæ, nec non aliorum ordinum Prælati, mente humili, pauperes

Chriſti

Christi patres vestros imitari studebant, sua etiam quandoque loca sacro ordini supponentes. Regum quoque ac principum filij & nepotes, nonnunquam ipsi Principes, reiecta gloriæ mundialis pompâ, ad ordinis vestri humilem paupertatem confluebant: quorum nonnulli monachorum cucullam; alij conversorum barbam; cæteri fratrum laicorum statum eligebant. Nouum perfectò & grande spiritualis militiæ spectaculum, inclitum nuper videre militem, in sæculo gloriosum, delitijs affluentem, iam gustato spirituali patrum vestrorum pane, ad Christum conuersum, cum hilaritate spiritus claustrum scopantem, coquinæ officijs promptè seruientem bubulci, ouispilionis, & aurigæ seruitio hilariter incumbentem, pane hordeaceo, fabâ, lente, oleo, & aqua suauiter reficientem, aliasque religionis austeritates, præ nimio Reginæ cæli amore, claro pectore dulciter in huius religionis simplicitate ferentem. *Non solum autem premissos sacra suscepit religio, verum etiam innumerabiles Doctores, Philosophos, Rhetores, Medicos, Dialecticos, Iurisconsultos, ac Theologos, Christo cum humilitate seruire edocuit; quorum nomina, scripta, opera præclara, enarrare si volumus, non minus quam stellas cæli numerare tentaremus.* Sublimium quoque exemplo personarum, alij inferioris gradus ad ordinis vestri gremium confluebant, nobiles Burgenses, practici mercatores, artifices, laboratores, & in plebe honorati diuites, qui temporalibus dispositis opibus, se, & quandoque cum ingenti massa auri, monasteriis donabant: ex quibus, talium que laboribus, sumptuosa, cæteris profectò clariora, Reginæ cæli in hoc ordine constructa sunt ædificia. Cuius meriti, religiosæ ac Christo deuotæ matronæ, participes fieri cupientes, manus largas apponebant. Sic breui tempore, ex quolibet orbis statu, Domina mundi in numeros speciales famulos, famulasque, sub hoc habitu cælesti acquisiuit. Quid ergo nos iam faciemus aut coram summo Deo dicemus, si (quod absit) tot qui nos præcesserunt, qui viam paradisi in mundo nobis ostenderunt, qui loca religioni aptissima nobis parauerunt, libros chartas, ornamenta, domos, possessiones, amicos, prouisores, & quæ ad sanctæ conuersionis obseruantiam necessaria, magnificè reliquerunt, desides aut delicati milites, seu indisciplinati successores, sequi nolumus, aut certè contemnimus?

Hæc profectò sacra religio, quæ potius ad sanctæ regulæ Beati Benedicti obseruantiam, reformatio dicitur, prout Sanctissimi Bernardi, aliorumque Patrum scripta tradunt, peculiaris est in terris familia gloriosissimæ Matris Domini, cuius viuendi formam, sibi deuotis famulis primis patribus nostris inspirasse certum est. Nam vltrà spirituales reuelationes, ii timasque consolationes, sæpius fulgidissimo cæli ciuium stipata comitatu, eos visitabat, etiam visibiliter consolabatur, edocebat, adiuuabat, dirigebat. Ob hoc, & ipsa sacri huius ordinis Parrona, Domina, Protectrix, & Aduocata nominatur: *sicut ordo ipse primus est omnium ordinum in eius honorem dedicatus, cuius habitum, tam Monachorum, quam sanctimonialium tradidisse fertur, cum tantæ dignitatis authoritate, merito, & virtute, vt diabolus nullam habeat potestatem in aliquem, qui eo indutus moritur, saltem donec de ipso Iudex viuorum, & mortuorum, dederit sententiam.* Denique huius sanctæ vocationis tolerantia, pro omnibus peccatis præcedentibus sufficiens creditur pœnitentia. Quinimò, si (per impossibile) dæmon, aut etiam Iudas, humiliter & integraliter sacri ordinis obseruantias custodirent, de eorum salute finali nequaquam desperandum videretur. *Vnde & (iuxta Christi reuelationem, infallibileque promissum) perseuerantes in isto ordine sub religiosa humilitate, & obedientia, infallibiliter saluabuntur.* (Vide Menologium Cisterciense.) Has veritates, similesque conclusiones, apertis litteris docent

cent Sanctorum monumenta: & inter cætera, clarissimus liber, qui *Exordium Cistercij* inscribitur, quarum participem in hoc sæculo, & in alio, religiosam hanc familiam, per vniuersa mundi climata constitutam, faciat pijssimus Dominus Iesus, suæ dulcissimæ Matris precibus. Amen. Hæc Ioannes Abbas, qui tandem senio fractus, Abbatiam suam resignauit anno 1503. reliquumque vitæ sancto fine conclusit, sub finem adhuc eiusdem anni. Cui insigne positum est epitaphium, quod refert Reuerendissimus Manriquez, in serie Abbatum Cisterciensium. De hoc Ioanne vid. etiam Ludouicum Iacobi Carmelitam, lib. de Scriptoribus Cabilonensibus.

Ioannes Cirita, Abbas Tharaucanus, siue sancti Ioannis de Tharauca, ordinis Cisterciensis in Hispania, vnà cum Guiscardo monacho suo, anno 1162. scripsit *Regulam militibus ordinis Auisij, apud Lusitanos clari, ad petitionem Alphonsi Regis Portugalliæ.* Regulam hanc edidit Chrysostomus Henriquez in vita B. Ioannis Ciritæ, lib. 1. Fasciculi, dist. 19. Vbi etiam refert *Epistolam quandam eiusdem Ioannis, ad monachos Tharaucanos*, postquam iam resignata Abbatiali dignitate, in monasterio Sancti Christophori priuatam vitam ageret. Item, *Aliam ad Boëmundum Abbatem de Tharauca, eiusque Monachos.* Obijt sanctitate illustris anno 1164. V. de Henriquez in Menologio, 23. Decembris; & Miræum in Auctario suo, de scriptoribus ecclesiasticis.

Ioannes, cognomento, *Clarus*. Monachus Alcobaciæ S. Theol. Doctor, tantæ celebritatis vt Serenissimus Emanuel Portugalliæ Rex, Conimbricæ recens institutam S. Theol. cathedram, eidem (tanquam viro totius regni doctissimo) regendam tradiderit Vlissiponæ, 5. Ianuarij, anno 1504. teste Reuerendissimo

Bibliothec. Ord. Cist.

Angelo Manriquez in serie Abbatum Alcobaciensium, ad calcem tomi 2. Annalium suorum. *Fertur, præclara doctrina sua monumenta reliquisse*, quorum tamen specificationem obtinere nequiui.

Ioannes Coene, Belga, cœnobij Camberonensis meritissimus Abbas ordinisque Cisterciensis per vniuersum Belgium Vicarius generalis, S. Theol. Baccalaureus formatus, antea Monasterij sui Prior; vir variarum scientiarum supellectile haud vulgariter instructus; conscripsit, & Montibus Hannoniæ, typis Francisci Vaudræi, publicauit *Doctissimũ Panegyricum, Prædecessori suo, Amplissimo & Eximio Dno Ioanni Farinart, Camberonensi Abbati dictum, quum is sacerdotij sui, & religiosæ professionis Iubilæum celebraret*, anno 1634. 9. Kal. Maij. Obijt anno 1650.

Ioannes Cagneu, religiosus Bonæuallis Ruthinensis, S. Theol. Doctor Sorbonicus, *Transtulit in linguam Gallicam, quosdam tractatus Sancti Bernardi*, quos anno 1566. Parisiis impressit Guilhelmus Chaudire. Ant. Verdier in bibliotheca Gallica; & Philippus Seguinus in bibliotheca Cisterciana M. S. Qui specialiter addit, Ioannem hunc, ob doctrinæ claritatem, fuisse eximiè charum S. R. E. Cardinalibus, ab Armigniaco, Tholosano Archiepiscopo; & Hieronymo à Socherus, Cistercii, & Claræuallis Antistiti.

Ioannes, confessarius, seu Prior sanctimonialium monasterij *Cornelliensis*, siue *Montis Sancti Cornelij*, iuxta Leodium, vbi nunc est hospitale leprosorum: vir simplicitatis columbinæ, vitæque sanctitate excellens, hortatu B. Iulianæ dicti monasterij Priorissæ, *composuit & descripsit, non sine speciali Dei adiutorio* (vt habet Author vitæ B. Iulianæ, cap. 46.) *Officium ecclesiasticum integrum de Venerabili Sacramento, quod à Superioribus approbatum, Leodij, Tungris, & alijs in locis in vsu fuit, priusquam officium à Sancto Thoma*

Aquinate concionatum; authoritate Vrbani IV. publicatur. Initium huius officij erat: *Animarum cibus, &c.* Vide Gilemannum in vita B. Iulianæ, quæ extat in Rubea valle, suprà: & Miræum in fastis Belgicis & Burgundicis, 5. Aprilis. Floruit circa annum 1240. tandemque anno 1246. præsentis vitæ miserias (vt citatus loquitur Author) pretiosæ mortis transitu commutauit. De hoc fusius Henriquez in Menologio, Kalendis Ianuarij.

Porrò, venerabilem hunc virum, atque etiam beatam Iulianam Corneliensem (institutæ festiuitatis Ven. Sacramenti promotricem præcipuam) hactenus communi celeberrimorum scriptorum consensu pro Cistercienfibus habitos, nuper R. P. Bartholomæus Fisen, Soc. Iesu, in libello, Duaci anno 1628. edito *de prima origine Festi Corporis Christi, ex viso Sanctæ Iulianæ diuinitus oblato*, conatus fuit illos nobis subtrahere, asserens Iulianam non fuisse Cisterciensem (& consequenter nec Ioannem) qui erat eiusdem cœnobij) sed hospitalariam Augustinianam, quales nunc sunt moniales in monte Cornelio degentes, productis quibusdam rationibus, non quidem contemnendis, attamen non etiam tantæ efficaciæ, vt aduerso torrente rapidissimo tot clarissimorum Scriptorum prouehere me possent; præsertim quod nulla earum sit, quæ non commodè à Cisterciensium fautoribus exponi, & resolui possit. Nam, ad 1. & præcipuam, qua asseritur, *in* memorato monasterio Corneliensi inferiori, nullius hodiè regulæ mentionem esse, nisi Augustinianæ; adeoque necessarium videri, vt quicunque asserit Iulianam fuisse Cisterciensem, probet disciplinam Cisterciensem ibidem aliquando fuisse obseruatam, & postmodum mutatam in Augustinianam, cuius sententiæ antiquum Autorem nemo dabit.

Respondetur inprimis, facilè contingere posse, vt quandoque monasteria aliqua de vno instituto transeant in aliud, & tamen post aliquot sæcula, in dictis monasteriis nulla sit memoria prioris instituti; maximè si monasteria hæc interim fuerint euersa, aut desolata, & monumenta eorundem incendio, aut aliâ quacunque iniuria perierint. Monasterium minoris Bigardiæ in Brabantiâ institutum seruat nigrorum Benedictinorum, & à paucis adhuc annis, nulla ibidem mentio erat alterius instituti: at postquam nuper Reuerendus admodum Dominus Christophorus Butkens, Brabantica sua trophæa publicauit, ibidemque, lib. 7. cap. 1. ex diuersis antiquis, & authenticis instrumentis, clarè ostendit dictum monasterium fuisse fundatum sub instituto ordinis Cisterciensis, & in eodem etiam aliquamdiu perseuerasse, nemo de hoc iam dubitat; tametsi adhuc incognitum sit, quo tempore, & quâ de causa moniales illius monasterij relicto ordine Cisterciensi, digressæ sint ad ordinem Sancti Benedicti.

Similiter monasterium Sanctæ Agnetis in vrbe Moguntinâ, per aliquot sæcula inhabitarunt moniales Cistercienses; iam autem à 60. aut circiter annis, illud occuparunt, & etiamnum possident Augustinianæ. Qualia monasteria per Germaniam vidi plura, de vno ordine ad alium translata; & licet nunc adhuc sciamus tempus & causam huiusmodi translationis, quis tamen neget fieri posse, vt post tria aut 4. sæcula, deperditis monumentis, aut forrè etiam euersis monasteriis, translationis huius memoria pereat, maximè si inter media aliqua sæcula laborent penuria scriptorum, quemadmodum quædam retroacta laborarunt. Quanquam haud credibile sit, *Molanum Chapeauille, Haræum, Miræum, & Authorem Sacrarii Leodiensis*, Scriptores rerum Ecclesiasticarum per Bel-

gium

gium & Leodiensem ditionem, exactissimos, & fidelissimos, monacharum B. Iulianæ & consequenter translationem monasterij Corneliensis ex ordine Cisterciensi ad Augustinianum, ex cerebro confinxisse & scriptis suis ad miscuisse; quin potius apud probatum quempiam scriptorem, aut saltem in antiquis quibusdam manuscriptis monumentis reperisse, Reuerendo Patri Fisen adhuc incognitis. Præterea, quicunque Cistercienses possessione sua pacifica, tot grauissimorum virorum sententiis robotata, deturbare cupit, illi probandum incumbit, Cisterciense institutum in cœnobio Corneliensi nunquam viguisse: sed illud à 1. fundatione huc vsque fuisse alterius ordinis, prout nunc est; non autem necesse est, vt Cistercienses, aut eorundem fautores, cuicunque passim rationem reddant suæ possessionis: Licet non dubitem, quin plures saltem Authorum suprà citatorum, id sufficienter præstare potuissent, si (dum in viuis erant) de eo requisiti fuissent, vel quisquam comparuisset, qui opinionem R. P. Fisen scripto publicasset.

2. Ratio in hoc consistit, quod Iacobus de Vitriaco. S. R. E. Cardinalis, Author Sanctæ Iulianæ synchronus, suo tempore Leodij fuisse tradat familiam, quæ ex S. Augustini regula, ijs fungebatur muneribus, quæ vsurpata fuisse in cœnobio Corneliano, ex tota vita Sanctæ Iulianæ constat: atqui, si Cornelianam excipis, nullum alibi superfit Leodij familiæ huius vestigium. Sed vt hæc ratio concluderet, probandum esset, tunc temporis reuerà non fuisse alias moniales hospitalarias Regulæ S. Augustini, nam fieri facillimè potuit, vt interim aliquæ similes congregationes Leodij ad aliud institutum se transtulerint; prout passim adhuc indies fieri videmus in aliis ciuitatibus. Quod vt notissimis ostendam exemplis; Furnis in Flandriâ degunt moniales Præmonstratenses sub regulari clausurâ, album gerentes habitum; quas ego adhuc recordor me vidisse hospitalarias, gestantes habitum Cisterciensem, scilicet tunicam albam, cum scapulari, & velo nigri coloris.

Gandaui nuperrimè etiam hospitalariæ Leprosarij, quod vulgo vocatur Xenodochium diues *het rycke gasthuys*, amplexæ sunt institutum S. Benedicti. Plura similia exempla ex solâ Flandriâ producere possem, si necesse esset.

3. Ratio & vltima, euincere conatur, Iulianam dum Salsiniæ habitauit, non se dedisse in obedientiam Antistitæ eiusdem loci: id quod libentissimè concedo, quia hoc ipsum clarissime deducitur ex cap. 58 vitæ ipsius (apud Patrem Fisen) vbi Lego, Himanam Salsiniensem Antistitam, sæpè precibus instituisse apud Iulianam, vt corpus suum exanime Salsiniæ condi decerneret, at quod hæc nunquam potuit persuaderi. Sanè si Iuliana hæc adcensita fuisset Salsiniensibus, nunquam Antistita tale quid ab illâ petere debuisset, nec illa etiam petenti denegare. Itaque censeo Iulianam receptam fuisse tanquam ordinis eiusdem Antistitam exulantem, ibidemque in tali qualitate fuisse tractatam, permissâ illi vnâ atque alterâ moniali, pro secretioribus seruitiis, &c. Cuiusmodi exempla vidi in ordine nostro plurima, nominatim etiam in monasterio nostro Dunensi, vbi aliquandò nobis coniunxerunt (satis longo tempore) Abbatis Hyberni duo D. Paulus Ragget Abbas Dubliniensis, & Robertus Brit; qui nunquam obedientiam vouerunt Abbati nostro, sed remanserunt sui iuris; concesso etiam priori, scilicet Dubliniensi, vt famulum & capellanum apud se detinere posset. Quanquam etiam dicendū videatur Iulianam cum sororibus sibi adhærentibus Salsiniū profectam fuisse cum intentione ibidem perseuerandi vsque ad obitū, sub obedientia Abbatissę eiusdē loci, idq;

ex persuasione Virorum doctissimorum & grauissimorum; vt clarè etiam habetur cap. 42. vitæ suprà citatæ, his verbis: *Porrò, vt maledicorum os obstrueretur qui fortassis viuendi genus sine Praeside, ab immoderatâ libertate reprehenderent: è consilio, sententiâque hominum sapientiâ & eruditione praecipuorum, atque imprimis Guidonis Episcopi Cameracensis, tempus vitae reliquum Antistiti Salsiniensi submiserunt.* Ex quo satis arguitur illas non fuisse ibi absque omni obedientiâ, & etiam fuisse eiusdem Ordinis; quia inauditum est vt moniales alterius Ordinis admittantur ad habitandum pro tota vita sua in Cænobio nostri Ordinis, præsertim ad vitam communem cum cæteris monialibus pro vt hic factum fuisse habetur tum ex verbis citatis, tum etiam ex capite 43. sequenti, vbi dicitur, quod, suadentes Iulianæ vt Salsiniam se conferret, (inter alia) allegauerint, *quod confecta aetas & vires, vitam communem magis postularent quam priuatam*: quodque, hæc, tandem consilijs his acquieuerit. A quæ hæc ad rationes R. P. Hien dicta sufficiunt, vt quilibet videat propter illas non esse recedendum à communi Doctorum sententiâ, asserentium hos fuisse Cistercienses.

Verum enim vero, quia postea etiam R. D. Petrus de Waghenaere, Religiosus Ordinis Præmonstratensis, & Subprior Abbatiæ S. Nicolai Furnis, (vir diuersis editis operibus clarus) aliam viam ingressus, Iulianam (& consequenter eius Socias, ac Ioannem Priorem) Præmonstratensibus suis adserere voluit, fauore trium præsertim rationum, quas scripto mihi transmisit (*eodem ferè tempore quo eiusdem Virginis Iulianae vitam ex Latino Flandricam reddidissem*, necesse quoque fuit & illas resoluere, si illustres has Personas Ordini nostro vindicare vellem: Id quod etiam statim feci in primâ editione huius Bibliothecæ; & hic etiam repetere non grauabor. Itaque prima ratio Reuerendi Domini de Waghenaere, hæc fuit: quia antiqui catalogi monasteriorum ordinis Cisterciensis nullum referunt monasterium Corneliense, siue Montis S. Cornelij, cum tamen è contra, Præmonstratenses catalogi recenseant monasterium Corneliense inter filias Floreffiensis monasterij. esse illud, quo modò Leodium translatum, vocatur monasterium Belli-reditus. Huic præfuit B. Lucas Abbas, B. Patris Norberti discipulus, &c. vt videre est apud Ioannem le Paige, in bibliotheca Præmonstratensi.

2. Ratio: in monasterio Corneliensi, vna cum B. Iuliana, & alijs virginibus, habitabant simul viri religiosi, qui suum habebant Priorem (vt patet ex vita ipsius Iulianæ:) id quod in ordine Præmonstratensi olim vsitatum erat, nullatenus verò apud Cistercienses Imo, S. Bernardus epistola 79. ad alterum B. Lucam Abbatem ordinis Præmonstratensis, talem habitationem non probat.

3. Ratio refertur quoque in eadem vita, tempore ipsius Iulianæ in dicto Corneliensi monasterio constitutum fuisse Priorem, ex ordine Præmonstratensi: ex quo omninò colligi videtur moniales has fuisse eiusdem ordinis; non enim hactenus auditum fuit, Cisterciensibus monialibus præfectum fuisse Priorem Præmonstratensem. Hæc summa fuit rationem D. Waghenarij.

Ad quarum primam respondi, catalogos antiquos referentes monasteria ordinis Cisterciensis, nō continere nisi monasteria virorum, (vt legentibus patebit;) nec vllum hactenus formatum fuisse catalogum monasteriorum monialium. Cum autem monasterium Iulianæ fuerit monialium, non mirum, illud in dictis catalogis non contineri: monasterium verò Corneliense, seu Montis S. Cornelij, quod in Præmonstratensibus recensetur catalogis, non fuisse monasterium B. Iulianæ (quod modò est domus Leprosorum

profeſſorum) ſed aliud, quod in vertice eiuſdem montis ſitum, vocabatur *Superius monaſterium* (*La haute Cornelion*) quodque Leodium translatum, nunc vocatur *Monaſterium Belli reditus*. Duo namque fuiſſe monaſteria Corneliensia, ſibi inuicem ſatis vicina, expreſsè habetur in vita Beatæ Iulianæ, quorum vnum, ſcilicet *ſuperius*, virorum erat Præmonſtratenſium; alterum *inferius* dictum, moniales habebat Ciſtercienſes. Eodem ferè modo, quo nunc Parcum Dominorum, iuxta Lonanium, Canonicorum eſt Præmonſtratenſium; Parcum verò Dominarum Vrauvven parck, Sanctimonialium eſt Ciſtercienſium.

Ad 2. Satis vſitatum ſemper fuiſſe in ordine Ciſtercienſi, vt in monaſterijs monialium reſiderent 4. aut 5. monachi, (pro vt nuper adhuc Flinis, iuxta Duacum, reſidebant 4.) Quorum Primarij, tametſi in Belgio non vocentur niſi Patres Confeſſarij, in alijs tamen Prouincijs maximè Germanicis, ijſque vicinis, communiter vocentur Priores.

Præterea, olim etiam in plurimis monaſterijs monialium, præſertim quæ hoſpitalia annexa habebant, aut agriculturam exercebant, multi erant Conuerſi, ſeu Fratres laici, rerum temporalium curam gerentes, qui Abbatiſſis, aut Prioriſſis obedientiam promittentes, profeſſionem emittebant in manibus earum, prout patet ex cap. vltimo, diſt. 14. Lib. 1. antiquarum Conſtitutionum ordinis Ciſterc. vbi ad longum deſcribuntur cæremoniæ quæ in huiuſmodi profeſſionibus obſeruari debebant.

Denique, erant & Clerici, ac Sacerdotes, qui à dictis Abbatiſſis, ſeu Prioriſſis ad religioſum habitum recepti, de licentia Patrum Abbatum, etiam profeſſionem emittebant, ſtabilitatem vouentes in ipſis monaſterijs monialium, qui proindè tunc fiebant membra eorundē monaſteriorum, vocabanturque Capellani monaſteriorum. De his etiam agitur in libro antiquarum conſtitutionum, loco citato; & rurſum in conſtitutionibus nouellis, diſt. 1. cap. 4. vbi hæc leguntur. *Inhibetur diſtrictius, ne aliqua perſona cuiuſcunq. ſtatus fuerit, recipiatur in Capellanum in monaſterijs monialium, ad habitum regularem, ſine Patris Abbatis illius monaſterij petita licentia, pariter & obtentâ.* Et poſt pauca: *Capellani monialium ordinem perpetuò traditi. & oblati, de caterò portare regularem habitum ordinis teneantur* &c. Libro etiam Priuilegiorum ordinis, anno 1630. Antuerpiæ typis Plantinianis impreſſo, priuilegio 29 refertur ad verbum bulla Alexandri Papæ IV. qua Pontifex concedit Abbatibus Ciſtercienſibus, vt tanquam contra alios apoſtatas procedere poſſint, contra Capellanos monialium tranſeuntes ad alios ordines. Quià verò dicti Capellani, & Conuerſi, dormitorium, refectorium, & alia loca regularia habebant ſeparatim à monialibus, neceſſariò debebant habere Priorem, vel alium Præſidem (quocunque nomine vocaretur) qui in abſentia Abbatiſſæ, vel Prioriſſæ, ijſdem inuigilaret; eratque hic ordinariè Confeſſarius conuentus. Taliter videtur fuiſſe in monaſterio Cornelienſi inferiori, vbi Prior, Capellanorum & Conuerſorum ſuperintendens, Confeſſarius quoque erat monaſterij, non autem abſolutus Superior; vt clarè etiam colligitur ex vitâ citatâ B. Iulianæ, in quâ habetur, Iulianam nunquam voluiſſe tradere Priori ſuo litteras, & monumenta monaſterij: quod ſanè facere debuiſſet, ſi Prior ille fuiſſet monaſterij Superior.

Nec obſtat, quod S. Bernardus alibi videatur improbare cohabitationem virorum cum fœminis; quia lapſu temporis multa fuerunt introducta, aut tolerata, quæ Sanctus Bernardus nunquam approbauit; vt patet de eſu carnium, &c.

Ad 3. rationem VVaghenarij, responsum fuit Priorẽ ibidem memoratum, ex vicino monasterio Præmonstratensi assumptum, non fuisse legitimè institutum, sed per rebelles aliquot moniales, & Capellanos, ac Conuersos, fauore furibundorum ciuium Leodiensium, violenter intrusum, quem proinde Iuliana nunquam voluit recipere, vt etiam ex vitâ ipsius cõstat. Hinc paulo antè obitum suum, cum eam inuiseret alius legitimus Confessarius, seu Prior iniustè depositus, Iuliana moniali tunc præsenti præcepit, vt eidem confiteretur, tanquam legitimo suo confessario.

Accedit quod in eadẽ vitâ Gallicâ, dũ refertur tumultuosa institutio Pseudo prioris illius Præmonstratensis, tanquã aliquid insolitũ; addatur, illũ fuisse monachum album, sufficienter innuendo, præcedentes nõ fuisse monachos albos. Prætereà, quod idem Prior mox iterũ fuerit reiectus, substituto alio, qui prius (ad petitionem Iulianæ) per Episcopum fuerat amotus, vide cap. 65. vitæ sæpius citatæ, in Lilijs Cistercij.

Confirmantur hæc omnia; 1. tum ex eo quod ipsa Iuliana ex monasterio suo deturbata, confugerit, non ad Præmonstratensium monasteria, alioquin satis vicina, sed ad Cistercienlia; 1. scilicet ad Roberti montem; 2. ad Vallem Benedictam; 3 ad Vallem B. Mariæ; ac tandem Salsinium, iuxta Namarcum; quæ omnia monasteria sunt ordinis Cisterciensis: tum etiam quod morti vicina, sepulturam elegerit apud Cistercienses, in monasterio Villariensi, vbi etiamnum quiescit.

Confirmantur 2. authoritate grauissimorum Scriptorum, qui beatam hanc Virginem Iulianam constanter Cisterciensibus adscribunt; *Ioannis Molani*, Doctoris Louaniensis famosissimi, in natalibus Sanctorum Belgij, 5. Aprilis: *Francisci Harei*, de vitis Sanctorum, eodem die: *Ioannis Chapeauille*, *Canonici & Vicarij Leodiensis*, in commentatio de exordio festiuitatis Ven. Sacramenti, anno 1617. edito: *Auberti Miræi*, in fastis Belgicis, & in chronico Cisterciensi: *Ioannis Diestemij Bleri*, seu alius, quicunque historiam eius de institutione Ven. Sacramenti, an. 1603. Duaci edidit ad calcem Speculi magni exemplorũ: *Hugonis Menardi*, in martyrologio Benedictino, 5. Aprilis: *Ioannis a' Assigny, Abbatis V̄allensis* parte 2. Personarum sanctitate illustrium ordinis Cisterc. Perillustris, & Reuerendissimi *Angeli Manriquez, nuper primarij Professoris S. Theologiæ in Vniuersitate Salmanticensi*, *nunc verò Pacis Augustæ Episcopi*: *Bernardi Briti*, historiographi Regij, regni Portugalliæ: *Francisci Bivarij*, Procuratoris congregationis Hispanicæ ordinis Cisterc. Romæ, in vitâ ipsius Iulianæ 2. libris à se descriptâ: *Chrysostomi Henriquez*, in Lilijs Cistercij, & in Menologio: & aliorum, apud eundem Authoribus his etiam consentiunt, *historia monasterij Septimiani* in Italiâ, quam edidit Iongelinus in notitiâ Abbatiarum &c. & *Sacrarium Leodiense*, ex certissimis M. S. codicibus diuersarum Ecclesiarum collectum, in quo opere (vt nuper vidi) expressè etiam Ioannes Corneliensis Prior Cisterciensis fuisse asseritur, his verbis: In monte Sancti Cornelij, B. Ioannes Prior, ordinis Cisterciensis.

His ita deductis, & diligenter perpensis, æquo Lectori iudicandum committo, vtrum D. de VVaghenaere, ob rationes iam solutas, sine vllo prorsus antiqui codicis, aut alterius Authoris subsidio (vt in litteris suis ipsemet fatebatur) Iulianam hanc, & consequenter etiã Ioannẽ Corneliensem memoratum, Præmonstratensibus rectè potuerit adserere, contra fidem authoritatem tot celeberrimorum Scriptorum, non solum Cisterciensium, verum etiam Doctorum sæcularium, & alias indifferentiũ ad vtrumque ordinem, Cisterciensem & Præmonstratensem; qui proindè non nisi solidam veritatem secuti

cuti, lustratis præcipuarum quarumcunque Bibliothecarũ totius Belgij monumẽtis antiquis, exactissimè Belgicas res scripsisse comprobatur.

Nihilominus, D. de Waghenaere his nondum contentus, anno 1651. prælo committens librum quem inscripsit: *Sanctus Norbertus voce solutâ celebratus*, hanc materiam resumpsit, & fusè pertractans, conatus est, hæc à me iam dicta elidere, & nouis quibusdam adductis rationibus, Iulianam suis vindicare Præmonstratensibus.

Primò namque produxit contra me, sententias duas desumptas ex duabus epistolis meis, responsorijs ad totidẽ ab ipso mihi anteà scriptas: de datâ, postridie Cal. Octobris, 1646. & 17. Nouembris eiusdem anni.

Pro quarum intelligentiâ, sciendum, quod cum ipse D. de Waghenaere per specialem epistolam, de datâ 21. Septembris anni 1646. proposuisset mihi per modum dubij, rationes aliquot, quibus ostendere conabatur, B. Iulianam Corneliensem non fuisse Monialem Cisterciẽsem, sed Præmonstratensem (erant autem rationes eædem, quas iam exhibui, & solui) Respondi in hunc modum: *Dubium à R. Vestra propositum, me etiam subindè torsit, ratione cuiusdam scrupuli, quẽ in vita Gallica B. Iulianæ offendi; donec tandem rationes assecutus fui, quæ hanc Cisterciensem fuisse, mihi persuaserunt. &c.* Hic, Dominus de Waghenaere, productis prioribus verbis, *dubium à Reuerentia vestra propositum me etiam subindè torsit*, cætera subticet, quæ tamen maximè ad rem faciunt. Quibus tamen etiam seclusis, quid mirum, si dũ quis incipit se applicare lectioni historiarum, in multis hæreat, in quibus posteà nullam difficultatem reperit. Ipsemet R. Dominus de Waghenaere, post diligens studium, variasque Virorum Doctorum consultationes, multo adhuc tempore dubius, hæsit, quam viam ingredi deberet vt dictam B. Iulianam suis vendicare posset; vtrum nimirum sustineret, illam fuisse Monialem, an solummodò familiarẽ Ordinis Præmonstratensis? Hinc in priore suo libro, quem anno 1650. publicauit, titulo, *Sanctus Norbertus vario carmine celebratus*, &c. fol. 44?. ita scripsit: *Meminit B. Iulianæ, quod, vtpotè familiaris, id est, è familia Montis Cornelij superioris, aliquo modo ad Ordinem nostrum pertinuerit; imò, eundem fortassis fuerit amplexa.* Hæc ibi. At in posteriore libro, quem anno sequenti (id est, 1651.) publicauit, absolutè sustinet Iulianam fuisse Monialem Præmonstratensem Cornelij inferioris.

Quod autem me (dum citatam scriberem epistolam) non amplius dubium hoc torqueret, satis ostendi in contextu ipsius epistolæ, productis diuersis rationibus, dubij solutionem continentibus. Quibus plures adhuc addidi in aliâ epistolâ, quam eidem scripsi, 26 Nouembris anni 1646. In tantum, vt ipse D. de Waghenaere causæ suæ infirmitatem satis aduertens, hoc saltem à me elicere voluerit, dubium suum non fuisse onere imaginarium, sed reale, adeòque honestè potuisse proponi. Hinc 9. Decembris anni eiusdem, denuò scribens, sic epistolã exorsus est: *Reu. Adm. Domine nostrum circa B. Iulianam dubium, non imaginarium, sed reale fuit, ideò illud meritò proponi potuit Reuerentia Vestra soluendum.* Et infrà: *Nullum hactenus Præmonstratensem, præter me, agentem aut scribentem ea de re vidi, sed rationes omnes in præcedentibus meis relatæ, à me excogitatæ fuerunt.*

Ad hæc, ego (vrbanitatis insistens Regulis) libenter amico concessi, dubium ipsius nõ fuisse merè imaginarium, sed reale: addens tamen, me gauisum, quod dignatus esset solutionem eius à me expetere. In quibus omnibus, nihil est quod Domino de VVaghenaere faueat.

2. Protulit fragmenta quædam Resolutionũ mearum, suprà memoratarum, adiunctis tamen quibusdam merè falsis: Nam quod dixit, me scripsisse, olim in Monasterijs Monialiũ Ordinis nostri habitasse, Priores, id est Confessarios, qui

qui Abbatissæ aut Priorissæ subijcerentur, à veritate alienum esse, Lectores quilibet libri mei deprehendent; solummodò enim asserui, olim in pluribus monasterijs monialium fuisse Conuersos & Capellanos Abbatissis subiectos, qui habebant Præsidem, in absentiâ Abbatissæ ipsis inuigilantem, qui ordinariè erat Confessarius loci: nullibi autem dixi aut scripsi, hunc Confessarium fuisse subiectum Abbatissæ. (*vid. suprà responsionem meam ad 2. argumentum D. de VVaghenaere, de illâ enim hic agitur*) Verum, vti modò, sic & semper, Confessarij nostri, fuerunt vicarij suorum Abbatum in regimine spirituali: vndè, & eorum commissiones, dicuntur Præfecturæ, aut Paternitates Monialium, ipsique, Præfecti, Patres, aut directores Monialium; quibus nominibus me R. D. de Waghenaere ipsemet in litteris suis sæpius compellauit, dum Confessarius essem Monialium.

3. Reponens (vt ait) ad Responsiones meas, dicit, Chrysostomum Henriquez in Fasciculo suo, recensere omnia Monasteria Virorum & mulierum Ordinis Cisterciensis in Diæcesi Leodiensi, & inter illa non haberi Montis S. Cornelij, ergo, &c.

Sed errat toto cælo; quia Henriquez ibidem, ad verbum, refert collectionem quandam ab Auberto Miræo collectam, & editam in ipsius Chronico Cisterciensi, scatentem erroribus, in quâ, plurima Monasteria omissa sunt, earumque loco alia substituta, quæ nostri Ordinis non sunt. In solâ Leodiensi Diæcesi, omissum est Monasterium Sancti Remigij, Monachorum Cisterciensium, satis celebre Mausoleis Comitum de Rupeforti, quæ ab annis aliquot ibidem conspexi. E contrà, Xenodochia, Insulense, Cortracense, & Cominiense, referuntur esse Ordinis nostri, quod falsum esse, totâ Flandriâ notissimum est. Prætereà, Miræus solum collegit Monasteria quæ de facto puta-uit esse Ordinis nostri, non autem ea quæ ad alios Ordines sunt translata, vt est, Corneliense, & nonnulla alia quæ malumus ignorari ab externis. Corneliensis autem Monasterij, sufficientem mentionem facit Henriquez in Menologio; pro vt etiam passim alij historiographi nostri.

4. Concedit iterum Dominus de Waghenaere, proprium suum figmentum, aut saltem, errorem, scilicet Confessarios Ordinis nostri olim subfuisse Abbatissis (*quod falsum esse iam ostendi*) docetque Priorem Corneliensem non ita subfuisse Iulianæ, eo quod in vitâ, dicatur præfuisse domui Corneliensi. Id quod libenter ei etiam concedo, conformiter iam dictis ad 2. argumentum. Ex quo tamen non sequitur quod fuerit absolutus Superior Monialium, aut Monasterij; sicuti nec nunc Confessarij dicuntur absoluti Superiores Monasteriorum Monialium: nam inprimis quoad regimen temporalium, per se nullam habent iurisdictionem; & quoad spiritualia, non sunt etiam nisi Vicarij Abbatum, cum potestate limitatâ, & ad nutum amouibiles. Dico tamen, *per se*, quià subindè contingit, quod Visitatores aduertentes quasdam Abbatissas minus esse idoneas administrationi rerum temporalium, Confessarios constituant Receptores Monasterium: aut etiam ipsæ Abbatissæ, vt liberius sibi & regulari disciplinæ vacare possent, vltrò Confessarios ad temporalium curam vrgeant. Atque ita factum fuisse tempore Iulianæ in Cornelij Monte, ex vitâ ipsius clarissimè deduci potest. Adeò vt non sit mirum me hoc argumentum adduxisse, sed è contra, mirum quod Dominus de Waghenaere non aduertit argumentum benè concludere. *Vid. etiam supra ad finem Responsionis ad 2. arg. primæ consultationis.*

5. Nihil gratis conceditur, dum conceditur Priorem Norbertinum non fuisse legitimè institutum;

ſtitutum; quia id clariſſimè conuincitur ex vitâ Iulianæ apud R. Patrem Fiſen, fol. 154. ubi ex preſſe habetur, illum fuiſſe euocatum ad officium Prioratus. non à legitimo Superiore, ſed ab aliquot Iulianæ aduerſariis. reiecto vero Priore, *nullum aliam ob cauſam, niſi quam libido, ſcelerataque libertas prætenderet.* Idque non cum intentione vt relinqueretur in officio Prioris, ſed ſolummodo ad breue tempus, tanquam deſeruitor, donec alius euocaretur hoyo; vt colligitur ex contextu, & etiam effectus docuit: Nam paulo poſt, iidem quidem Præmonſtratenſem hunc euocauerant, rurſus illum amouentes, alium hoyenſem ei ſubſtituerunt; adeo vt ſine vllo prorſus fundamento dicatur, Præmonſtratenſis ille fuiſſe electus in Priorem.

6. Aſſerit D. de Waghenaere, vitam gallicam Iulianæ non eſſe antiquam, & ſcriptam, à quodam Ciſtercienſi, aut Ciſtercienſis Inſtituti amatore.

Verum, contrarium patet ex R. Patre Fiſen, fol. 252. vbi teſtatur, vitam gallicam omnium eſſe antiquiſſimam, ab anonymo conſcriptam, eamque adhuc ſeruari in domo Cornelienſi, in peruetuſto codice M.S. ad quam, quidam etiam anonymus (paucis hinc inde additis) vitam deſcripſit latinam antiquiſſimam, quam ipſe Pater Fiſen edidit. Fuit quidem poſteâ alia facta translatio gallica, quæ anno 1598. prodiit Leodii, ſed & hæc facta fuit ad duos antiquos codices manuſcriptos, per Lambertum Ruitium, domus Cornelianæ Vicarium, hominem non magis Ciſtercienſibus quam Præmonſtratenſibus addictum.

At, ne vim ponamus in vitâ gallicâ, latina etiam antiquiſſima, teſte Patre Fiſen, fol. 134. idem prorſus adnotat quod gallica, his verbis: *Sufficerunt* (ſcilicet Rebelles, libidine & ſceleratâ libertate ducti) *à Præmonſtratenſi diſciplinâ, virum aliquem, quo diſſimularent prauas artes ſuas.* Quibus verbis, per parentheſim, interiecit R. P. Fiſen (*Cornelij montem Norbertini tunc occupabant, quem hodie Carthuſienſes.*)

7. Dicit D. de Waghenaere non immorandum cœteris argumentis meis refellendis, eo quod tantum ſint coniecturæ. Certè, argumenta talia ſunt, quæ clarè oſtendunt, argumenta Patris Fiſen nihil concludere (id quod vnicum intendi, & facere debui) adeoque dictum Patrem immeritò conatum fuiſſe Iulianam nobis ſubtrahere.

8. Non parum (vt ait) admirans, dicit cum Patre Fiſen, ſe neſcire quid Ioanni Molano, Ioanni D. Aſſigny, & aliis recentioribus in mentem venerit, Beatam Iulianam fœminis inſerere Ciſtercienſibus! Addens, Illos omnes potuiſſe errare, ſicut Trithemius & alii quidam, qui Perſonas aliorum Ordinum ſuis Ordinibus adſcripſerunt.

At, iudicet æquus Lector, vtrum non multo potiore iure quiſpiam exclamare poſſit, neſcio quid in mentem venerit Domino de waghenaere; ſine vllâ prorſus authoritate, aut ratione ſolidâ, Iulianam Præmonſtratenſibus velle adſerere, contra innumeros ferè, & grauiſſimos, Italiæ, Hiſpaniæ, Galliæ, Belgii, & ditionis Leodienſis Scriptores, qui hactenus de eadem Iuliana ſcripſerunt, ex quibus iam ſuprà pleroſque citauimus (& plures adhuc infrà producemus) hiſtoriæ eccleſiaſticæ belgicæ & Leodienſis, verè baſes & columnas; quos omnes in re tam notabili, erroris inſimulare, abſque authoritate antiquiore, aut ratione conuincente, magnæ, profectò, temeritatis & præſumptionis eſt: præſertim, cum plures illorum (*Molanus & Chapeauville*) teſtentur ſe ea quæ ſcripſerunt, hauſiſſe ex antiquis monumentis, & relationibus authenticis.

9. Inculcat frequenter, nostrum Chrysostomum Henriquez diuersis in locis errasse, ac proindè, hîc etiam potuisse. Cui repono, etiam D. Gerardum van Herdegom, Religiosum Tungerloënsem crasse errasse, in sua *Diua Virgine candida* anno 1650. Bruxellis editâ, dum lib. 2. cap. 10. § 4. fol. 321. scripsit, R. Patrem Fisen probare, Beatam Iulianam fuisse Ordinis Præmonstratensis; cum tamen dictus Pater in toto citato libro, ne vel verbum habeat quod eò tendat, sed è contra probare conetur Iulianam fuisse hospitalariam S. Augustini, quales etiamnum sunt moniales Monasterij Corneliensis inferiores.

Præterea, sæpius errauit *Ioannes le Paige* in suâ Bibliothecâ Præmonstratensi, teste ipso Domino de Waghenaere, in libro suo de Præmonstratensibus, scriptis illustribus, vbi detectis pluribus eiusdem erroribus, tandem concludit. *Hos ego, alij alios in Pagio deprehendent errores*; Et nihilominus ipse passim profert testimonia ipsorum: quod etiam non culpo; quia viri docti & pij sunt, qui tametsi in aliquibus lapsi fuerint, non ideò dicendi sunt passim etiam in alijs errasse, nisi in quibus authoritate, aut ratione solidâ, erroris conuincuntur. Idem dicendum de nostro Chrysostomo Henriquez.

Quinimò, ipse R. Dominus de Waghenaere in solo suo *Norberto voce soluta celebrato*, aliquoties lapsus est, tum in ijs quæ statim recensuimus (*de Confessarijs Monialium Cisterc.*) tum etiam folio 154. dum Beatum Bertholdum Liuoniæ Apostolum, Abbatem Cænobij de Luca, in Saxoniâ Inferiore, Præmonstratensibus adcenset, cum Monasterium hoc à primâ sua fundatione (hoc est, anno 1143.) fuisse, & etiamnum esse Ordinis Cisterciensis, & Filiationis Veteris Campi, notissimum est omnibus qui vel leuem Germanicarum rerum notitiam habent. Imò, ego ipse anno 1630. dum in partibus illis habitarem, ibidem expetitus fui in Subpriorem, & Magistrum Nouitiorum, per Reuerendissimum D. Laurentium de Beuer, Abbatem Veteris Campi, Ordinis nostri per VVestphaliam & Tractum Rheni Vicarium Generalem, cuius adhuc penes me habeo originales litteras, quibus mihi dicta officia offert; sequentis tenoris:

Inscriptio. *Venerabili ac Religioso Fratri Carolo de Visch Professo Ordinis Cisterciensis in Dunis.*

Venerabilis, dilecte Frater,

Ante octiduum fuimus Hemmenrodij, in Diœcesi Treuirensi, vbi te pro Lectore præsentauimus, quo Dominus Abbas & Conuentus contenti fuerunt. Placet nobis vt eò te conferas. Si hæc conditio minus tibi arrideat, superest alia. Intra tres septimanas, mittam quatuor aut quinque fratres ex nostris, ad monasterium Lucæ, in Diœcesi Mindensi, si velis, adiungam te illis pro Subpriore, & Magistro Nouitiorum. Monasterium illud (vt mihi refertur) est prædiues, & amplissimum; recuperauimus illud à Lutheranis in die Pentecostes proximo. Benè vale in Domino. Coloniæ,

In vigilia S. Ioannis Baptistæ, 1630.

Vester.

Laurentius Beuer, Abbas Vet. Campi. †.

De hoc Monasterio Luca, seu Iucka, eiusque Abbate B. Bertholdo qui plura desiderat, consulat Iongelinum, in notitijs Abbatiarum Ord. Cisterc. anno 1640. Coloniæ impressis, & Ioannem Ditmarum Cliuensem, in Historiâ Campensi, item Aubertum Miræum in auctario ad chronicon Cisterciense, ad annum 1194 fol. 315. cuius hæc sunt verba: *Circa annum Christi 1194. Bertholdus Abbas Ordinis Cisterciensis, Christi doctrinam in Liuoniâ prædicauit, factus illius Prouinciæ Episcopus, post B. Maynardum. Ita Chronicum magnum Belgicum.* Etiam Albertus Krantzius lib. 7. Saxoniæ, cap. 13. num. 20. de hoc Bertholdo

tholdo agens, tametsi solum dicat se arbitrari, Monasterium de Luckâ esse Cistercienfium, subiungit tamen: *nam alij Annales preferunt Griseorum fuisse Monachorum, quod genus vestium habuere Monachi Cisterc ij.* Imo postmodum, melius adhuc informatus, in VVandaliâ suâ, l.b.6. cap. 10. num 50. fol.13 edit. Hanouiensis ann. 1619. absolutè asserit Bertholdum fuisse Abbatem Cisterciensem, his verbis: *Cumque ille* (Meynardus primus Liuoniensium Episcopus) *in pace Christi quiesceret, Bertholdus quidam Cisterciensium Abbas, illi in opere pietatis, & Episcopatu successit. Lucensem dixere Annales Conuentum vndè venerat.*

Ludouicus quoque Gorofredi, in Archontologiâ cosmicâ, fol. 411. agens de Religione per Poloniam, subdit: *habuit Meinardus successorem Bertholdum Abbatem Cisterciensem, qui in prælio aduersus infideles cæsus occubuit.*

Exactissima demum notitia huius rei haberi potest ex libro, cui titulus est, *Suffraganei Colonienses, &c.* (Author est Ægidius Gelenius, scriptis suis Clarissimus, vt constat ex approbatis censoris) impress. Coloniæ, anno 1641. Vb §. 32. fol. 44 habentur sequentia: *accidit non multò post hæc, anno 1193 B. Meinardo 1o. Liuoniæ Apostolo & Episcopo defuncto succederet et in Episcopatum Bertoldus Luckensis, ex Ord. Cisterc. Abbas, sub Cælestino 3. consecratus ab Hartvvico Bremensi Archiepiscopo, vt habet Alb. Stadensis.* Et paulo post. fol sequenti, 45. *In hac Crucis prædicatione Bertholdus præter alios illustres Ordinis sui Viros, ex Saxonia & VVestphalia delectos, etiam Bernardum de Lippa, quondam comitem, nunc Marienfeldensem Religiosum, adhibuit, qui hac occasione, Coloniam Monachorum è Marienfeldensi Cœnobio in VVad. ubari Liuoniæ deducēs, veluti filiam à matre, Marienfeld appellauit, vbi etiam Abbas constitutus est vt constat ex Chron. Lauterberg, & Marienfeldensi.* Hæc ibi. Porrò, Monasterij de Marienfeld, siue Campi B. Mariæ, meminerunt omnes Chronologiæ nostræ, eiusque fundationem referunt Iongelinus & Ditmarus supra, cum Gelenio iam citato. Sed de his satis. Nunc ad Iulianam redeamus. Itaque,

10. Obijcit mihi, quod in Bibliothecâ meâ non citauerim codicem antiquum M. S. Abbatiæ Villariensis, quem tamen antea in priuatis litteris citaueram. Sed

Respondeo, me in publicis meis scriptis nullos citare Authores aut codices, quos ipse non legi, saltem per viros quosdam doctos, & fide dignissimos: Codex autem ille Villariensis continens vitam B. Iulianæ, tunc facilè biennio antè clanculum ex monasterio sublatus eatenus reperiri nequiuerat, vt litteris suis certiorē me fecit, Venerabilis illius loci Prior, D. Seruatius Gillet; quem proindè librum tunc legere non poteram. Modò tamen repertum, aliquandiu apud me habui, reperique Authorem non referre cuius fuerit Ordinis, estque eadem vita, quam edidit R. Pater Fisen.

11. Possessionem nostram immemorabilem tot grauissimorum Authorum testimonijs confirmatam, per hoc impugnat, quod (vt ait) Benedictini fuerint in possessione cuiusdam B. Lucæ Abbatis Ordinis Præmonstratensis, quem Trithemius Benedictinum fuisse scripsit: Et Cistercienses in possessione diuersarum Personarum aliorum Ordinum, quos Chrysostomus Henriquez nostris adscripserat in suo Menologio, & nihilominus, vtrique nunc ex suâ possessione sunt detrusi.

Ad quod, Respondeo, sicuti vna Hirundo non facit Ver; sic nec vnus Scriptor statim inducit possessionem; sed authoritates & rationes conuincentes. Vndè, negamus nos vnquam fuisse in possessione illarum Personarum quos Hēriquez ex alijs Ordinibus nostris adscripsit; quià alij ipsum subsecuti Historici, has omnes personas ad propria remiserunt, pro vt & ego feci in primâ editione huius Bibliothecæ, &

modò iterum facio. Sed nec Dominus de Waghenaere vnquam B. Iulianæ possessionem suis conciliabit, nisi antiquiora testimonia, aut rationes magis solidas produxerit, quod nunquam præstabit. Atque eadem est ratio, de diuersis aliis personis Religione & vitæ sanctimonia claris, quas in suo *Sancto Norberto* supra relato, sine vllo prorsus fundamento, nobis detractos, Præmonstratensibus suis adscripsit, prout alia commoditate fusius demonstrabimus.

12. Tandem sic concludit: dico ergo, Beatam Iulianam fuisse Præmonstratensem, & Cornelium inferius, in qua habitauit, fuisse Præmonstratense.

Verum, æqui & prudentis quoque iudicio relinquo, utrum simplex ipsius dicere, *sine vlla prorsus authoritate, aut ratione conuincente*, præferri debeat authoritati tot grauissimorum Scriptorum totius Europæ, quos suprà magno numero citaui, præter illos quos indies adhuc detego, inter quos sunt, *Laurentius Beyerlinck*, in magno Theatro vitæ humanæ, tomo 6. lit. P. tit. de Beatis ac Venerabilibus ex Ordine Cisterciensi, fol. 217. *Ægidius Monin*, Soc. Iesu in Sacrario Leodiensi, anno 1618. Leodij edito in tabella expansa, typis Ioan. Auwerc.

Philippus L'Abbe, eiusdem Societatis, in suo Diurnali historico edito Parisiis anno 1650, gallicè, in 8. Et *Balduinus Iunius*, Ord. S. Francisci in Chronico suo morali, anno 1622. Coloniæ impresso, ad annum Christi 1257. agens de B. Iuliana Corneliensi, sic ait: *Beata Iuliana Corneliensis, Virginibus instituti Cisterciensis in Cornelio monte, ad muros Vrbis Leodiensis, præfuit*, &c. Et post pauca: *Huius etiam Iulianæ hortatu, Ioannes Ordinis Cisterciensis monachus, in Cornelio monte Deo seruiens, de Venerabili Sacramento, officium ecclesiasticum proprium, cuius hoc est exordium, Animarum cibus, &c. concinnauit.* &c, dixi, *sine vlla authoritate*, quia, tametsi forte iam aliqui Præmonstratenses, vilis rationibus Domini de Waghenaere, & non meis responsis, ipsi consentiant; illorum Authoritas hic nulla est, vtpote in propria causa. Plures tamen Viri Doctissimi istius Ordinis, hic de re interroganti, candidè confessi sunt, Dominum de Waghenaere non esse fundatum, & Iulianam nunquam fuisse monialem Præmonstratensem. Inprimis, R.mus Dominus Chrysostomus van der Sterre, Abbas Sancti Michaëlis Antuerpiæ, Vir in antiquitatibus Ordinis sui versatissimus, nullique secundus, à Domino de Waghenaere super hoc consultus, speciali rescripto, diuersis rationibus firmato, & ad ipsum D. de Waghenaere transmisso, clarè demonstrauit Iulianam non fuisse Præmonstratensem; prout mihi sincerè retulerunt, diuersi Religiosi ipsius Abbatiæ S. Nicolai Furnensis.

2. Iam à biennio aut circiter Reu. Prior Diligemensis hic Brugis in Dunensi nostro Cœnobio, à me interrogatus, ingenuè etiam fassus est Iulianam nunquam fuisse Præmonstratensem: Addens, Iacobum quoque Marchantium expresse testari illam fuisse Cisterciensem.

3. R. D. Amandus Fabius, Religiosus Ninouensis, vir vndequaque doctissimus (quem etiam D. de Waghenaere illustribus Ordinis sui Scriptoribus meritò adnumerat) hoc anno 1654. 14. Iulij, vnà cum Subpriore sui Cœnobij, in monasterio nostro Dunensi hospes, præsentibus R.do D. Abbate nostro, D. Priore Vlierbecano, me Priore Dunensi, & duobus alijs Religiosis, absolutè quoque testatus est, Dominū de Waghenaere non esse fundatum, & Iulianam nunquā fuisse Præmonstratensem: Id quod etiam confirmabat collega ipsius D. Subprior Ninouensis, vir quoque solidè doctus! licet putarent, etiam non fuisse Cisterciensem. Quinimò, ipsemet Religiosi Montis

Corne-

Cornelij superioris, siue (vt nunc vocantur) Belli reditus, *Beau Repairt*, visis & discussis rationibus Domini de VVaghenaere, in consessu plurium eruditorum, Leodij, tandem ex archiuis M. SS. ex coniecturis, opinionibus, & sententijs, definierunt, B. Iulianam non fuisse Præmonstratensem Religiosam, nec deprehendi posse illam vnquam alio nomine aut titulo ipsis fuisse cognitam, nisi, familiaris. Hæc, ipsemet D. de VVaghenaere mihi intimauit, specialibus litteris, de datâ, 27. Aprilis, 1650. quas in maiorem confirmationem, ex integro hic reddam. Inscriptio.

Reuerendo Adm. Domino, D. Carolo de Visch, Abbatiæ Dunensis Priori vigilantissimo. Brugis.

Reuerende Admodum Domine Prior,

Quod alias solummodò ex parte, nunc totum Leodio acceptum, ipsissimis verbis Reuerentiæ Vestræ refero, ne vnum dumtaxat sine vlla ratione, aut solenni authoritate audijsse me dicar. Hunc in modum, Confratrum nostrorum Furnensium Heglessemij non procul Leodio, pro tempore, degens, 14. Ianuarij huius currentis anni, ad me scripsit. Oblata sunt Reuerendo Domino Priori Belli reditus, & quidem in scriptis, rationes dubiorum de eadem B. Iuliana, à Reuerentia Vestra concepta, mihique tam verbo quam litteris quondam tradita. Leodij discussa sunt in plurium eruditorum consessu: ex archiuis M. SS. ex coniecturis, ex opinionibus, sententijs, &c. agitata diu, tandemque in hunc sensum definita: Beatam Iulianam vtpotè nec Ordinis nostri, nec Cisterciensis Religiosam fuisse; sed Reclusam (les Euclos vocant Leodienses) habuitque ipsa domicilium ad pedem Montis Cornelij: Monasterium verò Ordinis nostri, in iugo Montis quondam situm erat; nec Beata Iuliana alio nomine aut titulo, Religiosis nostris cognita fuisse deprehenditur, nisi, familiaris, quales sæpè in necrologijs nostris visuntur. Notum tamen nihilominus est, habuisse olim Reclusas illas Patrem suum spiritualem, seu Confessarium, ex Religiosis nostris Montis Cornelij. Porrò, etiamnum eodem in loco, ad pedem scilicet montis, Sorores habitant viuentes ad normam B. Augustini, Leprosorum curam gerentes; vbi Leprosi dicti aluntur, curantur, estque locus per formam Xenodochij. &c.

Ecce ipsissima verba, quibus Reuerentia Vestra faciat quod placuerit, vti & ego.

Raptissimè, Furnis, 27. Aprilis, anno 1650. *F. Petrus de VVaghenaere.*

Ecce, quomodo, Viri doctissimi, ipsius etiam Montis Cornelij, excussis omnibus archiuis suis, idque in expresso super hoc habito concilio, nihil reperire potuerint, quo professionem Iulianæ in Ordine suo Præmonstratensi colligerent; proindèque concludant, & candidè fateantur, non fuisse Monialem sui Ordinis, contra Dominum de VVaghenaere. Et licet quoque asserant, ipsam non fuisse etiam Monialem Ordinis nostri, cum pro hoc nullam rationem aut authoritatem producant, nobis non obsunt: Vndè, benignè ijs ignoscendam, tanquam in Ordinis nostri Historijs non versatis. At verò, dum affirmant illam fuisse dumtaxat inclusam quandam, excusari non possunt, cum ex vitâ ipsius nimis clare constet, eam fuisse Monialem, in congregatione viuentem, imò & Congregationi præfectam: vt notarunt omnes qui hactenus de illâ scripserunt. Nec obstat, quod legatur habuisse Oratorium priuatum; quia ordinarium est (saltē in Ordine nostro) vt Abbates & Abbatissæ domestica sua habeant Oratoria, seu Sacella. Similiter, quod addunt, illam fuisse Ordinis sui familiarem, & habuisse Confessarios Præmonstratenses, nullâ vnquam vel probabili ratione, aut authoritate demonstrabunt; vt superius satis declarauimus: Nisi forte, nomen, familiaris, late sumant, quomodò & ego multis ipsorum familiaris sum, & ipsi etiam nobis, licet simus diuersi Ordinis. Atque his, rursus solutæ manent rationes omnes à D. de

VVaghenaere in suo *Norberto*, suprà citato, contra nos productæ. Occurrendum tamen nunc etiam duxi, tribus alijs dubijs, quæ fortè aliquandò obijci poterunt, nimirum, 1. quoad Officium de Ven. Sacramento à Ioanne Corneliensi compositum, vt suprà vidimus, quod dicitur, Leodij, & alijs in locis adhuc reperiri, sed vbique compositum more Romano, cum nouem tantum Lectionibus; cum tamen Cistercienses, iuxta Regulam S. Benedicti, habeant semper Lectiones duodecim. Ad quod, Respondeo, Officium hoc, statim vt compositum fuit, accommodatum fuisse vsui Romano, ad petitionem Roberti Leodiensis Episcopi, qui (*vt refertur cap. 12. lib. 2. Vitæ ipsius Iulianæ*) mox conscribi fecit viginti exemplaria, quæ posteà per totam diœcesim distribui fecit. Id quod fieri potuit sine vllâ ferè Officij alteratione, nimirum, contrahendo duodecim lectiones, in nouem, cum omissione trium responsionum. Id, siue ab authore ipso factum fuerit, siue ab alio, officium non censetur mutasse vt dici deberet aliud officium. Quomodò & nos modo dicimur recitare Officium à S. Thomâ Aquinate compositum, tametsi illud recitemus cum 12. Lectionibus, & Romani solum habeant nouem, pro vt nimirum ab ipso S. Thomâ sunt distinctæ. Imo, quandoquidem (vt apparet, & communiter Authores censent) paucis annis post egressum Iulianæ, in Cornelium inferius introductæ fuerint Moniales Augustinianæ, quæ adhuc ibidem degunt, & officium habent Romanum, mirum non est, ibidem etiam nullum reperiri Officium nisi Romano vsui accommodatum.

2. Dubium peti potest, ex cap. 42. vitæ memoratæ, suprà, vbi habetur, Iulianam gestasse velum album, nec voluisse induere nigrum, quantumuis rogatam; cum tamen Moniales Cistercienses gestent velum nigrum (*hoc dubium magis fauet Patri Fisen, quam D. de VVaghenaere, quia etiam Moniales Premonstratenses gestant velum nigrum.*) Ad quod,

Respondeo, valdè probabile esse, Monachos Cistercienses olim gestasse vela alba, & non nigra, quodque etiam Monachi incesserint omnino albi, vel grisei: quia sic fuisse et & confirmat Vniuersa Congregatio Fulensis (quæ est strictioris obseruantiæ Ordinis Cisterciensis, Viris doctissimis & sanctissimis referta) cuius professores, in vestimentis suis reiecto prorsus omni colore nigro, nihil nisi album gestant, edità de hoc speciali constitutione, pro vt videre est in libro Constitutionum ipsius Congregationis, à Clemente 8. Pontifice approbato, & anno 1595. Romæ impresso, cap. 5. Quo facto se obseruare dicunt, antiquum Ordinis colorem, sicuti à Beatâ Virgine olim tam Monialibus quam Monachis traditus fuit. Vide de hoc etiam Manriquez, tomo 1. Annal. Cisterc. ad ann. 1103. cap. 2. nu. 4. Et licet alij quidam Authores contrarium sentiant, nihil tamen convincens adferre possunt; adeo vt ex colore vestium nostrarum, nullum formari possit solidum argumentum: cum certum sit, habitum sæpius in Ordine fuisse mutatum, vt benè ostendit Manriquez, ad annum citatum, cap. 1. & 2. & quotidiana adhuc praxis docet, maximè in Germaniâ, & alijs quibusdam Prouincijs. vbi licet frequentissima sint Ordinis Monasteria, pauca tamen sunt, quæ in vestibus conueniant, certè, habitaui ego in duobus, nimirum, in Veteri Monte, Diœc. Colon. & in Eberbaco, Diœc. Moguntinæ, in priore, quotidiè albis vtebamur cucullis, vsque ad Sextas, à Sextis autem reliquo diei tempore, nigris. In posteriore vero Monasterio, semper vtebamur nigris, à mane vsque ad vesperam, exceptis Festiuitatibus B. Virginis, & præcipuis anni solennitatibus, quibus solis vtebamur albis. Imò, foras pro-

centes, etiam tunicas nigras assumebamus, adeò vt non distingueremur à Benedictinis nigris. Sed & in Registro sacrarum Ædium Regni Angliæ, Henrico 8. exhibito, frequenter reperire est, Cistercienses Albos, & nigros. Insuper, in antiquis Historijs, Monachi Cistercienses passim vocantur, Monachi grisei, quia griseis vtebantur vestibus. Ex quibus omnibus, rectè inferes, ex albo velo Iulianæ, non posse concludi, illam non fuisse Cisterciensem. Quare, efficaciora argumenta producere debebit, qui eandem Virginem Cisterciensibus volet subtrahere: quod nunquam futurum credimus.

3. Et præcipuum dubium, oritur ex formâ Professionis Sanctimonialium Corneliensium, tempore Iulianæ, quâ (vt dicitur) promittebant obedientiam Priori, ad ipsius discretionem, secundum Regulam S. Augustini; quam formam Robertus Leodiensis Episcopus approbauit, dato speciali diplomate, anno 1242. expedito, quâ præcipit vt inposterum ita voueant, &c. quod diploma producitur. Ad quod,

Respondetur, si certo constaret, omnia hæc ita se habere, certum quoque esset, Moniales illas nec fuisse Præmonstratenses, nec Cistercienses, quia vterque Ordo, tunc ferè à centum annis, aut circiter, exemptus fuerat à Iurisdictione Episcoporum, qui proindè non poterant in horum Ordinum Monasterijs ordinare formas professionis. Nec etiam talis forma vnquam in vsu fuit in Ordine Præmonstratensi, vt viri docti illius Ordinis mihi certificarunt quare, necessario dicendum est, diploma hoc non esse Authenticum, ideoque nihil conuincere; aut si probari possit esse authenticum, Moniales illas fuisse pleno iure subiectas Episcopo, & renerà, tales, quales fuisse contendit Pater Fisen: quod tamen est contra torrentem omnium doctorum, vt supra vidimus. Vt, vt sit, nihil hic pro Domino de VVaghenaere, aut Præmonstratensibus. Imo sufficienter ex vitâ Iulianæ colligitur, ipsam nunquam talem obedientiam vouisse suo Priori, vtpotè, quæ (vt etiam diximus) nunquam voluerit Priori dare monumenta Cœnobij, sed ea tanquam Superior apud se reseruauerit: cæterum, si quæ instrumenta proferantur expedita post decessum Iulianæ à Cornelio monte, hoc est, post annum 1247. nihil contra nos faciunt; quia paulò post hunc annum, introductæ fuerunt Moniales Augustinianæ, vt Authores passim referunt, illæ autem Episcopis subfuerunt, & ad beneplacitum eorum gubernatæ.

Ioannes Crasbequius, Arscotanus (quod Brabantiæ oppidum est, Ducatus titulo illustre) S. Theologiæ Baccalaureus Louaniensis, monasticen professus est in cœnobio B. Mariæ loci S. Bernardi ad Scaldim, mille circiter passibus Antuerpià distante. Vndè ob excellentem eruditionis claritatem, Villarium euocatus, diu theologiam ibidem religiosis prælegit, donec ad propriam reuocatus monasterium, Prioris officio honoratus fuit, quo etiam valdè laudabiliter perfunctus est. Fuit & Confessarius monialium in *Linter*; Scripsit *doctum Commentarium in Regulam Sancti Benedicti*. Duaci anno 1624. impressum, apud Petrum Auroy, in 8°.

Reliquit & *Commentarios in diuersos Sacræ Scripturæ Libros*.

Item, *in aliquos tractatus Summæ Diui Thomæ*. Ex relatione admodum Reuerendi Domini Iudoci Gillis, eiusdem Loci tunc Prioris, S. Theol. Licenciati nunc vero Abbatis, & Vicarius Generalis Ordinis per Belgium. Obijt Craelbequius anno 1610.

Ioannes Currificis, vulgo, *Waeghemaeckers*, Canonicus primum Regularis, deindè monachus ordinis Cisterciensis in Villario Brabantiæ, ac demum Confessarius monialium eiusdem ordinis in monasterio de Marts; scripsit *Tractatum*

de:

de vitio proprietatis, Parisijs editum typis Marneffij, cum alijs similis argumenti Libellis, hoc initio : *Sicut modicum fermenti totam massam*, &c.

Librum item de reformatione Regularium.

Porro huius viri præclaras virtutes, & doctrinam, breuiter complexus est Dominus Paulus Vasseur, religiosus Sancti Bernardi ad Scaldim, in elogio quodam, quod misit admodum Reuerendo Patri Henrico van der Heyden, Villariensi Abbati; & refertur ab Henriquez in Menologio, 10. Maij, quo die Ioannem hunc Sanctis ordinis nostri adscripsit.

Ioannes Ebirbacensis, in Moguntinâ Diœcesi religiosus, varia ingenij ac doctrinæ suæ monumenta posteris reliquit, ex quibus Ebirbaci adhuc vidi

Tractatum insignem super Missus est. Et, *Expositionem in euangelium, Loquente Iesu ad turbas*, &c.

Item, *In Psalmum* 50. *Miserere* &c. Et,

In psalmum 103. Floruit circa annum 1370.

Ioannes Faber, monachus Ordinis Cisterc. Scripsit, *contra Proprietarios.* cuius initium est: sicut modicum fermenti &c. *Bunderus*, lit F. n. 179. vbi dicit se scriptum hoc vidisse apud Cruciferos Hoyenses, & wilhelmitas in Peene.

Ioannes Farinart, religiosus Camberonensis, S. Theol. Doctor Duacensis; dein Prior & Lector monasterij sui, conscripsit & religiosus prælegit, *Librum de statu religioso*, in plures distinctiones diuisum. Opus præclarum, & prælo dignissimum; in quo plurima subtiliter pertractantur, quæ vix alibi reperiuntur, maximè ordinem Cistercienſem concernentia. Extat M. S. in Camberona, & etiam apud me. Scripsit & libellum insignem,

De institutione nouitiorum, quem inscripsit, *Manus nouitiorum*, M. S. Camberonæ. Fuit autem Ioannes anno 1613. creatus Abbas [illegible] beronensis, ac postmodum etiam V[illegible] neralis ordinis Cisterc. per Belgic[illegible] ensem ditiones: obijtque anno 1635. C[illegible] des insigni panegyrico prosecutus est R. D. Ioannes Coene, ipsius successor de q[illegible]

Ioannes Fogus, Monachus Cisterc[illegible] tione Scotus, S. T. Doctor, eiusdemque celebris Professor, Paulum Cran, Bohemum [illegible] re, hæresim wicleffianam & Hussi [illegible] Scotia, ac maximè in Academia S. Andreæ, [illegible] minate incipientem, sæpius oppugnans, ita confudit & conuicit, vt cum posteà examinatus resipiscere nollet, igni adiudicatus fuerit, ipsius etiam Regis, Iacobi 3. Iudicio; qui Rex, ad petitionem Episcopi S. Andreæ, Ioannem nostrum mox etiam Melrosensem constituit, Abbatem. Scripsit autem Ioannes,

Pauli Cran, Bohemi, examen.lib.1.

De Erroribus wicleffistarum. lib.1.

De Confeßione Auriculari lib 1.

Floruit ab anno, 1450 vsque ad ann. 1470.

Hector Boëthius, lib. 17. Historiæ Scotorum pag. 352. Thomas Demsterus, histor. G[illegible] Scotorum, n. 642. Et Iongelinus, in n[illegible] Abbatiarum de Abbatia Melrosensi.

Ioannes Fordon, seu, *de Forda*, primum [illegible]chus, ac deinde Abbas Fordensis cœno[illegible] Angliâ, sacris & prophanis scientijs [illegible] doctus; & vitæ sanctimonia clarissimus, quem propterea Ioannes Angliæ Rex, à sacris sibi voluit esse confessionibus. Ioannes Lel[illegible] eius mentionem faciens, conqueritur, non p[illegible] doctissimis eius scriptis perijsse, tame[illegible] plurima ipse adhuc repererit; nimirum,

In Cantica Canticorum, à loco in [illegible] tus de Hoilandiâ desijt, id est, *D*[illegible] *homilias centum & 20.* Quod opu[illegible] *quis me temeritatis*, &c.

Introductorium Threnorum, lib. 1. Inc[illegible]

nem hered.tate possiderunt, &c.

In ipsos Threnos Hieremiæ, librum alterum. Inc. *Quomodo sedet sola*, &c.

Expositiones in Hieremiam.

Lectionum ordinariarum, lib. vnum.

De triplici cruce, lib. vnum, Inc. *Vetus homo noster*, &c.

Sermonum duodecim, lib. 1.

De contemptoribus mundi, lib. 1.

Vitam Sancti Wulfrici presbyteri: Reuerendo Patri ac Domino Bartholomæo.

Acta Ioannis Regis angliæ, lib. 1.

Scotiæ chronicon, cuius initium: *Debitor sum, fateor*, &c. Extat M S. Cantabrigiæ, in collegio Sancti Benedicti. *Opusculorum librum vnum.* Demsterus fatetur se hoc opere plurimum fuisse adiutum, illudque impense laudat, lib. de Scriptoribus Scotiæ, n. 543.

Vide de hoc etiam Ioannem Pitsæum, & Balæum de Scriptoribus Angliæ, ex Lelando. Claruit circa annum 1210.

Ioannes Foucard senior, Abbas 32. Beatæ Mariæ de Laude, in Flandriâ, S. Theol. Baccalaureus, scripsit

Breuem expositionem psalmorum.

Redegit & in compendia diuersa præclara opera, nominatim *Concordiam euangelicam Cornelij Iansenij*:

Commentaria Guillielmi Estij in epistolas Pauli. Et

Summam Toleti, de casibus conscientiæ.

Seruantur hæc omnia manuscripta in Laude, 3. voluminibus in folio, & 2. in 4°. Ant. Sanderus tom. 2. bibliothecæ Belgicæ M.S. Obijt à paucis annis.

Ioannes de Franciogia, de Abbatis Villa, ex monacho Ord. Cisterc. & S. Theologiæ Doctore, Episcopus Bisuntinus, & S. E. R. Cardinalis, scribitur à Syluestro Maurolico (lib. 2. Maris oceani) Author cuiusdam *Commentarij in Cantica Canticorum.* Sed fallitur, confundens hunc Ioannem nostrum cum Ioanne Hilgrino (Algrinum vocat Miræus in scholis ad Henricum Gandauensem, cap. 38.) de Abbatisvilla, Cardinale, & Episcopo Bisuntino 62.

In quem errorem lapsus est etiam Arnoldus de Wion. Certè Commentarium hunc sub Algrini nomine impressum vidi Parisijs, anno 1521. per Badium, una cum Comment. Thomæ Cisterciensis, Porrò Algrini Comment. incipit: *In principio igitur huius Cantici, mater loquens introducitur &c.* Exponitur Canticum, de Christo, & B. Virgine. Cæterum Nomenclator Cardinalium Scriptorum, hunc Ioannem nostrum *scripsisse & luce donasse dicit. Libros duos Sermonum de tempore, & totidem de Sanctis*, & obijsse circa annum 1240. sub Greg. 9. At Ferdinandus Vghellus, in Romanis antiquitatibus versatissimus, tom. 1. Italiæ Sacræ, de Episcopis agens Portuensibus, fol. 158. & 159 ex Regestis Vaticanis, contendit probare, nullum vnquam extitisse Ioannem de Franciog a, Episcopum Bisuntinum, & posteà Cardinalem, ex Ordine Cisterciensi, nihilominus, quia tot illustres Scriptores, tam Angli quam Galli, huius Ioannis meminerunt crediderim illum omnino extitisse, non tamen fuisse Episcopum 65. vt refert Eyssletius, sed 63 immediatè scilicet post Ioannem Algrinum anno 1229. quo Algrinum obijsse plures scribunt, & adstruunt etiam diplomata data à Nicolao, 163. Episcopo, annis immediatè sequentibus sc 1230. 1231 &c apud Eyssletium in sua Vesontione, suprà, verum quia Ioannes noster paucis mensibus præfuit Bisuntinis, a Gregorio 9. creatus Cardinalis S. Sabinæ, fit, vt à pluribus Authoribus catalogo Episcoporum non adscribatur, ab alijs verò confundatur cū suo Prædecessore vt iam vidimus; adeo vt Nicolaus, vulgo censeatur 63. Episcopus. Atq; hinc, verificari potest, quod No-

men

menclator, suprà, dicit illum obijsse, circa ann. 1240. sub Gregorio 9. Cui anno 1244. ab Innocentio 4. in Cardinalatu substitutus fuit Ioannes de Toleto, Anglus, ex Ordine quoque Cisterciensi assumptus, qui proindè etiam à nonnullis confunditur cum Ioanne de Franciogiâ, Prædecessore suo. Imò ipse Iongelinus in suâ Purpurâ, tametsi verbis & rationibus ostendat hos esse diuersos, reipsa tamen illos confundit, quæ res gestas unius attribuit alteri, & è contrà sibi ipsi contrarius.

Ioannes à Sancto Francisco, cognominatus, in saculo Gulonius, (Nicolai Gulonij, græcarum litterarum Regij olim Lutetiæ Professoris filius) græcè & ipse doctissimus, Ordinem Cisterciensem in Congregatione Fuliensium, professus, tanto mox cœpit prudentiæ & virtutum splendore coruscare, vt post diuersorum cænobiorum præfecturas laudabiliter obitas, ad totius Congregationis regimen euectus fuerit, in quo vt sese gesserit, fidem facit eiusdem elogium, quod legitur ad calcem. *Operum Sancti Dionysij Areopagita, secunda translationis, ab ipso ex Graeco in Gallicum idioma translatorum*; impressorum verò Parisijs, in 4. anno 1629 per Nicolaum Baon, & Adrianum Taupinaert. Vndè mutuatum, placuit etiam hic adscribere:

Ioannis Gulonij
Elogium.

Inter Gallos doctrina illustres, Ioannes Gulonius annumerari meretur, quem Nicolaus Pater (Ioannis aurati gener, ac in regiá Graca lingua professione successor) singulari natura bonitate praditum adolescentem, non vulgariter & adeò felici successu instituit, vt ab Academia Parisiensis curatoribus dignissimus sit iudicatus, qui sublato e viuis Parente, literariam eius professionem susciperet; sed in Fratrem se Minorem, muneris istius functionem paternâ pietate transmisit. Foro iam assuetus, vbi celeberrimos inter iuris consultos tunc temporis eminere posset, mutato de repentè consilio, secreto quodam impulsu, asietica vita secessum appetens, sodalibus se Fuliensibus adiunxit; apud quos in perpetua iam à primis tyrocinij annis prafectura vixit, postremò verò, ad Magisterium eius Sodalitij, summam scilicet huius Ordinis regendi curam euectus est; ac dum istius muneris obeundi causa Roma ageret, Vrbano 8. Pontifici maximo innotuit, cui ob variam perfectamque eruditionem, fuit acceptissimus: in Patria autem, bonis ac litteratis omnibus carus; quorū & elogijs certatim ornatus est, sed Aula prasertim nostra Proceribus virtutis nomine gratiosus, ac familiaris vixit. Et si verò maior apud omnes fuerit suaui consuetudine vita & vsu, litterarum tamen etiam monumentis inclaruit. In medijs etenim grauissimisque monasteriorum prafecturarum occupationibus (mirabilem ingenij vbertatem sortitus) multa elegantissimè, patrio prasertim sermone composuit; sed eius pracipua in Gracis ornatissimè ac magna fide conuertendis laus fuit.

Nicolai Patris versionem librorum S. Gregorij, Nysseni contra Eunomium, recensuit, atque ipsius Gregorij editionem recognouit.

Viri clari Nicolai Fabri, vita sanctitatem oratione funebri celebrauit.

Vir fuit in rebus agendis summa prudentia, in omnis generis libris censendis acerrimi iudicij, acuti & sagacis ingenij, oris ac statura decore prastans, canitie venerabilis, vt seniorem quam erat, ex vultu suspicarere, moribus candidissimis, ac Patria amantissimus. Nec sublimiorem modo philosophiam, verum & omnes ferè disciplinas animo & studio complexus est. At, quod dolendum, exacto dignitatis suprema quam inter suos gesserat, sexennalis tempore, cum successori Consiliarius pracipuus, & Assessor adhareret, & in eius muneris administratione otio maiore liberior ac solutior, qua iam animo praconceperat quamplurima (tantâ erat in scribendo facilitate) publico daturus speraretur, ipso fere fama mirifice succrescentis momento, vehementis febris cum lateris dolore continuis astibus iactatum, vndecimo à natali Christi die, quo post peractam ... mors

more, nocturnam liturgiam letales dolores præsensit, immaturo fato, quinquaginta quatuor tantum annos natum, nobis eripuit. Tranquillè & constanter, vti philosophum Christianum, plurimque Archimandritam decuit, felicem animam inter suorum permixtas precibus lacrymas, Deo reddidit. Quum Sancti *Dionysij diuinis operibus Gallico sermone reddendis, stylum primò exercuerat, in ijsdem post vigesimum, & amplius, à primâ, annum, noua versione illustrandis, scribere desijt, eorum editioni immortuus. Corpus defuncti in odeo B. Bernardi ad portam honorianam suburbanæ ædis conditum est, Epiphaniorum die solenni, Magnatibus aliquot ac quamplurimis amicorum ex Vrbe, postremò illum visuris, ad funus accurrentibus; ijsdem amicum amissum, vniuersis autem Cœnobij Monachis Patrem acerba morte præmissum mærentibus: Lutetiæ Parisiorum, anno huius sæculi vigesimo nono.* Hactenus ibi. Porrò,

Notandum est, Ioannem nostrum *bis transtulisse Opera S. Dionysij Areopagitæ ex Græco in Gallicum.* Ex quibus, prima translatio impressa fuit anno 1608. Parisijs, typis Ioannis de Heuqueville; secunda vero editio prodijt anno 1629. apud Adrianum Taupinart cui Author ipse immortuus est; & iterum posteà anno 1642. typis Nicolai Buon, *vnà etiam cum Apologia pro ijsdem operibus S. Dionysij, per hunc eundem authorem conscripta.* Fuit autem hæc vltima translatio tam exacta & sublimis, tam quoad sensum & translationis fidelitatem, quam quoad styli & linguæ Gallicæ nitorem, vt doctissimos quosque in admirationem verterit, pro vt testatur is, qui (mortuo Authore) eam prælo subiecit, in præfatione operis; vbi pariter refert, Authorem dum viueret, proposuisse, absoluta iam impressione Operum S. Dionysij, prælo subijcere.

Volumen aliud, plenum doctissimis & rarissimis discursibus de modo philosophandi S. Dionysij, deque differentia, Philosophiæ antiquorum Philosophorum, ante tempora Constantini Magni, tam Ethnicorum quam Catholicorum, & modernorum. Item

De praxi disciplinæ ecclesiasticæ contenta in operibus Sancti Dionisij, de excellentia Theologiæ mysticæ, & alijs pluribus; Verum, intempestiuè superueniens mors, omnia hæc suppressit.

Transtulit autem etiam Ioannes noster, ex Græco in Gallicum, opera Epicteti Philosophi Stoici. Idque ad petitionem Reginæ Galliæ, vt fatetur ipse Henricus 4. Rex Galliæ, in priuilegio operi præfixo. Prodijt Parisijs anno 1609. typis Ioannis de Heuqueville, in 8.

Item *homilias Diui Basilij, super Exameron*, impressas Parisijs, anno 1616. apud Heuqueville, in 8.

Scripsit insuper, Gallicè, Res præclarè gestas, virtutesque eximias, Francisci de Sales, Episcopi Geneuæ, amplo volumine, in 6. libros digesto, aliquoties impresso Prodijt editio 2. Parisijs, anno 1625. apud Michaëlem Solly, & Ioannem Heuqueville in 8.

Item, *Contra librum de Vocatione Pastorum, Petri Molinæi, insignis nostri temporis Nouatoris.* Parisijs, 1620. in 8. apud Heuqueville.

Item, Tractatum huius tituli: *Consolation à vne damoiselle, sur la mort d'un sien fils vnique,* &c.

Item, *Exhortationem habitam in Congregatione Religiosorum, anno* 1615. cuius initium est: de quelque part que l'homme puisse ietter les ieux, en ce monde visible, &c.

Vterque hic tractatus reperitur impressus ad calcem *Orationis funebris Nicolai Fabri, seu, le febure* (cuius suprà meminimus) editionis tertiæ. Fuit autem hic Nicolaus le Febure, Consiliarius, & quondam Præceptor Ludouici 13. Regis Galliæ. Oratio hæc 1o. impressa fuit Parisijs anno 1612. in 8. apud Heuqueville 2o. 1616. apud eundem, addito Authoris nomine, quod in 1. editione deerat.

Habebat & alia, contra hæreticos parata

 prælo,

prœlo, quæ mors suppressit.

Credo etiam huius viri esse, librum gallicum, inscriptum: *Tableau de la Magdalaine, du Pere General des Fuliants.* A. Paris, 1628. in 8. Constat certè, hunc Ioannem adhuc fuisse Generalem anno 1627. ex libro Bartholomæi à Sancto Fausto, de horis Canonicis, huic tunc dedicato.

Ioannes Gallandi, religiosus Cisterciensis, S. Theol. Doctor Sorbonicus, à Philippo Seguino (in bibliotheca sua) Scriptoribus ordinis adnumeratur; quia iussu Reuerendissimi Cisterciensis Abbatis, *Breuiarium ordinis recognouit, & in multis locis emendauit.* Insuper, & *nonnulla alia scripsisse*, ibidem asserit, quæ tamen non specificat.

Ioannes de Galloni Fontibus, Abbas Caroli loci 20. Theologus percelebris, necnon & vitæ sanctimonia clarus; scribitur ab eodem Seguino, composuisse *doctissimam aliquam paginam, quæ dicitur de Cœlitibus super euangelium Lucæ: missus est Angelus Gabriel, &c.* Verum quænam sit illa celebris pagina, ego ignoro. Obiit anno 1337.

Ioannem Gillotium Campanum, Philippus Seguinus in Bibliotheca sua Scriptoribus Cisterciensibus adscribit, eumque Procuratorem fuisse asserit Collegij S. Bernardi Parisiis. Verum quia apud nullos alios Scriptores Ordinis huius reperio mentionem (cum tamen plurimis scriptis aliàs clarissimus sit) nec ipsemet se alicubi Religiosum appellet, credo Seguinum hic dormitasse, sicuti & alibi adhuc fecit. Nihilominus, quia de contrario nondum adhuc certus sum, in fide Seguini, illum hic adscribam. Fuit itaque, Gillotius, siue Gillotius, natiuitate Campanus, vir tam sacris, quam prophanis literis exquisitè doctus, & in iuuenibus formandis vigil assiduus: Trecis (antè religionis ingressum) multis annis iuuentutem docuit, non sine magna nominis sui gloria. Vbi inter alios, auditorem habuit magnum illum Edmundem à Cruce, diuinæ indolis, & præstantissimi ingenij iuuenem, postea vero Generalem clarissimum vniuersi Cisterciensis ordinis.

Transtulit ex Latino eloquio in Gallicum idioma, historiam Nicephori Xantapuli, eamque Carolo IX Francorum Regi dedicauit. *Traduxit quoque in patrium idioma, magnum Concilij Tridentini Catechismum.*

Edidit & *Annotationes in Diuum Hilarium*, quas Domino Philippo Beni, quondam vrbis Tricensis rerum priuatarum iudici æquissimo, consecrauit.

Opera etiam S. Gregorij, & opera S. Patris nostri Bernardi, recognouit & à plurimis mendis repurgata, nitori restituit, vt fidem facit Epistola ipsius liminaris, operibus S. Bernardi præfixa, ab ipso quidem scripta ad Exim. Dominum Guidonem Coruatium, *Vallis Claræ* Abbatem, sacræ paginæ Professorem; nunc autem in editionibus recentioribus (nominatim in Antuerpiensi, anni 1609. apud Keerbergium) Lectori beneuolo inscripta; quæ sic incipit: *Cum in pristinæ Gregorianæ restitutionis. annum integrum & plus eo versatus, totum opus euoluissem, assiduoque labore ad finem perduxissem; iterum quasi saxum Sisiphi deorsum lapsum repetens, sursumque reuoluens, in idem genus molestiarum delatus sum. Nam continuò manum admoui Diui Bernardi Claravallensis Abbatis operibus, & ea cum aliquot scriptis exemplaribus reuocare cœpi, vt si quid sese offerret quod percurrendo cuiquam oneri esset, legentemque retardare posset, leuigarem, quantumque in me esset, moras & impedimenta rejicerem* &c. Quid autem peculiare in his operibus præstiterit, prosequitur in corpore eiusdem epistolæ. In cuius etiam extremitate, *refert se aliquot annis laborasse in eruendis, & in lucem proferendis, aliis veterum scriptorum libris*, qui hactenus offusi tenebris, iacuerunt; vel in tollendis eorum mendis, quæ vel iniuria temporum, vel imprudentia irrepserant. Obiit

in

in collegio memorato Sancti Bernardi Parisijs, vbi sepultus iacet in sacello Sancti Ioannis Baptistæ. Cuius tumulo Reuerendissimus Edmundus à Cruce, sequens apponendum curauit epitaphium:

Gillotus, postquam docuit cum laude iuuentam,
Et plures patrio transtulit ore libros:
Impiger hic vbi res, opera studioque fideli
Procurat, Superis cadere doctus, obit.
Huic igitur precibus fratres orate salutem,
Tam bona qui vobis præstitit officia.
Debita pro merito dicat hæc monumenta magistro,
Discipulus gratus qui cupit esse suo.

Hæc omnia Seguinus.

Ioannes Gildardus, Anglus, humanioribus litteris probè institutus, monachum induit in Coggeshalēsi cœnobio, vbi mathematicis & arithmeticis studijs se totũ applicans, docta quædam opuscula conscripsit, quibus clarā meruit famam, vt testatur Lelandus, apud Pitsæum. Ex his autem operibus extant adhuc sequentia:

De rebus mathematicis, lib. 1.

De triplici modo computandi, lib. 1. Et id genus alia quædam, quæ Rudolpho Coggeshalensi inscripsit. Floruit circa annum 1250. Ex Pitsæo, de scriptoribus Angliæ.

Ioannes Greifensfels, Abbas Aulæ Regiæ, iuxta Pragam, vniuersi ordinis Cisterciensis per Bohemiam, Morauiam, Silesiam & Lusariam, Commissarius generalis, vir ad magna quæque natus, Patriā Pilsnensis, stirpe exortus Patritiā, cuius pater ob fidelem operam S. Cæsareæ Maiestati Ferdinando II. strenuè nauatam, ab eodem ad Equestrem ordinem sublimatus fuit. *Continuauit Monasterij sui chronicon, ab anno 13 o. vsque ad annum 1640.* Scripsit etiam *Fundationes aliorum plurimorum monasteriorum ordinis Cisterc. in Bohemiā, & alijs Prouinciis tam memoratis existentium. In quibus continentur permixtim plures genealogiæ virorum nobilium.* qui dictorum monasteriorum fuerunt Benefactores, aut in eisdem sepulti sunt. Extant hæc omnia typis expressa Coloniæ, in notitia Abbatiarum Gasparis Iongelini, anno 1640. quo tempore Author adhuc in viuis erat.

Ioannes Griffinus, Cambro Britannus, Halensis monasterij, in Comitatu Wigorniensi, religiosus concionator fuit disertissimus, cuius extat

Tomus vnus concionum æstiualium: sic inc. *Modicum & non videbitis me, &c.*

Tomus item alter concionum hyemalium, cuius initium est: *Cum appropinquasset Iesus Hierosolymam*, &c. Claruit maximè circa annum 1550. dum regalem Angliæ coronam gestaret Eduardus 6. Henrici 8 filius. Vide Ioannem Pitsæum, ætate 16. ad annum iam dictum.

Ioannes Gulonius. vid. suprà, *Ioannes à S. Francisco.*

Ioannes Guon, ex monacho Vallis Beatæ Mariæ, in Franciā, eiusdem domus Abbas, Academiæ Parisiorum Doctor Theologus, & collegij Sancti Bernardi Prouisor venerandus; vir suo tempore inter Theologos Sorbonicos celeberrimæ opinionis, rhetor & poëta insignis, ac monasticæ disciplinæ zelator strenuus,

Edidit versibus fluidis, *De Conceptione B. Mariæ Virginis, libros 3.*

De Natali Domini hymnum insignem. Varia carmina, de præsentia corporis in Eucharistia.

Carmine quoque descripsit, *Cameram (sanctimonialium monasterium ordinis nostri in Brabantia) à Geusijs Flandriæ hæreticis exustam.* Quod opusculum dicauit Reuerendissimo Edmundo à Cruce, Abbati Cistercij. Quæ omnia, vnà cum alijs aliquot carminibus de diuersis rebus, vulgata sunt Parisijs, ex typographia Ioannis Palant. Florebat Author anno 1589. apud Bernarditas. Ex Philippo Seguino, authori huic synchrono, & familiari, in bibliotheca sua Cisterciana.

Ioannes Heydenus, seu *Vander Heyde*, ab Auberto Miræo parte 2. Bibliothecæ Ecclesiasticæ, cap. 81. perhibetur fuisse, Flander. & Dunensis, ac *descripsisse Latinè Vrbem sanctam Hierusalem*, fusius quam eam descripsit Adamus Reisnerus. Francofurti anno 1562. Ego tamen in monumentis nostris Dunensibus, nullam huius viri mentionem reperio, adeòque, non credo fuisse Monachum: nihilominus, in totâ Flandriâ nullus extat vicus aut pagus alius, vndè cognominati possit Dunensis, præter Dunense nostrum Monasterium.

Ioannes Hurtadus, monasterij Ferrariensis in Castella monachus, in sacris litteris apprimè versatus, nec non & salutis animarum sitientissimus.

Edidit *Tomum vnum concionum de tempore, & de Sanctis, ab initio Aduentus, vsque ad Epiphaniam Domini*, impressum in 4°. Cæsar Augustæ, anno 1614.

Tomum item alterum concionum quadragesimalium, impressum Burgis anno 1620. apud Baptistam Varessium.

Henriquez in Phœnice.

Ioannes Knobelius, monachus Cæsareensis cœnobij, in Sueuia, vulgò Kaysersheym, vir pius & doctus, & in historicis apprimè versatus edidit *insigne chronicon monasterij sui*, illudque Abbati suo Conrado dedicauit; quod historicis illarum partium solet esse familiarissimum, præsertim Sueuiæ, & Bauariæ. Certè Gaspar Bruschius lib. de monasterijs Germaniæ, decuria 1. ingenuè fatetur illud sibi vsui fuisse. Vixit anno 1530. Vide etiam Iongelinum in notitiâ suâ, &c.

Ioannes de Lavardin, Abbas monasterij de Stellâ, (ordinis Cisterc. iuxta Barnabam de Montalbo,) edidit gallicè, *Librum quendam de cuiusdam Nobilis ad fidem Catholicam conuersione*, impressum Parisijs, per Guillielmum Chaudire, anno 1585. in 4.

Transtulit etiam ex græco in Gallicum, diuersos tractatus Gregorij Nazianzeni.

Item, *ex Latino Gallicum, tractatus aliquot Stanislai Hosij, & Guillielmi Lindani*; impressos omnes Parisijs, partim anno 1572. partim 1574. & 1579. Denique

Edidit & *Compendium Belli Iudaici*. Parisijs 1575. per Guillielmum Chaudiere.

Ex bibliotheca gallica Antonij du Verdier; qui tamen Author non exprimit hunc fuisse ordinis nostri; ideoque in fide solius Barnabæ de Montalbo, illum scriptoribus nostris adnumeraui, eo nonnihil confidentius, quod in antiquis catalogis monasteriorum Cisterciensium, tria reperiam monasteria eiusdem nominis, *Stellæ*.

Ioannes Lemouicensis, religiosus Claræuallensis, (vt habent plurimi quos vidi M.SS. codices) scripsit

Elucidarium declarationum religionis. Seruatur Camberonæ M.S. Vbi quoque habentur eiusdem Authoris *Epistolæ 6. notabiles*. Sanderus in bibl. Belgica M.S. parte 1.

Scripsit insuper, *De stylo dictatorio, lib. 1.* Habetur in monasterio de Dunis.

Item, *de Oculo morali, lib. 1.* Dunis & Camberonæ, M.S. Item in laude.

Denique, *Expositionem moralem somnij Pharaonis*, lib. 1. reperitur M.S. Dunis, Alnæ, in Valle S. Martini Louanij, & in cœnobio Lobiensi, sub hoc titulo: *Morale somniorum, ad Theobaldum, Nauarræ Regem, Campaniæ & Briæ Comitem*. Agit autem in hoc libro Author, de disciplina in Regum Palatijs seruanda, in gratiam Theobaldi Regis Nauarræ, &c.

Scripsit item, *Super Psalm. Beati immaculati &c.* cuius initium est: *Alleluia, laus & gloria*, &c. solebat extare Villarij.

Elucidarij vero eius de quo iam egimus, ini-

tium

tium est: *Religio est intelligentium documentum: &c.*

Scripsit prætereà, *super 4. Libros Sententiarum Commentaria docta, lib. 4.* quorum 1. sic incipit: quatuor circulos aureos pones, &c.

2. Sic. Secundus Angelus effudit phialam, &c.

3. Fuit Bellum, &c. Solebat hoc Opus seruari Bergis S. Winoci, teste Bunderio, in Indice libb. M. SS.

De futurorum præcognitione, cuius initium est: Vtrum futura ab homine cognoscantur? &c.

Denique, *Scripsit metro, salutationes pias ad Christum Saluatorem, eiusque quinque sacra vulnera, ad Sanctam crucem, B. Virginem, & S. Ioannem Euangelistam.* Quas salutationes nuper anno 1652. repertas in antiquo M. S. codice, mihi transmisit Vir clarissimus, Claudius Dotesinieulx, easque luce dignas iudicans, de verbo ad verbum hic apposui.

Prosa Fratris Ioannis Lemouicensis, Monachi Claravallensis.

Salutatio deuota ad imaginem Saluatoris.

Omnibus consideratis,
Paradisus voluptatis
Es Iesu pijssime.
In te, Fons paternitatis,
Omnes fructus suauitatis,
Plantauit plenissime.
Passionis tuæ fructus,
Et cruoris tui fluctus
Defluens largissimè,
Finem fecit nostri luctus,
Per hoc Infernus destructus,
Gemit amarissimè.

Ad Sanctam Crucem.

Triumphale lignum crucis,
Tu seductos nos reducis,
Ad superna gaudia,
Portas pandis veræ lucis,
Fauces claudis hostis trucis
Diuinâ potentiâ.
Te adoro propter illum
Qui per te gregem pusillum,
Reduxit in Patriam.
Confringens per hoc vexillum
Orci, vectes, & sigillum
Signans infernalia.

Ad Spineam Coronam:

Aue caput inclinatum,
Despectiuè coronatum,
Spinis infidelium.
Circumquaque cruentatum,
Mille locis perforatum,
Exemplar humilium.
O, Corona pretiosa,
Quam cruoris tinxit rosa
Plasmatoris omnium.
Per te fiat pretiosa
Mens humana, mens spinosa,
Declinans in vitium.

Ad vulnus dexteræ manus:

Salue vulnus dextræ manus,
Velut Philon riuus planus,
Miseris scaturiens.
Quod Iudæus inhumanus,
Inhonestus, & Insanus
Fodit, Deum nesciens.
Te honoro, te adoro,
Te requiro, te imploro,
Vt miser, & moriens.
Vt in contritorum choro,
In quo sperando laboro,
Nunquam sim deficiens.

Ad vulnus sinistræ manus:

Aue tu sinistra Christi,
Perforata quæ fuisti,
Clauo perdurissimo.

Velut

Velut Gyon effudisti
Vinum tuum quo lauisti
Nos à malo pessimo.
Te, ô vulnus, adoramus,
Tibi caput inclinamus,
Vt fonti dulcissimo.
Per te fiat vt vincamus
Hostes, & vt gaudeamus
In die nouissimo.

Ad vulnus lateris

O fons, aue Paradisi,
A quo quatuor diuisi
Dulces fluunt riuuli.
Per quem dæmones inuisi
Sunt confracti & elisi,
Ere flecti tremuli.
Dulce vulnus laterale,
Inter fontes, nullum tale
Nectar vnquam poculi.
Aue, salue, gaude, vale,
Contra venenum lethale,
Medicina populi.

Ad vulnus dexteri pedis:

Salue vulnus dextri pedis,
Tu cruoris riuum edis
Tygri comparabilis.
Per hunc riuum homo redis
Ad supernæ culmen sedis
Vbi pax est stabilis.
Per hoc vulnus, hoc foramen,
Fudit cruoris libamen,
Deus impassibilis.
Sit ergo mihi solamen
Istud vulnus, & leuamen,
Dum mors adest flebilis.

Ad vulnus sinistri pedis:

Leui pedis perforati
Aue vulnus, in quo pati
Deus homo voluit.
Comparandum es Euphrati,
Per te sumus liberati,
Nos quos vmbra tenuit.
Dulce vulnus, dulcis clauis,
Et cruoris dulcis fauus,
Per istud efferbuit.
Per te surgat ignauus,
Emendetur homo prauus,
In te spem non habuit.

Ad Beatam Mariam:

O Maria, plasma nati
Quæ vidisti natum pati,
Quis te dolor tenuit.
Non est hoc humani
Scire datum vlli vati,
Quia nemo potuit.
Præ dolore perforetur
Mea mens, & crucietur
Quæ dolorem meruit.
Ne in fine condemnetur
Sed per pænas emendetur,
Quia carni paruit.

Ad Sanctum Ioannem Euangelistam:

Ioannes Euangelista,
Tu Sacrarij Sacrista,
In quo Deus tacuit.
Me mundus fallit Sophista,
Per te mihi dentur ista,
Quæ mens supra voluit.
Obsecro te per hunc fletum,
Per dolorem, & per metum,
Quo cor tuum tremuit.
Dum videres Deum spretum,
Vt me ducas ad hunc cœtum,
Quem Christus eripuit.
Amen.

Codex M.S. ex quo hæc desumpta sunt, scriptus est in pergameno, in 8. solebatque spectare ad Cœnobium quoddam monialium Ordinis

...nostri, vnde delatus est ad Bibliothecam Nobilis Viri, Tusani De sbarbieus, equitis, Domini, d'espre z &c. quæ Bibliotheca ann. 1652 donata fuit Collegio Societatis Iesu, insulis Flandriæ, vbi nunc idem codex asseruatur, num. 148. Cæterum, Author hic in nonnullis codicibus M.SS. vocatur, Ioannes Liomensis, communiter tamen, Lemouicensis, vel Limouicensis; vnus tamen idemque est Author, quem etiam, ordinariè, codices antiqui vocant, Monachum Claræuallensem.

Ioannes de Lovanio, vid. *Ioannes Præcursor.*

Ioannes Lupus, monachus & Abbas monasterij de Moterolâ, in Hispania, S. Theol. Doctor celebris, eiusdemque per annos aliquot cum laude Professor: scripsit *varia de diuersis materijs*, ex quibus tamen nihil publicauit, præter *Priuilegiorum congregationis Hispanicæ tomum tertium*, Salmanticæ apud Susannam Munnoz, anno 1617. Henriquez in Phœnice.

Ioannes à Sancto Malachiâ, Religiosus Congregationis Fuliensium, natione Gallus, patriâ Burdigalensis, Scripsit Gallicè, *Librum de Miraculis B. Mariæ Virginis nuncupatæ, de Monderich.* Ratione cuius, Hippolytus Maracciusin Bibliothecâ suâ Marianâ, pag 791. illum adscripsit cæteris Scriptoribus Marianis.

Scripsit & *insignem tractatum de nouâ erectione basilicæ Fontanensis*: Quandò nimirum Castrum Fontanense, natali S. Bernardi illustre, conuersum fuit in Cœnobium Congregationis Fuliensium. Vide Henriquez, in Menologio, 20. Augusti.

Ioannes, cognomento, de Maserijs, religiosus cœnobij de charitate, S. Theol. Professor, & collegij S. Bernardi Parisijs Prouisor, & Rector, *Commentaria Dionisij Cisterciensis in 4. libros Sententiarum, recognouit, emendauit, & in lucem emisit*: quo titulo locum & ipse sortitus est in bibliotheca Seguini. Vixit circa annum 1511.

Ioannes à Sancto Martino, Monachus Fuliensis, edidit *Epitome Annalium sacrorum ab Orbe condito, ad ipsum Christi passione reparatum.* Impress. 1651. in 12.

Ioannes Mercator, Herbipolensis, religiosus Ebracensis (vulgò Ebrach) in Franconia, S. Theol. Doctor, eiusdemque per octennium in Vniuersitate Viennensi publicus Professor; deinde monasterij sui Abbas 23. Maximiliano Imperatori à sacris fuit confessionibus. *Scripta eius theologica, de diuersis materijs, extant in cœnobio Ebracensi, M.S.* Obijt anno 1489.

Ioannes Myreus, natione Campanus, Regalis montis Abbas 20. Vir doctrina fidei, virtute continentiæ, disciplina iustitiæ, morum grauitate & elegantia, ac multiplici eruditione adornatus; edidit (dum sacrorum Bibliorum esset Prælector in collegio Bernarditarum Parisijs) *Commentarios in Euangelium S. Ioannis*: qui manu illius scripti, asseruantur in Regali monte, teste Philippo Seguino in bibliotheca, vbi asserit se illos ibidem vidisse anno 1590. 7. die Iunij. Florebat Ioan. an. 145.. obijt verò 1490. Sepulturæ post obitum traditus ante aram maximam cœnobij sui.

Ioannes quidam, ordinis Cisterciensis monachus anonymus, scripsisse perhibetur *Librum, quem inscripsit, Defensorium iuris*; qui impressus Coloniæ extat in folio. Posseuinus in apparatu, Gesnerus, & Draudius in bibliothecis suis.

Ioannes monachus anonymus alius, Theologus Parisiensis, *scripsit in sententias* referente Syluestro maurolyco, Maris Oceani lib. 2.

Ioannes monachus anonymus 3. ordinis Cisterc. perhibetur (à Montalbo, parte 1. chronici, lib. 2. cap. 32.) scripsisse *Librum, de Laudibus Virginis Matris.* De hoc etiam Vincentius Bandellus, Dominicanus, tract. de Conceptione B. Virginis.

Ioannes Morea, *vulgò Moreau*, natione Gallus, patria Pontizarensis, Vallis Beatæ Mariæ monachus, ordinis nostri in partibus Italiæ Syndicus,&c. Vir sanè inter Doctores vniuersos,quos ordo vnquam habuit, specialiter celebrandus; orator eloquens, philosophus subtilis, theologus profundus, verbi Dei preco disertus, & in sacris litteris eximiè versatus erat: insuperque in rebus agendis dexteritate, & conuersationis gratia omnium rapiebat affectus.

Transmisit ad posteros, *Sermones varios de tempore, & Sanctis, præcipuisque solemnitatibus anni.* *Orationem item doctissimam in Laudem Sancti Bernardi; & alia quædam*; quorum tituli ad nos nondum delati fuerunt. Clarebat Romæ anno 1590. ex bibliotheca sæpiùs citata Seguini, qui Authorem nouit, eique conuixit.

Ioannes Mortin, Abbas Caroli loci, edidit *Libellum rituum ordinis.* Relatio Eximij Domini Iosephi Arnolfini de Illescas, S. Theologiæ Doctoris Sorbonici, anno 1647. ad me missa.

Ioannes Nublingus, Heydelbergensis Academiæ alumnus, & S. Theol. Professor eximius, Prior fuit Ebracensis, sub 23. Abbate, circa annum 1500. *Cuius extare adhuc quædam scripta, asserit Bruschius*, de monasterijs Germaniæ, centuria 1. Quæ tamen ipse non specificat, nec ego assequi potui.

Ioannes Pelletier, religiosus de Barbello, S. Theol. Doctor Parisiensis, Prior Regalis Montis: tum Prouisor collegij Sancti Bernardi, & Abbas Fulcardi Montis, *Conscripsit gallicè volumen ingens, De authoritate & praeminentijs Abbatis Cistercij*, sub hoc titulo: *Sommaire des remarques chronologiques, touchant la Superiorite, Praeminance, & Superiorité, du Reuerendissime Abbé de Cisteaux, Chef, & General de son ordre, dict de Cisteaux.* Quem quidem librum in varia sæcula distribuit: verum cum iam primum sæculum typis expressum esset, mors Authorem ex hac vita subtrahens, reliquas partes pariter suppressit, quæ manuscriptæ adhuc asseruantur in Fulcardi Monte. Obijt anno 1645. initio Iulij.

Ex relatione Eximiorum Dominorum, Claudij Chalemot, & Iosephi Arnolfini, S. Theol. Doctorum. Porrò, scripserat anteà *Libellum alium, de Regimine collegij Sancti Bernardi Parisijs*, ibidem typis expressum anno 1634. hunc præferentem titulum: *Brief estat du gouuernement du college des Bernardins à Paris*, &c. Sed ad hunc alium libellum reposuerunt religiosi ordinis nostri strictioris obseruantiæ, typis etiam expressum. Vtriusque exemplaria apud me habeo.

Ioannes Pignevrari, Boneffiensis monasterij in Comitatu Namurcensi religiosus, poëta insignis, edidit *librum Epigrammatum, in honorem Sanctorum, de quibus, secundum vsum ordinis Cisterciensis, festiuitates celebrantur.* Louanij typis Hastenij, anno 1624.

Ioannes du Fin, Theologus, Medicus, poëta & orator facundissimus, monasterij de Vaucellis, in Cameracesio, monachus, scripsit metro & prosa, anno à partu Virgineo, 1324. ætatis suæ 22. *Tractatum quem prænotauit. Mundam vitam* siue *Agrum virtutis bonæ vitæ*, 8. *libros complectentem*, &c. Impressus est Parisijs apud Michaëlem le Noir, in 8°.

Edidit insuper versibus Alexandrinis, *Opusculum quoddam, inscriptum*: *Euangelium Mulierum.* Claruit sub Philippo le Bel, & Philippo Valesio, Francorum Regibus, anno 1325. & posteà. Obijt autem in Episcopatu Leodiensi, & sepultus est in cœnobio Guillielmitarum, ann. 1372. Plures clarissimi scriptores in suis collectaneis huius meminerunt; videlicet, Ludouicus Guicardinus in descriptione Galliæ Belgicæ, Renatus Chopinus in Libro de sacra politiâ Forensi, fol. 468. Claudius Fauchet, senatus Parisiensis Præses; & Franciscus de la Croix, in Bibliothecâ gallicâ, Ex Seguino, suprà.

Ioannes Pistor, Abbas campi Principum (id est, Furstenfeldt) in Bauariâ, anno 1544. Augustæ Vindelicorum, publicauit insignem *Dialogum de Fato & Fortuna*, à se conscriptum. Est liber in 4. Miræus, parte 2. Bibliothecæ ecclesiasticæ, cap 66. Iongelinus, lib. 3. Notitiarum, in serie Abbatum Campi Principium, vocat hunc, Ioannem Albertum, asseritque fuisse Abbatem 14. & obijsse, anno 1547.

Ioannes Pistorius, Ordinis Cisterciensis, Monachus Caricampensis, in Attesiâ, Scripsit & publicauit, doctam quandam *Orationem, de Confessione & Eucharistia.* Duaci, typis Ioannis Bogardi, anno 1580.

Ioannes N. Polonus, Ordinis nostri Monachus, & Prior S. Mariæ de Paradyso, nuper Monasterij sui Procuratorem agens in curiæ Romanæ, ibidem vulgauit *Opus quoddam pium, & valdè egregium*, quod dedicauit Cardinali Matthæo. Ita Vghellus in Relatione ex Vrbe ad me missa, qui tamen Opus non specificauit.

Ioannes, dictus Præcursor, vulgo autem cognominatus *de Louanio*, Villarij in Brabantià monachus, vir sanctitatis eximiæ & Litterarum studio addictissimus, collegit ex diuersis scriptis, *Opus pium, continens psalterium, hoc est, orationes 150. super agonizantibus legendas, cum deuotissimâ Litania*: quod opus inscripsit *Agoniam morientiu*. M.S Villarij, teste Valerio Andrea, in bibliotheca Belgica.

Librum item scripsit, de vitis Christi Saluatoris, & BB Virginis.

Vitas præterea plurimorum religiosorum sanctitate illustrium illius domus, quæ ibidem quoque M. S. asseruantur, licet non præfixo Authoris nomine.

Denique, *Librum De vita boni monachi & alios plures*, teste chronico Villariensi. Vide Menologium 28. Augusti, & alijs in locis. Hunc quoque cum insigni elogio, Scriptoribus Marianis adcenset Hippolytus Maraccius, in Bibliothecâ Marianâ.

Ioannes de Rameia, monachus ordinis Cisterciensis, scripto reliquit *Insigne volumen in 4. concionum de Sanctis*, quod M. S. asseruatur in Villario Brabantiæ videtur fuisse eiusdem monasterij religiosus.

Ioannes Iacobus à S. Scholastica, natione Gallus, anno ætatis suæ 15. congregationem Fuliensium ingressus, breui tales in doctrinâ, & pietate progressus fecit, vt Illustrissimus & Eminentissimus Cardinalis de Sourdis, eum Burdigalæ concilij sui Ecclesiastici Præsidem creauerit; vbi dum moraretur, *Congregationem Sanctæ Vrsulæ instituit, constitutionesque & statuta eidem condidit.*

Composuit etiam pijssimum *Opusculum, titulo Peregrini agonizantis.* Quo iam sub prælo sudante, ipse quoque diem clausit extremum 9. Octobris, anno 1621. Menologium Cisterciense, eodem die.

Ioannes Seifridus, religiosus illustrissimi cœnobij S. Crucis in Austria, omni scientiarum genere instructissimus, floruit anno 1608. cuius doctrinam, & theologica exercitia, in hodiernum vsque diem commemorat Viennensis Austriæ Academia, vbi circa eadem tempora, eleganti stylo conscripsit, & publici iuris fecit, *Arborem Anicianam*, seu, *Genealogiam Augustissimæ domus Austriacæ (ex antiquissima familia Romana Anicia exorta) quam Matthiæ Imperatori dicauit.* Prodijt 1. Viennæ, ac posteà iterum Francofurti, apud Fischerum. Est liber in folio.

Extant & eiusdem Authoris *Insignes litteræ ad Philippum III. Hispaniarum Regem*, teste Manriquez in chronico Cisterciensi. Promotus postmodum fuit Ioannes ad regimen Abbatiæ Zwetelensis, seu Claræuallis Austriæ in diœcesi Pataujensi an. 1611. vbi an. 1625. pijssimè obijt. Cæterum, de antiquitate & nobilitate huius

familiæ Anicianæ, insignem etiam tractatum edidit, circa annum 1590. Arnoldus Wionus Duacensis, ordinem Benedictinum professus apud Aldenburgenses in Flandria: vbi ostendit etiam Sanctissimum Patrem Benedictum ex eadem quoque familia originem duxisse.

Ioannes Serlo, dictus Magister Serlo, cognominatus *Grammaticus*, natione Anglus, fratrem habuit Radulphum Abbatem Parche-ludensem. Ipse in iuuentute poëta erat elegans, & rhetor disertus, sed grammaticis studijs nimium immersus, in alijs minus eluxit. Ex Eboracensi Canonico, factus monachus, & postea Abbas in Fontanensi cœnobio, verè animo & ingenio magnus fuit. Ex huius notis, Hugo Kirchestedus, monachus & discipulus eius, multa decerpsit, de rebus in Fontanensi cœnobio gestis; item, de initio & incremento ordinis Cisterciensis in Anglia. Vide Manriquez tom. 2. Annal. ad annum 1160 cap. 6. Imò Baiæus de scriptoribus Britanniæ, de hoc Ioanne Serlone agens, sub nomine Serlonis, affirmat Hugonem Kirchestedum libros iam recensitos scripsisse, dictante Serlone. Plura ex scriptis eius perijsse feruntur; posteritati adhuc reseruati, scribunt Bostonus & Lelandus, apud Pitsæum, de scriptoribus Angliæ.

De Bello inter Scotiæ Regem, & Barones Angliæ, Rythmis Latinis, librum vnum; qui sic incipit: *Dauid ille manu fortis*, &c. Extat M.S. Cantabrigiæ, in collegio sancti Benedicti.

De morte Sumerledi, Regis Manniæ, lib. 1. Dauid Rege mortis lege clauso &c.

In orationem Dominicam, lib. 1. Protector noster Dominus Iesus, &c. M.S. Cantabrigiæ, in collegio Sancti Benedicti.

De differentijs verborum, lib. 1. Cantabrigiæ in collegio Sancti Petri.

De dictionibus dissyllabis, lib. 1. Inc. *Dactyle conueniens digitis*, &c.

De dictionibus æquiuocis, lib. 1. Est pater arator, culero telluris &c.

De dictionibus vniuocis, lib. 1.

Florebat ann. Domini 1160. ex Pitsæo, hunc etiam, cum præclaro elogio, Viris illustribus adcenset Andreas Theuet, lib. 3. pag. 146. Addens, Ordinem Cisterciensem produxisse præcipuos Scriptores rerum Anglicarum: inter quos, recenset (præter hunc Serlonem) Hugonem Kirchestedensem, Guillielmum Rhieuallensem, & B. Ailredum.

Ioannes de Taillis, Vide *Ludouicus Talisius*.

M. Ioannes de Toleto, natione Anglus, adolescens ordini Cisterciensi se tradidit, qui postea S. Theol. Doctor renuntiatus, propter singularem doctrinam, vitæ sanctitatem, & eminentem in rebus agendis prudentiam, ab Innocentio Papa IV. anno 1244. in festo SS. Trinitatis, S.R.E. Cardinalis creatus fuit; tandemque missus ad Concilium generale Lugdunense, sub Gregorio X. anno 1274. in humanis esse desijt. Hunc Ciacconius, Panuinus, alijque aliquot scriptores vitarum Pontificum, præposterè cum alio Ioane de Franciogiâ confundunt (vti etiam facit Henriquez) paritate nominis, ordinis, & temporis, seducti. Verum, scriptores Angli veritatem eruerunt, duosque Ioannes Cardinales rectè statuerunt; Anglum vnum, Gallum alterum, ambos Cistercienses. Vide Theodoricum Vallis coloris, in vitâ Vrbani IV. ad Ancherum Cardinalem; Matthæum Westmonasteriensem, in Floribus; Matthæum Paris, ad annum 1244. & Iongelinum in Purpurâ Sancti Bernardi. Multa scripsisse fertur, quæ tamen Pitsæus scribit se reperire non potuisse: quo tamen non obstante illum illustribus Angliæ scriptoribus adnumerat, in appendice, centuriâ 2. num. 100. proindèque à me hic etiam non debuit omitti. Author nomenclatoris Cardinalium scriptorum, asserit adhuc legi huius viri *epistolam insignem*.

nem ad nauseam, vide quæ diximus supra, in Ioanne de Franciogiâ. de hoc etiam fusè, Vghellus, Italiæ sacræ tom. 1. fol. 158 & sequent. & Iongelinus, in Purpurâ, qui tamen cum verbis asserat distinctum à Franciogia, tamen gesta vtriusque confundit sibi ipsi contradicens.

Ioannes Abbas Valcellensis 7. qui floruit circa annum 1150 quædam scripsisse legitur, ex quibus adhuc extat *prolixa quadam epistola ad Henricum Ducem Lotharingia*, in quâ mentionem facit diuersorum monachorum sanctitate illustriũ, qui in Valcellensi cœnobio floruerunt, nominatim B. Vlrici, qui ex monacho Valcellensi electus fuit Abbas Villariensis; quod monasterium cum rexisset ab anno 1160. vsque ad annum 1185. resignauit, & ad locum professionis reuersus est, vbi sancto fine quieuit. Epistolam hanc citat Henriquez in Menologio Cisterc. Kalendis Ianuarij.

Ioannes Vallensis, siue, del Vaulx, monachus & Prior cœnobij Villariensis in Brabantiâ, scripto reliquit, *Librum de Statu, votis, & disciplina monastica*, quem suis ibidem dictauit, M.S. in Villario. Obijt anno 1590. Valerius Andreas in Bibliothecâ Belgicâ.

Ioannes à Vepria, ex religioso Castellionensi Prior Claræ vallis, religionis obseruantia & eruditione, viris clarissimis sui æui merito adnumerandus, scripsit *librum prouerbiorum gallicanorum, secundum ordinem alphabeticum dispositorum*, tantæ elegantiæ vt eum Ioannes Ægidius Nucerensis, latinis versibus (plerisque Leoninis) transtulerit. Liber impressus est Parisijs, apud Ascensium, in 8. anno Domini 1519. Huic viro doctissimo, Ioannes de Butrio libros 7. Maphæi Vegij, de perseuerantia religionis, à se recognitos, dedicauit: in cuius operis epistola dedicatoria, insigni illum honorat elogio; quod non abs re visum fuit hic subiungere, maximè quia in illo mentio fit studiorum & scriptorum eius: *Tu, inquit, Venerande Ioannes, non mediocri laude dignus censeris, qui ab ineunte ætate, penitus relictis omnibus, regulari cœnobio te mancipasti, non alio fine, quam vt liberius res diuinas contemplareris, librosque sacros, & Sanctorum doctrinam tranquillius euolueres; & eos vel proprijs characteribus tu ipse pacatius transcriberes, vel vndecunque ad tuam & confratrum vtilitatem studiosè cumulares. Quibus in rebus adeò constanter hactenus perseuerasti, vt nullum aliud quantumuis laude dignum exercitium, nullumque beneficium, quantumuis illectiuum, abstrahere te potuerit. Videris quoque in terris delicias attigisse paradisi, quæ (Beato Hieronymo teste) vel nusquam in terris esse possunt, vel in claustris & scholis sunt. Tu enim vtrumque, & claustralem, & rerum scholasticarum professus statum, in diuinarum pariter & humanarum scrutinio litterarum, Creatoris bonitatem in suis creaturis, & scripturis multipliciter relucentem, mirari non desinis;* Nunc veteris, nunc nouæ legis seriem; nunc sacrosanctos Interpretes, scilicet, Hieronymũ, Ambrosium, Augustinum, Gregorium, cæterosque, quorum omnia penè opera percurristi; nunc de gentilium fabellis, ac eorum mysticis & moralibus institutis præclara epithomata, tanquam ab iniustis possessoribus extirpando non minus in his delectari videris, quam in omnibus diuitijs. Tibique interim æterno beatitudinis gaudia expectâti, satis esse iudicas, ad temporaneæ consolationis delicias, librorũ exquisitorũ, quos continuò Lectites, copiam habere. Quorũ te possessorẽ nequaquam auarũ, aut tenacem esse, certum est; quippè qui eos non solum tuis fratribus, cum quibus proprium habes nihil, sed etiam ipsis impressoribus, vltrò sponteque offerens, gratis communicas; quatenus horũ industria, ad omnes libri perueniant, quos vel vnus ipse, vel tecum pauci consequi valuissent &c. *Deindè post pauca, hac subiungit:* A te, nullum vnquam proditum est in lucem opus,

quod non esset imprimis amandum, & fidelius thesauris accuratè redditum. Hæc omnia Butrio. Ex quibus vltimis verbis colligo, Ioannem hunc plura adhuc alia opera publicasse, optimeque de re litteraria esse meritum. Claruit anno 1490. Seguinus in Bibliotheca, vbi citat etiam Gesnerum. Henriquez verò in serie Priorum Claræuallensium, ad calcem Fasciculi, asserit illum Prioris officio functum fuisse annis 19. nimirum ab anno 1480. vsque ad annum 1499. An autem tunc obierit, non refert, & certum est quod non, quia, anno 1509. Iudocus Badius illi dedicauit metamorphosim Ouidianam moraliter explicatam per Thomam Waleys Dominicanum. Quinimò & anno 1519. adhuc superfuisse, colligitur ex Præfatione ad librum Proverbiorum ipsius *de Vepriâ* vbi habentur sequentia: *Cupit enim, vt est homo optimus, (scilicet Ioannes à Vepria) sicut declamando & prædicando verbum Dei, prodesse quamplurimis, præsertim Senioribus; ita lepidè scribendo, prodesse iuuenibus. Relegi itaque totum opusculum, nihilque in eo offendi, quod non sit lepidum, emunctum, castum, & (quod maximi facio) totum agnoui ad bonos mores conducens.* Hæc Badius, in libro ipsius de Vepria, anno 1519. impresso.

Porrò, Gesnerus in suâ Bibliothecâ, & Franciscus de la croix du Maisne (alias, mairne) Scribunt Ioannem de Vepria fuisse Abbatem Claræuallensem, sed errant, quia Manriquez ad calcem tomi 1. Annalium Cisterc. Henriquez in fasciculo, & Iongelinus in notitijs, exactissimam nobis exhibent Abbatum Claræuallensium seriem, ex ipsa Claraualle sibi transmissam, & nemo Ioannem de Vepriâ Abbatibus adnumerat; quem tamen Henriquez sub finem fasciculi sui, in serie Priorum Claræuallensium, inter Priores recenset: Imò, Philippus Seguinus, Author Ioanni coæuus, illum non nisi Priorem fuisse scribit. Prætereà aduertendum, quando in prima editione huius libri scripsi, Ægidium Nucerensem, qui Proverbia Ioannis nostri, latina fecit, fuisse Episcopum, motum fuisse authoritate Seguini, id asserentis quia tamen in Gesnero, la croix, & alijs, qui de eo mentionem faciunt id ipsum non reperi, idcircò hic etiam omisi verbum Episcopi.

Cæterum, librum proverbiorum suprà memoratum, Hubertus Susan, Poëta latinus, eundem posteà auxit multis Prouerbiis, & imprimi curauit Parisijs anno 1552. apud Pregentum Caluarin.

Ioannes Viel, natione Cenomanensis, & in Fontis Danielis cœnobio Monasticen professus, vir pius, & morum probitate præclarus, florebat anno 1590. in Italiâ, apud monasterium Casæ nouæ, in quo Præpositi fungebatur officio. *Is traduxit ex Italico idiomate in Gallicum, librum cui titulus est: De abusibus, & dissolutionibus, quæ fiunt Romæ, in diebus carnisprivij.*

Seguinus in Bibliothecâ, vbi subiungit, illum *plura alia opuscula in lucem emisisse* quæ ad notitiam eius non peruenerunt.

Ioannes de Villario, dictus *de Bruxella*, S. Theol. Doctor, monachus, & posteà Abbas 39. Villariensis in Brabantia, scripsit *Sermones varios perelegantes*, qui M.S. extant in monasterio nostro de Dunis sub hoc titulo: *Sermones Magistri Ioannis de Villari, S. Theol. Doctoris.*

Extant & in bibliotheca Tungrensi, *Sermones varij*, Abbatis cuiusdam Villariensis; verum vtrum sint huius Ioannis, an alterius Abbatis 20. Iacobi de Somaria (qui etiam scribitur fuisse concionator excellentissimus, & sermones varios scripsisse) mihi adhuc incompertum. Obiit Ioannes anno 1333.

Ioannes à Visitatione, vide, *Chrysostomus.*

Ioannes Vrsicampi monachus, edidit *librum sermonum de diuersis materijs*, qui manuscriptus reperitur in monasterio S. Martini, ord. S. Benedicti,

dicti, Tornaci. Continentur autē in eo, *sermo de omnibus Sanctis: Sermones duo de Aduentu Domini: 3. de Natiuitate Domini: de Ascensione, vnus. de Paschali vnus: de Annuntiatione Dominica, vnus: de Deducatione Ecclesiæ vnus. In natiu. S. Ioannis Baptistæ.* Porrò, codicem S. Martini die apud me habui, reperique sermones hos simplici quidem valdè stylo conscriptos, attamen bonos, & doctinales, vndè omnes ex integro copiari curaui, & tanquam aliquale antiquitatis monumentum, apud me asseruo.

Ioannes de Wardo, religiosus Dunensis nostri cœnobii in Flandria, atque (vt rectè ait Harduynus) theologus famosus, & concionator diuini verbi eloquentissimus, obiit anno 1293. cuius mentionem etiam facit Meyerus lib. 3. Annalium Flandriæ, in vita Guidonis Dampetræ. Referuntque monumenta monasterij nostri memorati, illum Parisijs fuisse S. Theol. Doctorem primum ex vniuerso ordine Cisterciensi: eoque intuitu, à Capitulo generali eiusdem ordinis, priuilegijs singularibus fuisse honoratum: de quibus specialiter agitur in epistola Reuerendissimi Domini Theobaldi 26. Abbatis Cisterciensis, & totius ordinis Generalis ad illum data, quæ in archiuis dicti monasterij de Dunis adhuc legitur, huius tenoris:

Venerabili viro, & religioso, magistro Ioanni de Wardo, monacho de Dunis, in theologica facultate Parisius Legenti, F. Theobaldus Abbas Cistercij, cum sincera in Domino dilectione, salutem, & de fontibus Saluatoris abundanter haurire; & salubriter effundere sapientiam salutarem. Dignum est, vt amplioribus gratiis beneficiis, & specialioribus specialis libertatis gratiis attollantur, quibus vitæ bonitas, morum honestas scientia radiosituas, ac diuersarum virtutum gratiosa inducia suffragantur. Attendentes igitur vestra merita probitatis, labores insuper innumeros, quos in acquisitione salutaris sapientiæ, per longas vigilias sustinuistis hactenus, & in studendo, legendo, disputando, & prædicando quotidiè sustinetis; non improuidè prouidendo studiositatem vestram dignam duximus specialis fauoris gratia relucandā, & salutaris sapientiæ margaritā cunctis regnis & regibus præferendā, per vos retrò actis temporibus, laboriosis studiis, & studiosis laboribus acquisitam, specialis libertatis auspicius attollendam, hinc est, quod (authoritate Capituli generalis, nobis in hac parte consensum præstantis, & nostra) vobis concedimus post Abbates vbique stare. &c. Actum Parisijs apud Sanctum Bernardum, in capella hospitij, siue domus, in qua morabatur M. Ioannes de Dunis, M. in theologia, ordinis Cisterciensis, Regens in eodem loco, 1292 9. Aprilis.

Reliquerat scripto plurima, *tam theologica, quam philosophica*, (quorum intuitu, ab Ant. Sandero, & aliis antiquioribus, Flandriæ scriptoribus adnumeratur) quæ tamen in vastatione monasterii nostri, ibidem perierunt. Quam aleam etiam subierunt doctissimæ lucubrationes theologicæ, philosophicæ, concionatoriæ, & historicæ, Eximiorum Dominorum, *Ioannis de Sindevvint*, oriundi de Bouchaute (de quo Meyerus ad annum 1319. quo obiit, asserendo illum Parisijs theologiam publicè fuisse professum, & ibidē sepultum eodem anno, in collegio Sancti Bernardi; quod etiā adstruunt monumenta domus nostræ, vbi additur illum fuisse Regentem collegij Sancti Bernardi,) *Magistri Henrici de Lepa, Magistri Nicolai Moloen* (qui posteà fuit Abbas Laudensis monasterij,) *Francisci Genge, Iacobi Spoelberghe* (qui floruerunt circa annum 1400.) *Ioannis Vale*, S. Theologiæ Licentiati, & Professoris Biblici, anno 1445. *Magistri Gisonis*, Sacræ Theologiæ Doctoris, qui obijt 1457. *Magistri Petri Querhof* (alibi, *Outerhof*) 1460. & aliorum plurium, quorum plerique Sacræ Theologiæ Doctores, alij Theol. Licentiati profundissimi, religiosi fuerunt Dunenses; qui partim Theologiam, partim philosophiam

Pari-

Parisiis in Sancti Bernardi collegio publicè professi sunt, & *praeclara doctrina sua monumenta posteritati reliquerant*, vt passim etiam exteri testantur historici: ex quibus monumentis non-nulla hinc indè manuscripta in Galliae monasterijs reperiri dicuntur, discipulorum calamis exarata: quorum tamen nullos certos titulos assequi potui. Quanquam etiam non dubitem, quin inter codices anonymos, qui iusto adhuc numero Dunis reperiuntur, quidam conscripti sint ab aliquibus ex his recensitis.

Ioannes Wimbroot, monachus cœnobij de Claromarisco, scripsit *Xenia spiritualia monialibus de Wœstynes, duobus libris distincta*, & impressa Audomaropoli; liber prior anno 1506. posterior verò, anno 1615.

Ioannes Zazus, Vallis Paradisi apud Hispanos monachus & posteà Abbas, doctrinae non contemnendae sanctitatis autem tam eximiae, vt vita ipsius (referente Henriquez) pro continuo habita fuerit miraculo. Scripsit

Historiam de vitis & gestis Sanctorum omnium, quorum solennitates in congregatione Hispania, per totum anni circulum celebrantur: quam in suo Vallis Paradisi monasterio imprimi curauit, anno 1603.

Scripsit & *alia plura ad congregationis suae vsum spectantia*. Salmanticae, Vallisoleti, & alibi, vulgata: teste Henriquez in Phœnice; qui tamen inscriptiones horum operum nondum compertas habebat, dum Phœnicem ederet.

Obijt plenus dierum, & virtutum, anno 1623.

Ioscelinus, Furnesij in Anglia, ordinis Cisterc. monachus scripsit *Insignem historiam, de vita & miraculis Beati Walleni Abbatis Melrosensis in Scotia, duobus libris distinctam*, quam dedicauit Willelmo Regi Scotiae, & Alexandro filio eius, ac Comiti Dauid, in ipsi Walleno sanguine iunctis. Testatur autem in prologo ad dictam historiam, se hanc scripsisse iussu Patritij Melrosensis Abbatis, nihilque posuisse, quod non hauserit ab illis qui viderunt. Chrysostomus Henriquez eiusdem Walleni vitam aliam haberi manuscriptam asserit in Rubea valle, Brabantiae monasterio, conscriptam per Antonium gentium, quam ipse transcripserit in Fasciculo suo, lib. 2. dist. 25. cap. 58. Sed vitam hanc nihil aliud esse, quam compendium historiae Ioscelini, rectè annotauit Illustrissimus Manriquez, tomo 2. annalium Cistercientium, ad annum 1160. cap. 4. n. 7. qui dictam Ioscelinae historiam apud se habet M.S. eamque sparsim annalibus suis inseruit.

Scripsit etiam Ioscelinus, *Vitam S. Patritij*, in qua asserit se multa hausisse ex scriptis S. Evvini teste Iacobo Waraeo, lib. de monasteriis, & scriptoribus Cisterciensibus in Hybernia. Caeterum, hic idem Ioscelinus est, quem Ioannes Pitsaeus in appendice ad librum de scriptoribus Angliae, centuria 3. nu. 4. vocat *Ioscelinum de Furnes*, & scripsisse etiam testatur,

De Britonum Episcopis, libros plures.

Iosephus Dundranensis, celebris Dundranae monasterij in Gallomidiâ, quod Fergusius Comes fundauerat, alumnus, Cisterciensis Ordinis monachus, & posteà Prior, scripsit,

De illustribus Ordinis sui viris, lib. 1.

De quibusdam Sanctis, lib. 1.

Sermones per annum, lib. 1.

Lecturas in Euangelia, lib. 1. Florebat anno 1251. Demstetus, n. 416.

Iosephus Garcia, cœnobij Ferratiensis (vulgò de Errera) in Hispania, alumnus, philosophus fuit subtilis, & theologus pariter consummatus, nec pietate, aut animarum zelo minor, vt fidem certam faciunt erudita eius scripta, ex quibus aliqua nuper vulgauit R. Dominus, Prudentius Plaza, cœnobij S. Prudentij Abbas; videlicet,

Concio-

Concionum de Tempore, & de Sanctis, tomos duos Pampilonæ anno 1622. Et

Commentaria in Euangelium S. Matthæi. Scripsit inter alia etiam *in aliquot psalmos Dauidicos*, nominatim, conceptus prædicabiles, super psalm. De profundis, impressa anno 1623. Pampilonæ, typis Caroli Labayen in 4.

Isaac Abbas Cisterc. ordinis, in Italia, scripsit *Opusculum quoddam de Anima, ad Algerum Claræuallensem monachum* quod asseruatur manuscriptum in bibliothecâ S. Benedicti, Mantuæ. Vincentius Bandellus in tractatu de Conceptione B. Virginis apud Montalbum suprà.

Isaac Abbas 3. Monasterij de Stella, in Diœcesi Pictauiensi, ord. Cisterc. Vir fuit, sanctitate æque ac doctrina celebris, qui scriptis plurimis, de diuersis materijs, nomen suum posteritati celebrauit. Certè Reuerendus Dominus Placidus Petit, religiosus Castellionensis & collegij S Bernardi Parisijs Procurator, litteris ad me datis 1. Septembris, anni 1648. Parisijs, scribit se vidisse in bibliotheca monasterij de Stella, *Amplum volumen in folio M. S. in quo continebantur va. ij Sermones, & diuersi alij tractatus, & quidem præclari, à Venerabili hoc Abbate conscripti.* Dolendum tamen, quod horum tractatuum titulos etiam non annotauerit D. Placidus. Insuper, Eximius & Reuerendus admodum D. Claudius Chalemot, Abbas Columbæ, in serie scriptorum, quam anno 1649. mihi transmisit, affirmat quoque se vidisse huius Abbatis Isaac *præclaram quandam epistolam, de venerabili Eucharistia, ad Episcopum Pictauiensem.* Vixit (secundum eundem Chalemot) anno 1150.

Porrò, Bunderius in Indice suo lib. MSS. scribit se vidisse tractatus huius Abbatis Isaac, sequentes, *Tractatum de Anima* ad fratrem suum medicum Claræuallensem, cuius principium est, *Cogis me dilectissime*, &c. Claromarisci, in S. Bernardo, & apud minores Brugis.

Bibliothec. Ord. Cist.

De Sacramento altaris, & de Missa: Affligemij, In S Bertino, in Blandinio.

De Canone Missæ In Blandinio, & S. Bertino. Bunderius, lit. I. n. 387.

Isenbardus. vid. *Ysambardus.*

Isembrandus Anguisciola, Nobilis Placentinus, monachus & Abbas Claræuallis de Columba, in diœcesi Placentina; Vir fuit doctrina pietate, ac prudentia non minus quam sanguinis nobilitate illustris; Qui cum adhuc monachum ageret in eodem Cœnobio Columbæ defuncto Hugone 47. Episcopo Placentino, à Clero in Episcopum postulatus, maluit intra claustri tranquillitatem manere, quam Episcopali infulâ decorari: tandem obedientia cogente, Abbas electus, ibidem pijssimè obijt, anno 1180.

Monachis reliquit librum, quem *Speculum Christianorum* inscripsit, suæ pietatis & doctrinæ nobile monumentum.

Vghellus, tom. 2. Italiæ sacræ, inter Episcopos Placentinos, n. 48 fol. 272.

Ex hoc celeberrimo Cœnobio, plures assumpti fuerunt ad Cathedram Episcopalem Placentinam, vt videre est apud memoratum Vghellum, & longelinum in purpurâ S. Bernardi.

Idem hoc Cœnobium à Friderico 2. Imperatore, in odium Ecclesiæ, & Pontificis, Romani, combustum & euersum fuit, monachis omnibus ad vnum per dira tormenta necatis: Cuius tamen criminis Imperator pœnitens, Cœnobium iterum restaurauit, vt referunt antiquâ eiusdem monumenta, apud Vghellum, suprà.

Iudocus Horenbout, religiosus monasterij de Baudelo Gandaui. scripsit

Vitam Beati Balduini de Bocla, primi eiusdem monasterij fundatoris, editam à Chrysostomo Henriquez in Fasciculo, lib. 1. dist. 15. Vide & Meno-

nologium Cisterc. 25. Septembris: & Ant. Sanderum in Hagiologio Sanctorum Flandriæ.

Iulianus Wernier (alibi, *Vernier*) Prior S. Lazari, in suburbijs Firmitatis Milonis, diœcesis Suessionensis, scripsit Gallicè *libros duos in regulam S. Benedicti*, quorum 1. inscribitur, *Introduction à la vie religieuse*; estque scriptus per formam dialogi inter discipulum, & magistrum: posterior hunc habet titulum: *L'ancienne rigueur de la Reigle S. Benoist.*

Transtulit & in carmen gallicum, concionem quandam Sancti Bernardi. Item & alium *tractatum eiusdem Sancti, inscriptum: Scala Claustralium.* Viuebat adhuc anno 1645. alijs operibus incumbens. Relationes Eximiorum DD. Claudij Chalemor, & Arnolfi, iam sæpius citatorum. Fuit hic Iulianus, professus Longipontis, & ibidem quondam etiam Prior.

Iulius a Sancta Anastasia, alias, Bartoloccius, anno 1651. Prior Fuliensium ad S. Bernardum de Vibe, in lingua Hebraica versatissimus, in tantum, vt ob dictæ linguæ peritiam, à S mo Domino nostro Innocentio decimo assumptus sit in eiusdem Hebraicæ linguæ Scriptorem, in Bibliotheca Vaticana; plura à se elaborata, luceque dignissima, sub calamo premit. Relatio Fuliensium. Româ transmissa, 1651.

Iustus Abbas ordinis Cisterciensis, vixit anno 1300. quo, *in conuentu multorum Abbatum illius ordinis, habuit sermonem elegantissimum*, à Ioanne Picardo seorsim Lutetiæ. & postea à Colomiesibus. tomo 14. bibliothecæ Patrum, editum. Sermo totus versatur in ijs castigandis, quiiniquum iustitiæ monasticæ induxerant iustitium, Vir fuit omni scientiarum genere præditus, ac singulariter facundus. Aubertus Myræus in auctario de scriptoribus Ecclesiasticis, cap. 412.

Iustus de Castro, Vallis bonæ in Hispania religiosus, grauioribus omnibus excultus studijs, clarum sibi eruditionis nomen comparauit, præsertim à tempore, quo luci dedit.

Instructorium spirituale, Compluti in 8. apud Andream Sanchez, anno 1617. Item

Institutionum moralium tomum insignem variâ eruditione refertum. Nuper adhuc in viuis plura meditabatur. Henriquez in Phœnice.

K.

KEseriacum (aliàs *Tereriacum*, vel *Gheseriacum*) monasterium est Laudunensis Diœcesis, cuius *Anonymus quidam religiosus*, doctrina ac sanctitate clarus (teste Seguino in bibliotheca Cisterciana litera M, numero 18)

Scripsit stylo terso insignem *Librum, de vita & gestu Beati Rolandi, eiusdem monasterij Abbatis*, viri sanctissimi, cuius festum ibidem annuatim colitur officio proprio, atque indulgentijs concessis à Summo Pontifice, fidelium deuotionem sollicitantibus: hæc Seguinus. Quæ etiam confirmat Molanus in appendice ad suum Martyrologium, his verbis: Rolandus, ait, in Keseriaco quiescit, responsoria, & collectæ habentur ibidem, & indulgentiæ. Vide etiam de Authore huius vitæ Angelum Manriquez, tomo 1. Annalium suorum, ann. 1140. cap. 12. & Henriquez in Menologio, 16. Ianuarij.

L.

LAurentius monachus Dunensis, Ord. Cister, scripsit, *Prognosticon noui & veteris Testamenti. metricè.* Quod opus Ioannes Bunderius littera L. n. 20 testatur se vidisse in Claromarisco habet & illud Philippus Labbæus, Soc. Iesu descriptum ex codice Thuano 428. vt ipsemet scribit, parte 2. Coronidis Poëticæ, Bibliothecæ nouæ M.SS, librorum, licet, pro *Dunensi monacho*, scribat Dunelmensi, & pro, Prognosticon, Hypognosticon.

Lau-

Laurentius de la Roche, ex Ducatu Luxemburgico, viri incomparabilis Bernardi de Montgaillard, Abbatis de Aureavalle, Coadiutor, & in prælatura successor, nec non & sanctitatis illius verissimus hæres, conscripsit & edidit *Laudationem funebrem viri sanctissimi Dionisij de l'Argentier*, Abbatis Claræuallis, S. Teologiæ Doctoris Sorbonici, Luxemburgi apud Hubertum Reuland, anno 1624. in 4°.

Miracula aliquot ad Dionysij huius sepulchrum patrata, refert Henriquez in Menologio 25. Octobris.

Obijt verò Laurentius noster, anno 1638. 5. Decembris; sub quo Abbate, monasterium de Aureavalle à Gallis incensum, deflagrauit: quod tamen nunc iterum vel inter bellicos hos tumultus, paulatim restauratur.

Laurentius de Zamora, Hortensis monasterij gloria, ordinisque vniuersi singulare decus, & ornamentum: vir fuit summo ingenio, & ad omnem prorsus litteraturam aptissimo, post philosophiæ & theologiæ professionem, pluribus annis rarâ cum admiratione, & constanti auditorum plausu, Doctor & Magister, sacras literas è cathedrâ explanauit; cui celeberrimam peperit famam, interpretandi perspicuitas, & plena sanæ doctrinæ soliditas, quam humanissima religiosæ modestiæ comitas exornabat. Mirabili quoque dicendi facultate, cum è suggestu verba ad populum faceret, auditorum animos sententiarum grauitate, verborum castâ elegantiâ, vocis dulcedine & claritate, vel deterrebat a vitijs, vel ad virtutes impellebat; adeò vt non iniustè, quidam illum indigitauerit, *in naturalibus Aristotelem, in theologicis Thomam, in cathedra Ambrosium, in bibliorum tractatione Gregorium*. Regimini monasterij sui, alijsque clarissimis functionibus adhibitus, tanta felicitate singulis perfunctus est, vt qui videat monumenta regiminis & functionum aliarum, miretur potuisse scribere; qui monumenta scriptionis, miretur potuisse vacare alijs exterioribus. Industriam hanc erudítioni coniunctam, egregiè experta sunt Cataloniæ pleraque ordinis nostri monasteria, dum (ad petitionem Philippi III. Hispaniarum Regis (authoritate Apostolicâ Pauli V. ab eo visitata, (vnà cum Ioanne Aluaro, tum Abbate Verolæ, mox Cellonensi Episcopo) ad pristinæ puritatis normam, & monastici rigoris tramitem, suauiter reducta sunt. Denique inter hæc doctrinæ & laudum decora, tanta animi demissio tantaque vitæ integritas & candor vbique refulsit, vt non modò totius plebis præconio, *Sancti ac verè pij*, nomen acceperit, sed & virorum Principum, tum Bachinonæ, & Cæsar-Augustæ, quam Madriti, amorem oculosque ita perstrinxerit, vt eum non aliquem è mortalium cætu, sed tanquam numen ab alto delapsum suspicerent, ac venerarentur. Tandem laboribus exhaustus, febriumque violentiâ oppressus, cum cathedram sacrorum bibliorum Complutensis Academiæ sponte oblatam, ob nimiam debilitatem recusasset, ibidem Compluti obijt, vir immortalitate dignissimus, summo apud omnes sui relicto desiderio, anno 1614. sepultus in collegio nostro, sub hoc epitaphio.

Sermonis sacri conscripta volumina dicunt;
Non latet in medio, qui latet hoc tumulo.

Scripsit *opus vastum* omnium diuinarum humanarumque scientiarum ornamento decorum, quod *Monarchiam mysticam Ecclesiæ* nuncupauit. Sub quo diuersi libri & tractatus oriuntur, quos ipse sequenti ordine distribuit.

Prima parte, quandoquidem S. Apostolus Paulus ait, Christû esse caput Ecclesiæ, & Christi Deum: *Agit de ijs quæ ad Dei essentiam spectant, de eius perfectionibus, attributis, & excellentijs & de ineffabili Trinitatis mysterio: item de humana natura*

magnitudine & prærogatiuis quam author eius, vt militantis Ecclesiæ membrum esset, creauit ea mente, vt post illam in triumphantem Ecclesiam transferret.

2. *Parte de miseranda eius ruina, de damnis quæ per peccatum in filios Adæ deriuata sunt, de bonis amissis, & malis acquisitis.*

3. *De reparatione, & omnibus quæ ad Deiparæ Virginis, & Christi vitam pertinent.* Et quia hæc materia prolixior est in duas subdiuiditur partes, ita vt simul, 8 sint.

4. *De medijs, quæ Deus ad harmoniæ suæ conseruationem dedit, cum omnibus quæ ad Sacramentorum materiam spectant.*

5. *De omni eius statu, officio, & dignitate, excellentia, & obligatione.*

6. *De personis illustrioribus, quæ in eadem fuerunt, Apostolis, martyribus, Confessoribus, & Virginibus, quas sancta Dei Ecclesia toto anno celebrat, cum expositione euangeliorum, quæ festis earum diebus leguntur.*

7. *De armis defensiuis, & offensiuis, à Deo datis, vt de hostium continuis assultibus, & prælijs, victoriam referat, quæ sunt virtutes.*

Et *de armis offensiuis, quibus mundus, diabolus, & caro, cum complicibus, eam continuè oppugnant; quæ sunt, vitia.*

Libri autem & tractatus, qui sub hoc egregio opere, in varios tomos diuiso continentur, à Chrysostomo Henriquez in Phœnice recensentur hoc ordine:

De perfectionibus & attributis, diuinæ essentiæ, liber vnus in 3. partes diuisus.

In Libri primi 1. parte continentur tractatus sequentes:

De attributis, quæ ratione causalitatis diuinæ essentiæ colliguntur.

De pœna eorum, qui propriis viribus Deum agnoscere præsumunt.

De agnitione Dei per creaturas.

De propria essentia Diuinæ naturæ.

De singularissima vnitate Diuinæ essentiæ.

De origine omnium rerum à Deo.

De æternitate Diuinæ essentiæ.

De æternitate regni Dei.

De immutabilitate Diuinæ essentiæ.

2. Pars sequentes complectitur tractatus.

De infinita Diuinæ essentiæ perfectione.

Qualiter essentia Diuina sit exemplar & idæa omnium rerum.

De Diuina misericordia.

De magnitudine Diuinæ misericordiæ.

De magnitudine iustitiæ Diuinæ.

De essentiali beatitudine Dei.

Qualiter solus Deus humani appetitus capacitatem impleat.

3. Pars sequentes habet tractatus.

De infinita sapientia Dei.

De sapientia Dei erga cogitationes humanas.

De incomprehensibilitate Diuinæ essentiæ.

De incomprehensibilitate Diuinæ naturæ.

De incomprehensibilitate Diuinorum secretorum.

De omnipotentia Diuinæ naturæ.

De omnipotentia Dei erga res humanas.

De prouidentia Dei erga iustos & electos suos.

De prouidentia Dei erga reliquas creaturas.

De mysterio Sanctissimæ Trinitatis, tomus vnus in 3. partes diuisus.

Liber Secundus. Tractatus 1. partis.

De adultera interpretatione, qua hæretici scripturam sacram, circà mysterium SS. Trinitatis confundunt.

De notitia, quam antiqui philosophi habuerunt.

De mysterio SS. Trinitatis.

De pluralitate personarum, & vnitate essentiæ.

De æterno Patre.

Tractatus 2. partis.

De æternitate Verbi Diuini.

De ines-

De ineffabili Natiuitate Verbi æterni.
Qualiter Verbum Diuinum sit Imago Patris?
De consubstantialitate Verbi, & æterni Patris.
De summa perfectione Verbi æterni.
Tractatus 3. partis,
De æternitate, virtute, & attributis Spiritus Sancti.
De processione Spiritus Sancti.
De consubstantialitate ipsius, Patris, & filij.
De prærogatiuis, & excellentijs, quibus Deus Caput visibile Ecclesiæ exornauit (hominem scilicet primum) in sua creatione: tomum vnum in 3. partes diuisum.
Liber tertius Pars. 1. Continet tractatus.
De prærogatiuis humanæ naturæ in communi.
Qualiter Deus hominem creando, totum orbem nobilitauerit.
De fabrica, & dispositione hominis.
De hominis post reliqua animantia creatione.
De imagine, & similitudine Dei in homine.
De vltima, & excellentiori hominis perfectione.
2. Pars continet tractatus.
De immaterialitate animæ rationalis.
De immortalitate animæ rationalis.
De alijs animæ rationalis perfectionibus.
De excellentia præcipuarum partium hominis.
De humani intellectus præstantia.
De excellentia voluntatis humanæ.
3. Partis tractatus.
De statu innocentiæ, in quo Deus creauit hominem.
De sapientia, qua Deus primum hominem nobilitatum creauit.
De rectitudine, qua Deus 1. hominem in eius creatione insigniuit.
De primi hominis immortalitate, in statu innocentiæ.
De pulchritudine, qua Deus primum hominem induit.
De propria sui agnitione, lib. 1. in quo tractatur.
De necessitate propriæ agnitionis.
De damnis, quæ ex propria ignorantia oriuntur.
De vtilitate proprij contemptus.
De primi hominis casu, librum primum in quo agitur.
De origine dissensionum inter corpus & animam, & de miserijs quibus ambo subsunt.
De modo, quo primus homo à dæmone & vxore seductus, gratiam & iustitiam amisit.
De humana natura post 1. hominis peccatum miserijs, & calamitatibus.
De miserijs vitæ humanæ.
De militia hominis.
De miserijs, & laboribus studiosorum.
De incautorum miserijs.
De miserijs voluntatis humanæ.
De miserijs humani capitis.
De miserijs oculorum.
De miserijs linguæ.
De miserijs cordis.
De miserijs concupiscibilis.
De mundani amoris miserijs, laboribus: & fallacijs.
De miserijs irascibilis.
De miserijs peccati, lib. vnum, in 3. partes diuisum.
1. agit, *De malitia peccati.*
De peccato, in quantum est omnium malorum summitas.
De peccati seruitute.
2. Pars, *De effectibus peccati.*
3. Pars, *De supplicijs, & pœnis peccata debitis.*
Scripsit insuper,
De immaculata Conceptione BB. Virginis, librum vnum.
De eiusdem Natiuitate, librum vnum.
De Præsentatione B. Virginis, lib. 1.
De mysterijs Incarnationis Verbi Diuini, lib. 1.
De mysterijs Visitationis B. Virginis, lib. 1.
De B. Virginis expectatione ante natiuitatem Verbi æterni, lib. 1.
De mysterijs Purificationis B. Virginis, lib. 1.

De fuga Virginis in Ægyptum, lib. 1.

De mysterijs Assumptionis eiusdem, lib. 1.

De Laudibus Rosarij B. Virginis, lib. 1.

De necessitate, & excellentijs Baptismi, tractatum vnum.

De armis defensiuis & offensiuis Ecclesiæ, volumen vnum in folio.

De Deo, vt est Imperator exercitus inuisibilis, quo Ecclesia mysticum corpus defenditur, tractatus in folio.

De Archangelo Michaele, eiusdem exercitus Duce, tractatum.

De exercitu visibili Ecclesiæ, librum vnum in 22. tractatus diuisum, in folio.

De actibus Ecclesiæ militantis, lib. 1. vbi agitur, de virtutibus in fol.

De Gratia, tract. — *De Charitate.*

De Fide, tract. — *De Spe.*

De Religione. — *De Oratione.*

De Temperantia. — *De Prudentia; vbi agit.*

De Timore & Amore Dei.

De Fortitudine.

De Iustitia; vbi agit de Prælatorum cura.

De Obedientia.

De virtute, & vtilitate lachrymarum.

De Misericordia. — *De Virginitate.*

De Abstinentia, & Ieiunio.

De armis offensiuis, quibus dæmon Ecclesiam infestat; & imprimis,

De ipso dæmone, tractatum vnum in folio.

De carnis effectibus & ærumnis.

De mundi virtutibus, & fallacijs.

De Gula tract. — *De Luxuria, tract.*

De Auaritia, & eius effectibus.

De Otiositate, tract. — *De Superbia.*

Præter hæc, edidit quoque Laurentius.

Commentaria in psalmum 86. lib. 1.

Commentaria in psal 47.

Quadragesimalium concionum tomum vnum in 4o. impressum Compluti, anno 1607. Vallisoleti, & alibi.

Concionum de Sanctis, tomum vnum, in 4o. Batchinonæ anno 1610. Madriti anno 1612. & alibi.

Concionum de Sanctis, tomum vnum, in 4o Barchinonæ anno 1610. Madriti anno 1612. & alibi.

Concionum de Sanctis, tomum 2. Ibidem.

Concionum de Sanctis, tomum 3. Ibidem.

Atque hæc omnia varijs locis impressa esse, in folio, in 4o. & in 8o. testatur Henriquez in Phœnice. Imò addit Illustrissimus Angelus Manriquez, pleraque etiam in vulgarem linguam esse translata, & edita. Vide illum in serie Abbatum Hortensium, ad calcem tomi 2. Annalium suorum.

Insuper edidit *Apologiam pro litteris humanioribus*, impressam anno 1604. in 4o. Valentiæ, apud Petrum Patricium Merij *Saguntini belli librum vnum, carmine heroico*: Compluti in 4. anno 1587. & Madriti 1607.

Denique conscripsit & *Commentaria in Cantica Canticorum*, quæ per mortem impeditus vulgare non potuit. Sunt autem hæc commentaria, grauia, longa, & luce dignissima teste eodem Manriquez suprà: Qui proindè incuriæ, & oscitantiæ suorum adscribit, quod hæc hactenus edita non sint.

Opus suprà memoratum, de Hierarchiâ mysticâ Ecclesiæ, translatum in linguam gallicam, impressum fuit Parisijs anno 1611. typis Petri Cheualier, in monte S Hilarij.

Leander Bantius, vernaculè, vander Bandt, Flander, natiuitate Brugensis, Cœnobita monasterij de Dunis, vir ingenio summus, & scientiarum tam diuinarum, quam humanarum, refertissimum promptuarium.

Librum Reuerendissimi Caramuelis contra Ioannem Bargantinum. Lusitani Regni inuasorum, Hispanicè conscriptum, stylo elegantissimo Latinè reddidit, & im-

... imprimi curauit Louanij, typis Euerardi de Witte, anno 1642.

Exstat etiam M. S. eius *Opus epistolarum moralium*, in quibus multa acutè propotita, & solidè ... leguntur: cui operi lucem promittit ... Illustris D. Caramuel, in epistolâ ad doctissimum Anton. Dianam, quæ Louanij impressa legitur ad calcem libri Sancti Bernardi, de ... pro & dispensatione, ab eodem Caramuele ... illustrati.

Scripsit insuper Bantius, *Tractatum singularem, de Sacramento Pœnitentiæ.*

Item, *Volumen aliquot tractatus raros.* Quæ omnia M. S studiosè seruantur à memorato Reuerendissimo Caramuele.

Plura meditantem inuida stitit Parca, & vitam ... immaturè nimium abrupit Obijt in flore ætatis, anno 1644 Gandaui vbi sepultus iacet in templo sanctimonialium Cisterciensium de Oosteeclo.

Leonardus Remborvicki, nobilis Polonus, Pelplinensis monasterij in Prussiâ dignissimus Abbas, & vniuersi ordinis Cisterciensis, per regnum Poloniæ, & Prussiam Visitator generalis; ... à longè ... (in originibus) *Doctrina ... scriptis libris, Nobilis.* Quid tamē scripserit, non exprimit, nec ego ob loci distantiam, & ... orum Germanicorum tumultus, addiscere potui.

Ioannes Ægidianus, vernaculè, Gillis, religiosus B. Mariæ de Baudelo, Gandaui, edidit ibidem linguâ vulgari, *diuersa opuscula ascetica*, quibus (iudice Ant. Sandero, libro de Gandauensibus eruditionis fama claris) benè de Ecclesia meritus est.

Transtulit & in linguam Flandricam, sermones ... Sancti Bernardi in Cantica Canticorum, imprimique curauit Gandaui anno 1626. typis Ioannis vanden Kerchoue. Item *tractatum de 6. alis Seraphim*, typis Alexandri Serfandri, Gandaui,

Liber Vsuum, seu, Rituum ordinis Cisterciensis, iussu Capituli generalis, olim per quendam eiusdem ordinis monachum compilatus, & typis excusus, nunc iterum, anno 1628. recusus fuit Parisijs, vnà cum *Vsibus fratrum Laicorum*. per Ioannem Heuqueville. Exstat hic liber etiam Gallicè & Flandricè impressus, charactere antiquo; Gallicè illum reddidit Nicolaus Marescal, Abbas Loci Dei, qui vixit anno 1570.

Liber de prospero, & aduerso statu ordinis per formam Dialogi conscriptus, per quendam ordinis eiusdem religiosum anonymum (quem sæpius citat Perillustris Manriquez, tam in serie Abbatum Cisterciensium, quam sparsim in Annalibus suis) prodijt circà annum 1484. seruaturque Cistercij, in Claravalle, & alibi. Vide Manriquez suprà, tomo 2. ad ann. 1168. cap 5 n. 3. vbi scribit, Authorem huius libri fuisse virum grauem, & doctum, & antiquitatum Cistercij longè peritum. Videtur hic liber scriptus contra librum Matthæi Pillaert Abbatis Claræuallensis, quem inscripserat, *Speculum exaltationis, & depressionis, ordinis Cisterc.* &c Saltem author huius, *De prospero & aduerso statu*, parte 2. cap. 6. acriter in illum, eiusque authorem inuehitur, quem tamen alias ab eruditione & pietate commendat.

Loci Sancti Bernardi ad Scaldim, in Brabantiâ, religiosus quispiam (nonnunc communitatis sui monasterij, ciuitatis Antuerpiensis, & singularum Ecclesiarum eiusdem vrbis) edidit anno 1635. *Libellum insignem congratulatorium, in inaugurationem Perillustris, Eximij, ac Reuerendissimi Domini Gaspparis Nemij, Antuerpiensis Episcopi (eoque titulo, Abbatis Loci Sancti Bernardi) vario carminum genere refertum*: opusculum sanè, non minus ingeniosè, quam laboriosè, stylo eleganti & fluido conscriptum; typis Guilhelmi Lesteni, in 4°. Antuerpiæ, anno iam dicto.

Longipontis cænobij Prouisor, cognomine Muldrach,

via

...rum, humanarumque scientia- ... instructissimus; sacrorum praesertim bi- ... scrutator diligens, & concionator ad- ... & vitae sanctimonia nomina- ... Qui verborũ suorum efficacia, virtu- ... fragrantia, ac sanctae conuersationis ex- ... innumeras animas ad aeternae salutis ... reduxit; & prudentissimi Hispaniarum Re- ... Philippi II. aliorumque virorum Principum animos voluntatesque adeò sibi deuinctos ha- ..., vt quidquam maioris momenti eo incon- ... peragere, irreligiosum esse putarent. Te- ... huic doctissimae illius litterae (etiamnum ...) quas ad diuersos Ecclesiarum Praela- ... summae nobilitatis viros, consilium & auxilium eius postulantes, destinauit. Testa- ... quidem authoritatem, verborum- que efficaciam, celebre Cisterciense collegium, quod in Complutensi Academia, pro religiosis congregationis suae, felicissimis auspicijs ipse fundauit, & regendo promouit.

Denique testatur, & religiosa Societas Iesu ... cuius Patres Caesar-Augustâ exclusos, ... à concione ad populum, & maiores ciuita- ... restitui procurauit. Extat etiam cum ... sancti opusculis, elegans epistola in ... Sancti Ignatij ad filios orphanos, vniuer- ... Societatem scripta, digna verè ... Annalibus eiusdem Societatis inseretur. ... venerabilis Ludouicus anno 1581. 4. no- ... , sepultus Horrae, infrà gradus sacelli ..., sub modesto hoc epitaphio. *Frater Lu- ... de Estrada, huius sacri cœnobij Monach..., & Abbas, sacrorum bibliorum scrutator diligens, & ad- mirabilis praedicator. Obijt 4. nonas Iunij, anno 1581.* Adscripsit virum Chrysostomus Henriquez Menologio Cistercienfi, eadem die ipsum- que memorant debitâ cum laude, Petrus Gazolarius, & Nicolaus Orlandinus, autho- res Itali; Aubertus Miraeus, Belga, Carolus de Iapia, Hispanus; & alij plures.

Scripta eius recenset in Phœnice Henri- quez, sequentia:

In Regulam Sancti Benedicti libros decem, excusos in folio.

Epistolarum ad diuersos, librum vnum.

Sermonum de Sanctis, tomum vnum.

Sermonum de Tempore, tomum alium.

De modo recitandi rosarium B. Virginis, lib. 1. impressum in 16. Compluti, anno 1570. Barchi- nonae Madriti, & alibi saepius.

De Laudibus Sancti Eugenij, Toletani Episcopi, & de corporis ipsius ad vrbem Toletanam translatione, lib. 1. Excusum Toleti, anno 1178.

Apologiam pro religiosis Societatis IESV, *lib. 1.*

Epistolam ad eosdem, post obitum Sancti Ignatij, Fundatoris eiusdem Societatis IESV, quae extat excu- sa Hispanicè, Italicè, & Latinè.

Ludouicus à S. Malachia, congregationis B. Ma- riae Fuliensis, scripsit

Librum de origine & progressu dictae congregatio- nis. In quo libro, mira habet de feruore pri- morum monachorum huius congregationis. Item,

Vitam B. Ioannis Barrerij, fundatoris eiusdem. Henriquez in Menologio 28. Aprilis, & alibi. Edidit & *librum piorum carminum, Clementi 8. Pontifici dedicatum, & plures alios libellos spirituales.* Relatio PP. Fuliensium ex Vrbe transmissa.

Ludouicus de Meaune, natione Andegauensis, in cœnobio Clarimontis, Cenomanensis Dioe- cesis, monasticae pietatis cultum complexus est circà annum Domini 1530. *Is studiosè collegit, ac posterorum memoriae tradidit, sermone patrio, Genea- logiam illustrissimae domus Lauallensis, atque necessi- tates arctissimas, & affinitates, quas maritali nexu, cum diuersis nobilissimis familijs contraxit.*

Idem, *Praedictorum Comitum Lauallensium res gestas eleganti stylo conscripsit*, incipiens à Guidone I. (qui tanti fuit nominis apud suos, vt omnes deinceps

Commentaria perpetua, in omnes epistolas Sancti Pauli Apostoli.

Item, *In duodecim Prophetas minores. Et multa alia*; teste Henriquez in Phœnice.

Ludouicus de Ribera, Hortensis monasterij nobilis planta, vir fuit raræ pietatis doctrinæ & industriæ excellentis, adeò vt duabus vicibus regimini monasterij sui adhibitus, summam indè laudem, nominisque claritatem consecutus fuerit.

Scripsit *Elogia docta Sanctorum, quorum Reliquiæ in Hortensi cœnobio quiescunt, librum vnum.*

Collationes etiam Patrum à Ioanne Cassiano conscriptas, ex Latinis hispanicas fecit. Viuebat anno Domini 1590.

Ludouicus Seloerus, Prior cuiusdam monasterij Ordinis Cisterc. in Germania, Scripsit,

Explanationes Librorum Boetij, de consolatione Philosophia.

Item, *Collationes super Euangelia.*

Glossam super Pater noster.

Extant hęc omnia simul in folio compacta in Bibliothecâ Augustanâ, teste Eliâ Ehingero, Bibliothecario Augustano, in suâ Bibliothecâ, excusâ Augustæ Vindelicorum, anno 1633. typis Ioannis Prætorij. in fol. pag. 722. titulo, libri Poëtici in folio.

Ludouicus Talesius, religiosus Claromariscensis in Belgio, sacris Virginibus in Viridario, iuxta Osyacum, à cōfessionibus; edidit librum, Attrebati impressum, cui titulus: *Ad pœnitentem, recensque confessum, exhortatio.* Valerius Andreas in bibliothecâ Belgicâ Ant. Sanderus suprà in descriptione Clarimarisci, hunc vocat *Ioannem de Taillu*. sed perperam, vt docuerūt me Claromaristenses. Scripsit prætereà Ludouicus, libellum alium quem inscripsit, *Epistola Christiana Ludouici du Taillijs, continens doctrinam catholicam & salutarem, de contemptu mundi, perutilis & propria omnibus fœminis & filiabus, per Religiosa vota Deo consecratis, inscripta Dominæ Ioannæ Maugrè, Abbatissæ in Virgulto, &c.* Impr. Duaci anno 1569. typis Ludouici de Winde. in 8.

Prior etiam libellus, exhortatorius ad pœnitentiam, 2. habuit impressionem, Duaci, 1570. apud eundem de Winde.

Lupinus le Myre, Claræuallensis Abbas, à Seguino in bibliothecâ, scriptoribus ordinis adnumeratur; sed immeritò; quia ipsemet fatetur, se nescire vtrum aliud scripserit, præter aliquot *Chartas visitationis*, quas in diuersis monasterijs à se visitatis, confecit, ibidemque reliquit: sicuti omnes Abbates facere consueuerunt in visitationibus tam monialium, quam monachorum; qui tamen idcircò non adnumerantur scriptoribus.

Lupus Galecus, Hortensis quoque monasterij religiosus, regularis obseruantię zelosus, solitudinis & quietis monasticæ amicus, silentij tenacissimus, nec non & diuinarum litterarū scientiâ satis imbutus fuit. Hinc, cum Hortensi monasterio collata fuisset Ecclesia Sanctæ Mariæ de Montesinos (frequentibus miraculis illustris, quæ ad B. Virginis inuocationem ibidem in dies operatur Deus) vt pro maiori Virginis cultu, Prioratus ibidē ordinis nostri erigeretur; inter primos eò destinatus fuit *Lupus* noster, vbi diu etiam substitit, cum rarâ pietate, & populi concurrentis ædificatione. Scripsit

In *Orationem Dominicam, Libellum*, mole quidem exiguum, at spiritu eximium.

Chrysostomus Henriquez in Phœnice reuiuiscente.

M.

Mabilliotus, Monachus de Laneyo, in Picardiâ, scripsit *Insigne Chronicon, ab anno* 1100. *vsque ad annum* 1450 Item, *Historiam, monasterij sui.* In quâ, multâ habet curiosa, ad statum Picardiæ spectantia.

Malachias, Campi Liliorum religiosus, ibidemque S. Theol. Professor, *nouam meditatur editionem operum Sancti Bernardi, collegitque ex varijs Bibliothecis, quibus multa correxit, & etiam auxit, habebatque anno 1648. plus quam 5000 folia nunquam edita*, sicut mihi scripsit Perillustris & Eximius Dominus Caramuelius, litteris datis Pragæ 8. Februarij 1648.

Malachias de la Vega, Ordinis S. Bernardi, in Hispaniâ, scripsit *Chronicon Iudic. Castella.* Citatur à Francisco de Ouedo, in epistolâ dedicatoria præfixa tractatibus Theologicis 1. 2. diui Thomæ correspondentibus. Apud Caramuelem, in Theologiâ fundamentali 1. fundamento 22. n. 466. fol. 202. editionis Francofurtensis, anni 1652.

Marcus de Villa alba, Montis Sion in Hispania religiosus, pietate & religione præcipuus, nec minus variarum disciplinarum scientia excultus, qui varijs ordinis functionibus tanta industria & prudentia perfunctus est, vt vniuersæ congregationi meruerit præfici: quo in munere, tanto virtutum & prudentiæ fulgore resplenduit, vt etiam intimum affectum Philippi II. Hispaniarum Regis sibi conciliauerit; qui Abbatiam Fiterienſem in Nauarra vltrò ei contulit: quam domum in vtroque statu, temporali & spirituali, ita promouit, vt nomen suum in æterna ibidem benedictione reliquit. Obijt summo omnium mærore, anno 1590. Cuius corpus, septimo post obitum anno (teste Henriquez in Phœnice) tam integrum & incorruptum inuentum fuit, ac si pridiè solum tumulo datum fuisset.

Lucubrationes eius exstant sequentes:

In Isaiam Prophetam, libri decem.

Annotationes eruditæ in constitutiones congregationis Hispanicæ ordinis nostri.

Liber excusus est Salmanticæ, apud hæredes Matthiæ Gastij, anno 1584.

Epistola consolatoria ad Philippum II. Regem Hispaniarum, classe nauali, quam in Angliam miserat, dispersa, & vi ventorum disiecta.

Excusa Salmanticæ in 4. ann. Domini 1588.

Maria de Fruhe, Abbatissa de Paraclito, propè Ambianum, conscripsit & edidit *Libellum egregium, de regimine monialium, & Abbatissarum.* Relatio Eximij Domini Claudij Chalemot.

Marinus, monachus Cisterciensis Italus, scripsit *Sermones de Tempore, & de Sanctis, inter quos sunt quidam de Natiuitate B. Virginis.* Syluester Maurolycus, maris oceani lib. 2. & Montalbus lib. 2. cap. 33.

Marquardus, monachus celeberrimi cœnobij de Waldsassen, in Bauariâ, diœcesis Ratisbonensis, eloquentiâ nobilis, apostolicâ doctrinâ insignis, princeps suæ ætatis Philosophorum, & poëta grauis (teste Guillielmo Eisegrenio, in catalogo Doctorum orthodoxorum) edidit *insigne opus, 3. concionum moralium*, quod Othoni Herbipolensi Episcopo inscripsit. Item alium *librum, de doctrina euangelicâ.*

Scripsit & tertium librum, ad Eberhardum de Mosbach, Canonicum & Plebanum Ecclesiæ maioris Herbipolensis.

De vita contemplatiua. Quem librum absoluit anno 1360.

Marsilius Vasquez, Toletanus, S. Theologiæ Doctor excellens habitum Cisterciensem suscepit Romæ in monasterio SS. Vincentij & Anastasij ad aquas Saluias, anno 1579. professionem emisit Florentiæ in cœnobio Cistelli: philosophiam & theologiam diu docuit in nostris Tusciæ Prouinciæ monasterijs, ac postmodum etiam publicè, Florentiæ & Ferrariæ:

Fuit & theologus Archiepiscopi Florentini, ac sancti officij consultor nec non & theologus Ferdinandi primi, magni Etruriæ Ducis, & inter sui sæculi theologus summæ opinionis. Scripsit plura ac præclara opera, quibus lu-

culentum doctrinæ ac ingenij sui specimen edidit. *Commentaria in Aristotelis philosophiam, tom. 8.*

In Ethica Aristotelis nobile Commentarium.

In summam diui Thomæ Aquinatis, tomos 10.

De Auxilijs, librum vnum, ad Clementem Papam VIII. Quem librum scripsit ad instantiam Hippolyti Massarini, Theologi clarissimi, & posteà Episcopi Montis Pelusij, dum nimirum Romæ feruentissimè agitarentur quæstiones de diuinis auxilijs, fuitque idem liber tunc laboranti Theologorum Senatui sub implicatissimis difficultatibus, magno vsui. Vide Vghellum Italiæ sacræ, tom. 1. inter Episcopos montis Pelusij, fol. 1073. Obiit autem Massilius, Florentiæ in monasterio Cistelli, Abbas titularis S. Luciæ, Diœcesis Florentinæ, anno 1611. *Plura alia egregia opuscula de diuersis materijs, posteritati relinquens.*

Martinus à Fonte, Hortensis monasterij religiosus, pius & doctus, ordinisque sui amator tenerrimus; ad cuius proinde illustrationem & conseruationem, conscripsit sequentes tractatus, Salmanticæ iunctim excusos anno 1586. apud Ioannem Fernandez.

De Officialibus monasterij, Sacrificio missæ, & horis canonicis.

De modo legendi horas Canonicas Dominicis diebus & ferijs totius anni.

De Sanctis, siue de modo legendi officium, in solennitatibus Sanctorum.

De signis, quibus monachi vti debent, in locis & horis silentij.

Obiit ipse anno salutis humanæ 1595, in monasterio Sancti Claudij, in Galetia.

Martinus Polonus, professione monachus Cisterciensis, dignitate Archiepiscopus Consentinus, in regno Neapolitano, & Pœnitentiarius Innocentij IV, Pontificis, scripsit *Chronicon, quod Martinianum vocatur, à condito mundo vsque ad sua tempora in quo breuiter, res gestas Pontificum & Imperatorum persequitur vsque ad Honorium IV.* qui sedere cœpit ad annum 1285. fuit (iuxta Bellarminum de scriptoribus) vir simplex, qui ex simplicitate, multa fabulosa chronico suo inseruit, nominatim fabellam de Ioannâ Papissâ, quæ à Bellarmino, Baronio, alijsque plurimis orthodoxis scriptoribus, neruosè confutata, & explosa est.

Confundunt nonnulli hunc Authorem cum alio Martino Polono, ordinis Prædicatorum (qui scripsisse legitur conciones de tempore & de Sanctis, ac quædam alia) sed diuersos fuisse, benè ostendit Gaspar Iongelinus, in Purpurâ Sancti Bernardi, de Archiepiscopis Italiæ. Quamquam hic scriptor in eo etiam fallatur, quod Martinum nostrum obijsse dicat an. 1250 cum tamen Bellarminus loco citato asserat, illum produxisse chronicon suum vsque ad tempora Honorij IV. Pontificis. Id quod etiam (ante Bellarminum) tenuit Seguinus in Bibliothecâ sua Cisterciana M.S. Vide de hoc Martino, etiam Arnoldum Wion, lib. 2. Ligni vitæ, Guillielmum Eisegrenium, Posseuinum, Iacobum Græcum, & Montalbū lib. 2. cap. 31. Imò, hunc etiam fuisse Cisterciensem, disertis etiam verbis asserit Polydorus Virgilius de Inuentoribus, lib. 4. c. 7. vbi ait: *Et Franciscus Zabarellus, ex testimonio Martini Cisterciensis hi floruit, qui Innocentio IV. Pontifici æqualis fuit, &c.* Martini huius chronicon impressum fuit Antuerpiæ, anno 1574. cum annotationibus Petri Suffridi. Prodijt etiam gallicè Parisijs, in folio, per Antonium Verard, vt scribit Ant. du Verdier, in suâ Bibliotheca gallicâ. Reperitur & manuscriptum Louanij, in Valle Sancti Martini; & apud PP. Societatis Iesu: Antuerpiæ, in Bibliothecâ publicâ: Brugis, apud Oliuerium Tredium: Et Tornaci, in Bibliothecâ Ecclesiæ Cathedralis, in duobus exemplaribus; vbi etiam extat gallicè, cum continuatione quadam vsque ad annum 1342. Reperitur

...etiam Parisijs apud Gabrielem Manderum in membranis exaratum, valdè diuersum ab impresso, in quo nulla fit mentio Ioannæ Papissæ, teste Labbæo in Bibliotheca noua, supplem, 5.

Martinus Scotus, ordinis Cisterciensis, doctrinâ & vitæ sanctimonia clarus (apud Ant. Sanderum in bibliotheca M.S. Belgica) *inscribitur author cuiusdam chronici*, quod habetur in antiquo M.S. codice monasterij Vallis Sancti Martini, Louanij. Credo tamen hunc esse eundem cum præcedente *Martino Polono*, qui ab aliquibus cognominatur *Polonus*; ab alijs *Scotus*, à patriâ scilicet, aut à cognomine. Certè, Henriquez in Menologio 8. Augusti, eundem esse supponit; prout etiam faciunt, Iacobus Philippus Bergomensis, in supplemento suo, lib. 3. & Hermannus Schedel, in suo Registro totius orbis, vbi illum specialiter vocat, *Martinum Scotum, ordinis Cisterciensis religiosum*, asseritque fuisse virum magnæ doctrinæ, & singularis vitæ, & scripsisse historiam, quam Martinianam vocant, &c. Vide Menologium loco citato & Demsterum, qui contendit hunc est diuersum à priore.

Porro Philippus Seguinus suprà, huic etiam Martino nostro attribuit opera sequentia:

Tabulas super totum Decretum, quæ communiter vocantur, margarita decreti.

Chronicon Imperatorum.

Sermonum de tempore, librum vnum.

Sermonum de Sanctis, librum vnum.

De diuersis miraculis, lib. vnum.

Et alia plura. Verum, vtrum hæc omnia, vel saltem pro parte, non sint Martini Poloni Archiepiscopi Gnesnensis in Polonia, ordinis Sancti Dominici, plurimum dubito, maximè quia nullos alios authores legi, qui hæc opera nostro Martino tribuant. Quare veritas penes Seguinum sit, scriptorem alias satis exactum, & veridicum.

Martinus de Vargas, natus in regio Castellæ, ciuitate Xerez de la Frontera, Iuris vtriusque Baccalaureus in iuuentute creatus, habitum religionis nostræ assumpsit in monasterio de Petra apud Celtiberos; vbi tam in litteris, quam pietate, tantum profecit, vt ad Academiam transmissus, etiam S. Theologiæ doctoralem Lauream meruerit: Postmodum autem primorum Patrum Ordinis nostri rigorem æmulatus, associatis sibi aliquot eiusdem zeli religiosis, authoritate Pontificia, cœnobium Montis Sion prope Toletum fundauit, vbi & fundamenta iecit celeberrimæ congregationis regularis obseruantiæ, ordinis nostri, quæ modò per Castellam, aliaque vicina regna latè extensa, plurimos in dies viros doctrina & sanctitate celeberrimos producere non cessat.

Scripsit autem Martinus, huius congregationis Leges, seu constitutiones, quæ à Martino Papa V. anno 1425. approbata, etiamnum sanctè obseruantur. Videatur Barnabas de Montalbo, tomo 1. chronicorum, lib. 5. cap. 42. vbi huius Martini vitam fusè describit. Vide & Chrysostomum Henriquez in Menologio, 6. Aprilis.

Matthæus Monachus Aulæ Regiæ, iuxta Pragam Bohemiæ Metropolim, vir in disputando subtilis, & acris, cum Ioanne Hussio Pragensi hæresiarcha sæpe congressus, eum cum omnibus sectatoribus suis frequenter confudit; quo facto eosdem ita exacerbauit, vt vnanimiter in mortem eius conspirarent. Sed hic furori illorum cedens, in Germaniam ad monasterium Veteris Cellæ se contulit, in quo reliquum vitæ peregit; fratres assidua sacrarum scripturarum lectione instruendo.

Scripsit *Lecturam scholasticam in omnes psalmos* satis laudandam, teste Sixto Senensi in bibliotheca sacra:

Commentaria item docta in magistrum Sententiarum.

Commentaria in Euangelium Sancti Matthæi. Et in hymnos Ecclesiasticos.

Guil-

Matthias Agricius, Græcè, Latinèque eleganter eruditus, Iuris vtriusque Licenciatus, *multa [illegible] claris sacerdos*, postquam Coloniæ Agrippinæ diu docuisset, vitæ solitariæ desiderio tactus, Hemmenrodense Treuirensis Diœcesis monasterium petijt, vbi reliquum vitæ peregit, religiosum indutus habitum, vt quidam referunt, licet alij velint mansisse solummodò oblatum, seu donatum, quod parum refert. Non neglexi tamen etiam huius rei veritatem literis inuestigare; at eam assequi non potui. Scripsit autem Matthias carmine, *Opus insigne & amplum, sub hoc titulo: Monasterij Hemmenrodensis antiquitatum monumenta*. In quo (inter alia) continentur vitæ diuersorum monachorum & conuersorum, qui in dicto monasterio sanctitate illustres floruerunt, nominatim *Vita beati Dauidis, discipuli S. Bernardi, & postea religiosi Hemmenrodensis*. Ex[illegible] M.S. in Hemmenrode Vita autem [illegible] Dauidis, legitur etiam oratione soluta, latinè & gallicè impressa, vt supra notauimus, verbo, *Hemmenrodensis monachi anonymi, &c.* Floruit Agricius circa ann. 1570.

Matthias Lamberti, Tudiniensis, Prior Alnensis monasterij, scripsit Gallicè *Commentarium regulam S. Benedicti*, editum Leodij typis Henrici Houij, anno 1596. Item, *tractatum de periculo conuersationis virorum cum mulieribus*: ibidem.

Matthias à Malmundario, Abbas Aureæ vallis, in Ducatu Luxemburgico; vir in litteris tam sacris, quam humanioribus, nobiliter eruditus, [illegible] graui conscripsit *Historiam Comitum Chinensium (Ciny.)* Quod opus, non sine historicorum [illegible] M.S. in Aurea valle premitur. Obijt anno 1555.

Mauritius Somersetus, natione Anglus, professione monachus monasterij Fordensis, Oxoniæ liberalibus artibus operam dedit (teste Lelando) do, & post annos plures in studijs vtiliter illic collocatos, ad confratres suos reuersus, talentum quod acceperat, liberaliter erogauit docuitque prædidicerat, ad communem omnium vtilitatem. Valuit autem oratione tum soluta, tum vincta, iucunda plerumque miscens serijs, quo erat ingenio. Virtutum & eruditionis intuitu, electus fuit in Abbatem Fontanensem: quam prouinciam sibi impositam, cum honore, & dignitate sustinuit. Tandem tamen quietus & studiorum magis quam honorum cupidus (vt inquit Hugo Kirchostallensis) curam resignauit Thoraldo monacho, de quo inferius. Quæ scripsit, pleraque Reginaldo Episcopo Bathoniensi dicauit; inter quæ referuntur à Pitsæo, & Chrysostomo Henriquez.

De schemate Pontificali, lib. 1.

Epigrammatum, & aliorum carminum, lib. 1.

Et alia nonnulla. Vixit anno 1193. regnante apud Anglos, sed militante apud Syros Richardo 1. Vide de hoc etiam Harpsfeldium, historiæ Anglicanæ, sæculo 12. cap. 30. circa finem.

B. Mechtildis Virgo, quam Barnabas de Montalbo tomo 1. chronicorum, lib. 2. cap 40. & Henriquez in Menologio, monialem scribunt fuisse Cistercienſem; Virgo fuit plurimis cælestibus visionibus, & spiritualibus gratijs à Deo præuenta, quas ipsamet scripto mandauit, linguâ vulgari, quæ postmodum in Latinam translatæ, & in 5. libros distributæ, impressæ fuerunt Parisijs anno 1513. typis Henrici Stephani, in libro de tribus Viris, & tribus spiritualibus Virginibus, edito operâ & studio Iacobi Fabri, S. Theologiæ Doctoris: qui tamen in epistola dedicatoriâ, specialiter notat, interpretem Latinum non benè fuisse assecutum spiritum Virginis, & interdum nonnulla de suo admiscuisse.

Idem libri posteà in gallicum idioma conuersi ex latino, per Iacobum Fellage theologum nuper

nuper anno 1625. prodierunt iterum Parisijs typis Micahelis Solly.

In quo tamen opere, scribitur Mechtildis, siue Mathildis hæc fuisse monialis ordinis S. Benedicti, in monasterio de Helfede, in Islebio, Comitatus Mansfeldensis ibidemque floruisse anno 1300. Id quod etiam asserit Miræus, libro de Scriptoribus ecclesiasticis, cap. 466. secutus Balthazarum Werlinum Colmariensem, qui in appendice ad librum Ioannis Trithemij, de scriptoribus, idipsum iam anteà scripserat. Quia tamen nec hic, nec alij iam citati, opinionem suam vlla (saltem probabili) ratione, aut alicuius antiqui scriptoris authoritate stabiliunt; indicaui nullatenus à Montalbo, & Henriquez esse recedendum donec certius aliquid in contrarium adferatur: maximè, cum etiam ipse Iacobus Faber, vir doctissimus, & Werlino multò celebrior, scribat, *se arbitrari. Machtildem hanc fuisse ordinis S. Bernardi siue Cisterciensis*, & intellexisse ex Beato Rhenano, illam habitasse non in Comitatu Mansfeldico, sed circà montes Rhetios, versus Heluetios. Proferam in curiosi Lectoris grauam, propria authoris verba, desumpta ex epistola ipsius ad Machardum de Hatstein, Moguntinensis Ecclesiæ Canonicum, &c. præfixa libro prænominato, de tribus Vitis, & tribus spiritualibus Virginibus; *Me.hildis*, inquit, *quæ fuerit. facta diligenti, multaq; indagine, neutiquam adhuc agnoscere vacui, quænam ea fuerit, cuius religionis, & in quo cœnobio diuersata. Scripsit tamen ad me Beatus Renanus, quem super ea re epistolio consulueram, intellex sse se, eam fuisse Germanam, & circa Mo tes Rhetios habitasse, vergendo ad Heluetios, vnamque de filiabus alicuius Comitum fuisse, atque in illis locis coli memoriam eius, & sacrum obtinere sacellum. Arbitror. eam ordinis Beati Bernardi fuisse.* Hæc faber. Cuius opinionem plurimum confirmat codex antiquus manu-scriptus bibliothecæ cœnobij Consendoncani, in Brabantiâ, in quo continetur insigne compendium librorum spiritualis gratiæ B. Mechtildis, sub hac inscriptione: *Excerpta ex libro venerabilis Machtildis Virginis, ordinis Cisterciensis.* Incipit: *Ancillæ Christi moris erat.* &c. Vide ad finem catalogi librorum eiusdem cœnobij, littera V. apud Ant. Sanderum parte 2. bibliothecæ belgicæ M.S. Accedit quod eadem Virgo in scriptis suis, nullum ordinem ita commendet & extollat, ac ordinem Cisterciensem. Vide caput 51. lib. 1. Spiritualis gratiæ. Porrò, Ferdinandus de Castillo, (apud Montalbum suprà, cap. 41.) mentionem facit cuiusdam Sanctæ Mechtildis, quæ vidit Sanctum Thomam de Aquino, & fratrem Albertum ante thronum Dei, & multos Angelos qui eos comitabantur. Verum, vtrùm hæc Mechtildis eadem sit cum præmissa, non ausim definire. Certè Montalbus eandem videtur existimasse; Henriquez vero diuersam, Vnde Menologio suo adscripsit duas huius nominis moniales Cistercienses, priore 25. Februarij, posteriorem 2. Decembris.

B. *Melchiades religiosus Claræuallensis.* Sancto Bernardo ob exactam religionis obseruantiam, & vitæ sanctitatem admodum charus, natione fuit Scotus, & doctrina celebris, vt patet ex Libro quem scripsit.

De legitimâ Petri Cathedra, contra schismaticos teste Demstero in historiâ ecclesiasticâ gentis Scotorum, verbo N. n. 870. apud Ludouicum Iacob Carmelitam, in Bibliothecâ Pontificiâ Lugduni edita anno 1643 lib. 2. Vbi asserit quoque obijsse Melchiadem hunc in Claraualle, anno 1110. Andreas du Saussay illum supplemento Martylogij gallicani adscripsit, ad [illegible] Nouembris his verbis: Ipsomet die, apud Claramvallem Sancti Melchiadis monachi, socij Sancti Bernardi. Existimo autem huius Melchiadis esse vitam, quam Sanctus Bernardus

dicitur

dicitur scripsisse, & extare M. S. Cantabrigiæ, in Bibliotheca Sancti Benedicti, volumine 363. n. 1. non autem Melchiadis Papæ, vt vult citatus Author Bibliothecæ Pontificiæ, suprà. Addit Demsterus (etiam suprà) Gentem Scoticam nō tulisse sanctiorē hoc Melchiade. De eodem etiam agit Hector Boëtius, lib. 12. hist. Scotorum, pag 264.

Michël Aparicius, religiosus & postmodum Abbas dignissimus monasterij de Veruela, in Hispania; vir fuit pietati & studijs impensè deditus, qui *plura non contemnenda reliquit doctrinæ suæ monumenta*, quæ tamen adhuc manuscripta in cœnobij bibliotheca latent. Præ cæteris autem commendari solet, tanquam luce dignissima *Summa quædam de Sacramentis*. Henriquez in Phœnice, & Montalbus hist. parte 1. lib. 2. cap. 33.

Michael Guerra, religionem amplexus in monasterio Saltus noualis, eandem nominis sui perpetuitate honorare conatus fuit, conscripto insigni libro.

De modo adiuuandi moribundos. Quem edidit Vallisoleti anno 1604. in 4o.

Michael Perez de Heredia natione Hispanum patria Arragonensis, è Darocâ ciuitate oriundus, vir multæ experientiæ, & eruditionis solidæ habitum ordinis assumpsit in Vallis Paradysi, Hispaniæ monasterio, cui postea Abbas præfuit, magna pietatis & prudentiæ laude. Fuit theologus solidus, & concionator excellens, vt sufficienter probant conciones eius typis excusæ fœliciter.

Quadragesimalium concionum, liber vnus, in 4o. apud Viduam de Cusio, anno 1613. Et *Concionum de Sanctis, tomus alter*, in 4o. Salmanticæ apud Ant. Ramirez anno 1609. Edidit etiam, *Librum insignem, de fuga, B. Virginis in Ægyptum*, Madriti anno 161, in 8o. & Cæsar-Augustæ, anno 1615. Florebat adhuc anno 1626. Henriquez in Phœnice reuiuiscente, Et Hippolitus Maraccius, in Bibliothecâ Marianâ.

Michael Schnabel, Austriacus, religiosus & Abbas Sanctæ Crucis in Austriâ, S. Theologiæ Doctor, & ordinis Cisterciensis per Austriacas ditiones, Austriam, Stiriam, Carinthiam, &c. Commissarius generalis; vir non minus religionis zelo feruens, quam doctrinæ splendore clarissimus, scripsit *Historiam sui monasterij exactissimam*, in qua plurima habentur singularia, de Marchionibus & Archiducibus Austriæ, alijsque familiis nobilibus eiusdem patriæ. *Scripsit & historias plurimorum aliorum monasteriorum ordinis Cisterc. in iam dictis dictionibus suæ commissionis existentium* quas posteà Coloniam transmisit Gaspari Iongelino, qui easdem anno 1640. ibidem publicauit, in notitia Abbatiarum ordinis Cisterciensis. Porrò maiora ab ingenio, & doctrina viri huius expectantur. Intelligo illum adhuc videre hoc anno 1649. Cæterum, abundat etiamnum hoc S. Crucis monasterium viris doctis, & in omni scientia exercitatis, quorum ibidem præclaræ latent Lucubrationes manuscriptæ, quarum notitiam bellorum turbines nobis impediuerunt.

Michael Smalfeldius, monachus Cisterciensis Anglus in Bellensi South sexię cœnobio: vir cui pietas & eruditio famam clarissimam conciliauerunt, quam vt posteris etiam testatam faceret, opus quoddam edidit, argumentis plurimis tum, pietatis, tum doctrinæ refertum, vt Lelandus testatur. Operi titulus fuit: *Christiana doctrina summa*.

Quid aliud scripserit, in obscuro est, vti etiam, quo anno vixerit Author. Pitsæus in appendice ad librum suum de scriptoribus Angliæ, centuria 3. nu. 50.

Monachi cuiusdam anonymi ordinis nostri, Tractatus de vita Christi, metrice, cum aliis multis carminibus de diuersis materiis artificiose confectis. Ac

Tractatus de 6. mundi etatibus, quem Author Veridicum inscripsit, extant M.S. in monasterio nostro de Dunis.

Monachi alterius, explicatio hymnorum, ordinis Cisterciensis, extat in Villario.

Monachus item anonymus ordinis nostri, scripsit (attestante Seguino in bibliotheca) librum de Spiritu & Anima, *quem nonnulli S. Augustino adscribunt, vt videre est apud S. Thomam, opusculo 72. Hæc totidem verbis Seguinus suprà, littera M. numero 5. penes quem huius assertionis fidem relinquo, qui nullum alium profitetur Authorem.*

Monachus anonymus 4. scripsit librum *de arte conscribendi epistolas secundum formam ordinis Cisterciensis*, cuius initium est. *Cum viderimus varios modos, &c.* Reperitur in bibliotheca Caroli loci. Seguinus suprà, num. 15.

Monachus 8. *anonymus*, Scripsit *in 4. libros Sententiarum* Quod opus Bunderius reperit apud Minores Sluitenses. Libri 1. hoc erat initium: *Quoniam secundum doctrinam Philosophorum (vel, Hylarij, &c.* non enim legere potui) 2. lib: *Circà primum 2. quæro, vtrum quæcunque entitas finita sit. 3. Circa 3. librum Sententiarum, quæro, vtrum mors Christi, vel Incarnatio, &c. 4 Quia dictum est in collatione, quod Sacramenta &c.*

Monachus anonymus 6. vt (apparet Belga) *scripsit vitam Beatæ Idæ de Levvis, monialis Cisterciensis in Rameia, Brabantiæ monasterio, miraculis & spiritu prophetico claræ.* Extat impressa opera Chrysostomi Henriquez, in libro cui titulus: Quinque prudentes virgines ordinis Cisterc. Edidit eandem etiam gallicè Ioannes d' Affligny, tomo 2. de vitis personarum illustrium ordinis nostri.

Monachus Hybernus, ordinis nostri, anonymus. scripsit *Vitam Beati Gelasij*, Abbatis eiusdem ordinis, sanctitate illustris, qui obijt anno Domini 1570. Vita hæc à monachis ordinis nostri in Hybernia adhuc seruatur, cuius compendium indè transmissum fuit Chrysostomo Henriquez, vt ipse refert in Menologio Cisterciensi, 10. Martij, quo die memoriam Beati Gelasij recolit.

Alius eiusdem Insulæ monachus, scripsit *Vitam admirabilem Beati Marnochij, monachi sanctissimi*, qui requiescit in cœnobio Beatæ Mariæ iuxta Dublinum. Seruatur etiamnum à Monachis ordinis nostri Hyberniæ, ex qua plura fragmenta aliàs sibi transmissa fuisse à R. Patre Malachia Atry, testatur Henriquez in Menologio 30 Decembris.

Monialis quædam (cuius nomen ignoratur) ord. Cisterc. & (vt apparet) Flandro belgica, scripsit teutonicè *Opusculum quoddam constans diuersis sermonibus, & visionibus, in quibus plurima satu mirabilia de seipsa narrat.* Quod opusculum postea latinitate eleganti reddidit quidam Wilhelmus Prior Affligemiensis, vt scribit Henricus Gandauensis, lib. de scriptoribus, cap 57. apud Miræum in bibliotheca ecclesiastica.

Idem Wilhelmus, vitam Beatæ Lutgardis, monialis ordinis Cisterc. a Thoma Cantipratano Latinè conscriptam, conuertit in teutonicum rythmicè, duobus sibi semper rythmis consonantibus. Idem qui suprà loco citato. Vide etiam Valerium Andream in bibliotheca Belgica, verbo, Gulielmus Affligemiensis, vbi asserit, dictos sermones & visiones asseruari solitos Affligemij, Gulielmum vero floruisse circà annum 1300.

Morimundenses Religiosi anonymi plurimi diuersa egregia opera posteritati reliquerunt, quæ non sine magna ordinis iniuria ibidem tineis & blattis relinquuntur.

Vnus illorum scripsit *super Exodum, cum expositionibus interlinealibus mysticis, & glossis marginalibus.*

Alij duo scripserunt *super psalmos.*

Tres

Tres ... *super Cantica Canticorum.*

Quorum 1. simpliciter ea exponit: 2 expositionum ... constructiones interlineales, & ... marginales. 3. more concionatorio, seu ... Cantica hæc exponit.

... item anonymus, eiusdem cœnobij religiosus ... doctissimus, scripto reliquit, *Expositionis per egregias, & interpretationes in omnes epistolas Sancti Pauli*, quarum textum adeò fusè ... commentatores citati in biblijs, quæ ... *magna*, Parisijs excusa, & 5. tomis ... anno 164... huius anonymi amanuenses ... dici possunt. Complectitur enim hic anonymus, non solum omnes & singulas expositiones dictorum commentatorum, sed insuper ... non minus doctas. At, quod dolendum est, unus aut alter quaternio in prædicto commentario desideratur.

Expositionibus his adiecit idem Author. *Dictionarium singulare rerum ac verborum obscuriorum, ... sacra Scriptura clarius elucidari.*

A... anonymus, reliquit *Commentaria ... in 4. libros Magistri Sententiarum.*

Quatuor ... scripserunt Summas quasdam theologicas ..., & catechisticas. Quarum 2. ... *Summa de casibus conscientiæ.* Eius tituli ... missi.

... *De Articulis fidei, de 7. petitionibus ... Domini, de 10. preceptis Decalogi, de 7. Sacramentis, de ... virtutibus, de 7. donis Spiritus Sancti, ... beatitudinibus, & de 7 vitijs 3. de virtutibus ..., de peccatis & distinctione peccatorum; de ... impij, de passionibus animæ, & multis ...*

4. Summa, amplissima est, continetque tractatus, seu distinctiones sequentes. *De Antichristo, de creatione, de primo homine, de libero arbitrio, de ..., de miseria, de Ecclesia, de Legibus ..., de Incarnatione, de Aduentu, de Natiuitate, ... Circumcisione, de Apparitione, de Purificatione, de Quadragesima, de Ramis palmarum, de Cœna Domini, de Passione Domini, de Resurrectione, de Adscensione, de Spiritu Sancto, de sancto Ioanne, Petro, Paulo, & Magdalena; de ortu, & Assumptione BB. Virginis, de omnibus Sanctis, de SS Benedicto & Bernardo, de Apostolis, Martyribus, Confessoribus, & Virginibus, de Fide, Spe, & Charitate, de dilectione & amicitia, de 4. virtutibus, scilicet humilitate, obedientia, patientia, & oratione, de Visitatione monasteriorum & Ecclesiarum; de Prælatis & subditis, de Curatis de Sæcularibus, de Audientibus confessiones, de Confessione de Pœnitentia. & Pœnitentibus, de 7. Peccatis capitalibus, de Vitijs lingua, de desperatione, de sensibus, Visu, Auditu, gustu, Olfactu, & Tactu; de Sodomia, de Rapina, de Simonia, de Furto; de Voto, de Testimonio, de Veritate, de Misericordia, de Gratia de Maledictione, de Absolutione, de Communione, de donis Spiritus Sancti, de Trinitate, de Visione Dei, de diuitibus & pauperibus, de Eleemosyna. & Ieiunio, de Somnijs, de Anima, de Terra promissionis, de Oblatione, de Tenebris, de pœnis Inferni, de die Iudicij, de Signis præcedentibus diem Iudicij, de Scientia, de Hæresi, de Synagoga, de Præuaricatione, de Prædestinatione, de Coniugio, de Adulterio, de Fornicatione, de Prædicatoribus, de Baptismo, de Opinionibus, de Homicidio, de Iure iurando, de Mendacio, de Timore, de Termino, de Scandalo, de Elementis, de Planetis, de Originali peccato.*

Anonymi eiusdem Morimundensis monasterij octo diuersi scripserunt conciones.

1. Scripsit *sermones de Aduentu de Natiuitate Domini, & aliquot Sanctis.*

2. *De Aduentu, de Dominicis post Epiphaniam. & de Quadragesima.*

3. *De Aduentu, de Quadragesima, de Purificatione, & Assumptione BB. Virginis & Sanctis aliquot.*

4. *De Aduentu Domini, de Epiphania, & Dominicis post Epiphaniam, & Dominicis Quadragesima.*

5. *De Natiuitate Domini, de Quadragesima & Paschate.*

6. Scripſit *Sermones ſeptuaginta quinque, de communi Sanctorum.*

7. & 8. Scripſerunt *Sermones de diuerſis materijs.*

Quatuor denique alij, ſcripſerunt Aſcetica.

1. Scripſit *inſignem librum de Laudibus BB. Virginis*, collectum ex diuerſis Sanctis Patribus, & Eccleſiæ Doctoribus, præſertim S. Bernardo, & Odone Morimundenſi, qui præ cæteris in eodem opere ſæpiſſimè citatur. Librum intitulauit Author, *Mariale*, ſeu, *librum ſaluiferum*, *&c.*

2. Scripſit *librum, de Laude Dei in Sanctis*. Quem in duas partes diuidit. In 1. exponit Laudes Sanctorum generaliter. In 2. exponit Laudes eorum ſpecialiter, qui fuerunt ante Legem, vſque ad Moyſem.

3. Diſcurrit, *De aduentu Domini noſtri Ieſu Chriſti.*

4. Inſignem ſcripſit *dialogum duorum monachorum, ſcilicet Cluniacenſis, & Ciſtercienſis.*

Hæc omnia totidem verbis Reuerendiſſimus & Eximius Dominus Morimundenſis Abbas, in ſerie ſcriptorum ſui monaſterij, quam 28. Ianuarij, anni 1648. ex Morimundo mihi tranſmiſit. Cæteros in eadem ſerie relatos, Lector ſuis locis reperiet.

N.

NAtalis Theolocenſis. vid. Nicolaus Theolocenſis.

S. Neruus, 2. Abbas Kiloſenſis, in Scotiâ, de quo in Scoti-chronico, lib. 8. cap. 25. & ex eo, Demſterus, lib. 14. fol. 5. & 6. *S. Neruus Monachus Meilroſenſis, Abbas celebris Cœnobij de Killos, ordine 2. ſucceßit S. Anſelmo Scoto, qui primus loci regimen moderatus, vir monaſticæ vitæ addictus, & diſciplinæ Religioſæ, vltra quam dici poteſt ſtudioſior.* Et paulò inferius: *Creatur Abbas, anno* 1174. Idem, lib. 12. fol. 491. de miraculis eiuſdem, refert illum duos viatores ad loca Scotiæ ſanctiora peregrinantes, & in viâ occiſos, ad vitam reuocaſſe, vt confiteri, & ſacram ſynaxim percipere poſſent. Quo factum fuit, vt paſſim pro ſingulari Peregrinorum Aduocato per vniuerſam Scotiam coleretur, quamdiu non peregrinum ab eccleſiâ Regnum Scotiæ, Sanctorum merita, & pias ad Deum preces venerabatur. Scripſit & edidit Sanctus Neruus, *Librum de legibus clauſtri.* Teſte Demſtero, ſupra. Obijt verò cum tantâ Sanctitatis opinione, vt ab vniuerſa Scotia ſolenni anniuerſaria feſtiuitate coleretur, die 14. Aprilis, dum res Catholicorum ibi ſtarent. Vide etiam Manriquez, tom. 3. ſuprà, ad annum 1174. cap. 4. nu. 9. & 10.

Nicolaus de Aldenarda, religioſus B. Mariæ de Dunis, circa annum 1470. Pariſijs in S. Bernardi collegio, rariſſima eloquentiæ fama, floruit, vbi etiam publicauit *Librum variarum orationum, quas diuerſis temporibus ibidem habuerat*: qui cum inſigni virorum doctiſſimorum plauſu exceptus, authori ſuo magnam eloquentiæ famam conciliauit. Inter quos nihilominus plauſus, ipſe tantæ fuit humilitatis, tantuſque religioſæ obſeruantiæ & ſolitudinis amator, vt à Flandriæ Comite in Confeſſarium poſtulatus, functionem quantumuis honorificam humillimè declinauerit. Obijt in monaſterio noſtro de Dunis, anno ætatis ſuæ centeſimo quinto. Antiqua monumenta domus noſtræ, & ex ijs Adrianus Meſdach in chronico Dunenſi.

Nicolaus d'Ancona, monachus Ciſtercienſis Italus, ſcripſit *Volumen concionum de Beata Virgine.* Sylueſter Maurolycus maris oceani lib. 2. & Barnabas de Montalbo parte 1. lib. 4. cap. 3.

Nicolaus Anglicus, ordinis Ciſtercienſis, ſcripſit *Poſtillam ſuper Lucam.* Maurolycus ibidem.

Nicolaus Baccesius natione Italus, Patria fuit

Floren-

Florentinus, professione autem, monachus Cistelle, ac Marsilij Vasquez discipulus, qui cum esset viuacissimi ingenij, ac memoriæ tenacissimæ, accedente diligentiâ, indefessoque studio, tantam in omni scientiarum genere eruditionis famam assecutus est, vt Patriæ & ordinis sui decus, imò & sæculi nostri gloria, passim audire meruerit. Scripsit plura egregia opera, quæ tamen vulgare noluit, laudem eam aspernatus, quam innumeri hodiè à Typographis nundinantur. Nihilominus, authore iam mortuo, aliorum operâ, breui lucem videbunt, vt nuper, literis suis me certiorem fecit Rmus. Ferdinandus Vghellus, S. Anastasij Abbas. Sunt autem illa quæ sequuntur.

Septimiana Historiæ libri 7.

Monachus Seuerus defensus contra Thomam Porcbatium.

Fuit autem hic Seuerus, cognominatus, Varinus, Septimiani cœnobij propè Florentiam, professus alumnus, & tempore Leonis X. Pontificis, inter puriorís linguæ latinæ assertores adnumeratus, cuius etiam cum laude meminit Paulus Cortesius Cardinalis, in suis Latinis epistolis, & plures alij. Vide de hoc, intrà, verbo. *Seuerus.*

De Iure Historico, dissertatio.

Decem Scriptorum qui in Italia, centum annorum spatio latinâ eloquentia floruerunt, elogia.

Censura litteraria ad aliquos illustrium Auctorum obscuriora loca.

De bello Semifontano commentarium.

Fuit autem Semifons olim nobile castrum, in Valle cui Elsa fluuius nomen dedit, belloque diuturno Florentinos exercuit.

Adamus soporatus.

De risu (alias, visu) Abrahæ, excussoria contemplatio.

Paranesis ad pristinum decorem monasticum.

Armata Pallas, siue, *de diuina ac scholastica sapientia laudibus, Oratio.*

Oratio in funere Alexandri Atestini Principis, S. R. E. Cardinalis.

Supplex libellus pro Monasterio Cistelli, ad Vrbanum VIII. Pont. Max.

Oratio habita in turbulentis Comitijs.

La Piamlla Lezione Luduo-feria, recitata nell' Accademia de gli Suogliati.

Præfatio in Florentinam Historiam, ad Ferdinandum 2. magnum Hetruriæ ducem. Epitome Historiæ Florentinæ Libri decem. Vndecimus deest, Peruenit Autor ad annum 1339. Opus hoc longius proferre meditabatur, sed dum Amico operam suam (prolixo satis labore) nauat, mors illum intercipit, annum agentem septuagesimum tertium, iuxta relationem Caroli Malduræ, aut etiam 81. iuxta testimonium Vghelli laborem, quem Amicus grato parum animo hactenus occuluit, aliquandò vis veritatis reuelabit.

Epistolæ, & orationes multæ. Lego illum quoque scripsisse, *doctissimum Commentarium in Canticum, Domine audiui*, &c. Item, *Res gestas plurimarum illustrium Personarum, qui sub tempore in Ordine nostro floruerunt.* Obijt anno 1647. Abbas S. Luciæ (alias SS. Trinitatis) de Pinu, in Monasterio Cistelli, Florentiæ vbi humatus iacet.

Nicolaus Boucheratus, patria Trecensis, Theologus Parisiensis Laureatus, interfuit, S. Concilio Tridentino, Prior tunc monasterij de Recluso, & Procurator generalis vniuersi ordinis in curia Romana, vbi doctissimis suis sententijs, tantam nominis claritatem consecutus est, vt anno 1571. die 3. Decembris, communibus suffragijs electus fuerit Archi-cœnobij Cisterciensis Abbas. Quinimo & ann. 1578. à Statibus ducatus Burgundiæ, specialiter ad Henricum III. Francorum Regem deputatus fuit, pro impetranda restitutione antiquæ libertatis eiusdem ducatus; quam commissionem felicissimè, ad omnium vota executus est, *habita (Rothomagi)*

thomagi) coram dicto Rege, doctissima oratione, quæ eodem anno impressa fuit Parisijs, cum responso ipsius Regis: & Recusa iterum postea Diuione, in Burgundia.

Extat & alia ipsius oratio, quam Romæ habuit coram Gregorio XIII. Pontifice, pro Henrico eodem Francorum Rege. Seguinus in bibliotheca testatur se vtramque hanc orationem legisse, & reperisse eruditionis elegantia insignem.

Extant præterea & *plures aliæ ipsius orationes, quas Cisterij, tempore capitulorum generalium, ad Abbates habuit. Cum epistolis varijs ad diuersos magnates scriptis.*

Ex Philippo Seguino suprà.

Reuerendissimus verò Angelus Manriquez in serie Abbatum Cisterciensium, asserit illum *plura alia adhuc scripsisse* quorum aliqua sub Henrici iam dicti Francorum Regis, alia sub Gregorij Pontificis memorati auspicijs euulgauit.

Videat etiam studiosus Lector, de hoc Nicolao, bibliothecam Gallicam Antonij du Verdier.

Obijt anno 1586. de quo in M. S. cœnobij nostri Dunensis reperio hos versus:

O Pater, innumeris meritis notissimus orbi,
Boutherat! os ardens nomen tibi fecit & omen.

De hoc, vid plura apud Ludouicum Iacob Carmelitam, lib. de Scriptoribus Cabilonensibus.

Nicolaus Brauus, Superatensis cœnobij in Galetia monachus, exquisitis naturæ dotibus ornatus, præsertim ingenio, memoria, & iudicio, quibus cum adiunxisset feruens & infatigabile studium, omni eruditionis genere, breui doctissimus euasit: quæ tamen talenta illustrationi ordinis sui liberaliter etiã impendit. Iuuenis adhuc scripsit versu hexametro *Vitam sanctissimi Patris nostri Benedicti*, tanta elegantia, sententiarum varietate, & verborum proprietate, vt à doctissimis cum admiratione, & à tota H[illegible]ania cum applausu exciperetur. In q[illegible]ere, se poëtam excellentem, & in humanis [illegible]nibus scientijs apprimè versatum, theolo[illegible]m quoque profundum, & historicum exactum demonstrauit. Sacra quoque eloquen[illegible]mum valuit, tantumque eruditionis, pr[illegible]tiæ, aliarumque plurimarum virtutum heroicarum specimen edidit, vt præc[illegible] sui æui [illegible] Hispania) viris, adnumeretur. Hinc ab ordin[illegible] Patribus, varijs successiuè mona[illegible] Abbas ordinarius Lauretano in Sal[illegible]antìcensi Academia, Superatensi suo, ac denique Sanctæ Annæ in regia Madritensi ciuitate.) sing[illegible]a tanta rexit prudentia, vt famam de se celeberrimam, longè etiam superarit.

Scripsit itaque, *Vitam Sancti Benedicti, carmine hexametro*, editam Salmanticæ, in 4°. apud A[illegible]tuiuni Tabernicl, anno 1603.

Vigiliam magnam Christi: siue

Concionum Quadragesimalium, tomum vnum in 4°. Salmanticæ, apud Susannam Munnoz, anno 1615.

Sermonum de Tempore, & de Sanctis, a Dom[illegible] 1. Aduentus, vsque ad Epiphaniam Domini, tomum [illegible]terum, in 4°. Vallisoleti, ex officina Franci[illegible] Cordua, apud viduam, anno 1622.

Repetitionem, seu Relectionem in [illegible]ud Matth[illegible] & Lucæ 9 Nihil tuleritis in via, neque virgam, [illegible] folio, Salmanticæ apud S[illegible]nnam M[illegible] anno 1619. Scripsit & *librum de iure & [illegible] Generalis Regularis obseruantiæ Hispaniæ, q[illegible] scripsit. Tractatus monasticus, &c.* Impress[illegible] in Monasterio de Oliua in Regn[illegible] cuius erat Abbas perpetuus à R[illegible]tus. Scripsit insuper comment[illegible] notas litterales in Regulam S. [illegible] pressus 1648. quo anno etiam ob[illegible] R[illegible]defonsi Perez. Vid. & Hippol[illegible]um M[illegible]cium.

Nicolaus,

Nicolaus, vulgò dictus Claravallensis, ex Cluniacensi, monachus Claræuallis, & notarius, seu Secretarius Sancti P. Bernardi; vir ingenio & eloquentia, penè ad miraculū prædιtus: scripsit stylo planè mellifluo, *Volumen Epistolarum*, quod Ioannes Picardus, Canonicus Regularis ad Sanctum Victorem Parisijs, publicauit. Extat idem tomo 12. bibliothecæ Patrum à Coloniensibus editæ. Porrò Nicolaus hic, cum à Sancti Patris epistolis esset amotus, eiusdem sigillum falsificauit, & diuersas litteras eius nomine scripsit: sed in hoc & in alijs plurimis criminibus deprehensus, fugam inijt, & miserè posteà obijt vilis apostata. Creditur hic idem esse, qui prætextu propugnandi conceptionem immaculatam B. Virginis, maculam insignem inurere conatus fuit Sancto Bernardo: verum Petrus Cellensis docta apologia Nicolai scriptum refutauit, Bernardumque defendit. Vide de hoc Nicolao, eiusque vita & morte, plura apud Angelum Manriquez, tomo 2. Annalium, ad annos 1145. cap. 9. 1146. 1148. cap. 5. 1151. cap. 9. & 1171. cap. 6.

Nicolaus Crescius, Florentinus, Monachus Cisterciensis, *Recognouit & emendauit Libros Boethij de consolatione Philosophiæ*: vt ipsemet testatur in epistolā dedicatoriā ijsdem libris præfixā, & cum ijsdem impressa, vnā cum alijs Boëtij operibus, Basileæ, anno 1570. ex officinā Henric. Petrinā, in folio. Epistolæ autem huius tenor hic est:

Nicolaus Crescius, Florentinus, Monachus Cisterciensis, Antonio Lanfredino, Florentino ciui illustri, Salutem.

Multa quidem sunt, Antoni Lanfredine, & in Philosophia, & in Theologia, cum obscurè dicta, tum ad cognoscendum difficilia, illa tamen in primis celebres, de fato, de Beata vita, de diuina prænotione, atque prouidentia, quæstiones, ancipiti intellectu legentium plerosque in deteriorem sensum transuersos agunt. Quæ quanquam sint à nonnullis ita accuratè disputata, atque copiosè illustrata, vt nullus videatur relictus dubitandi locus; ijs tamen de rebus accuratius & grauius nemo, quam Seuerinus Boethius disseruit. Vir (me quidem iudice) omnium suæ ætatis doctissimus. Qui cum in multiplici disciplinarum genere non pauca scripserit, voluit etiam tum in hoc libro quem de Philosophiæ consolatione; tum in ijs quos de Trinitate, & de duabus naturis Christi, inscripsit, bono periculo experiri, quantum in sacris litteris profecisset: Sed erat hic liber adeò seculorum incuria, iam deprauatus, vt nullus sui Authoris nitor, nullusque propè cultus agnosceretur. Qui cum superioribus annis restitutionem sui posceret, multo pluribus vulneribus affectus est; namque mutilus, inuersus, & à se plurimum mutatus prodijt ab impressoribus in manus hominum, cum commentarijs qui falsò diuo Thomæ Aquinati adscribuntur. Rogatus itaque, vt hunc ipsum Boethij librum emendarem, ac pristinæ integritati, quoad possem, restituerem, id eo libentius feci, quod materia de qua agebatur, ea profectò est, quæ Religiosum virum maximè deceat. Vsus autem in hoc opere Boethius eo dicendi genere, quod non minus ornatum quam graue, & Philosophiæ maximè accommodatum videatur, & præterea varium, ac iucundum, quod nunc soluta oratione grauissimè disputat, nunc metro elegantius ludit. Id igitur opus nostra cura ac diligentia qualecunque est, emendatum tibi Lanfredine, Vir ornatissime, nuncupamus; non ea ratione vt existimem eius lectionem posse multum tuæ eruditioni adijcere, sed vt tuo patrocinio in Enchiridij typum adstrictum, honestius ac tutius in vulgus exiret, vt indè facilè iudicari possit, quantum inter priorem illum, & hunc nostrum librum intersit. Quod si tu probaueris, satis à me omnibus factum esse iudicabo. Vale. Extat hoc opus Bruxellis in instructissima Bibliothecā Baronis de Limale. Porrò, nostrum Nicolaum, eximiæ eruditionis & pietatis intuitu, impensè semper coluit Franciscus Soderinus Episcopus Ostiensis, & Volaterranensis S.R.E. Cardina-lis,

lis, vt videre est apud Paulum Cortesium, de Sacro Senatu. Vide etiam Vghellum, Italiæ sacræ tom. 1. p. 2 fol. 378. inter Episcopos Volaterranenses.

Nicolaus Cronius, Florentinus, Monachus S. Saluatoris de Septimo & postea Prior SS. Vincentij & Anastasij ad Aquas Saluias, ac Leonis X. Pontificis Maximi Theologus, Vir fuit exquisitæ eruditionis, scripsitque **Commentaria in Seuerinum Boëthium, de consolatione Philosophiæ**, quæ extant in Bibliothecâ Septimianâ. Obijt Romæ, anno 1518 cum Infulam Episcopalem à memorato Pontifice sibi delatam, repudiasset.

Nicolaus Sanctæ Crucis in Austria monachus, vir ingenio excellens & diuinarum scripturarum eruditione clarus, scripsit (referentibus Trithemio, & Gesnero) *Opus insigne de Laudibus BB Virginis inscriptum: Imago Sanctæ Mariæ, libri 4.* Quod opus sic incipit: nomen Virginis, Maria, &c. *Varios item scripsit sermones, & quadam alia.* Floruit circâ annum 1401. temporibus Gregorij Papæ XII. & Ruperti Imperatoris.

Nicolaus Hisius religiosus Hemmenrodensis monasterij, scripsit elegantissimè *Historiam sui monasterij prolixam valdè, in qua plures egregios facit excursus, ad gesta Episcoporum Treuirensium, & familias Comitum vicinorum*, præcipuè Gerolstein, Blanckenheym, & Manderscheyt, (olim in Comitatu Namurcensi, nunc in ditione Treuirensi) quorum plerique in Hemmenrode sepulti iacent. Historia hæc seorsim excusa est Coloniæ, anno 1640. titulo *Manipuli Hemmenrodensis*; communiter tamen subiungi solet notitijs Abbatiarum Gasparis Iongelini, eodem anno editis, in folio.

Nicolaus Marescbal, Abbas Loci Dei (quem insigni elogio celebrat Seguinus) *Gallicè reddidit & edidit Librum vsuum ordinis nostri.* Obijt 1580. Ex Seguino suprà.

Nicolaus de S. Martino, religiosus congregationis B. Mariæ Fulensis, edidit *Librum gallicum inscriptum: Morales Chrestiennes, traictant de la transformation des mœurs, tant de personnes seculiers, que religieuses. &c.* Parisijs, in 8° 1619. & iterum 1620. per Ioan. Heuqueville. Opus est, continens 60. folia chartæ.

Nicolaus Parent, Insulensis, Gallo Flander, Religiosus B. Mariæ de Laude, & confessarius sanctimonialium Montis aurei, vulgò Weuelghem, Diœcesis Tornacensis, Edidit linguâ gallicâ, Tornaci, anno 1639. typis Adriani Quinquè.

Volumen magnum in 4. collectum ex operibus Sancti Bernardi, pro instructione religiosorum in 3. vijs perfectionis purgatiua, illuminatiua, & vnitiua. Quod opus inscripsit; *l'Abelle Mystique*, siue *Apem mysticam.*

Ediderat anteà adhuc Insulis, typis Petri de Rache, *alium libellum gallicum, quem vocauit, Calcar diuini amoris.*

Item 3. *continentem varia pia exercitia vsurpanda antè & post communionem*, quem dedicauit D. Abbatissæ de Weuelghem, Iudocæ de Coninck.

Viuit adhuc hoc anno 1649. Prior monasterij sui de Laude.

Nicolaus, cognomento Profit S. Theol. Doctor Parisiensis, Ioyaci cœnobij Senonensis Diœcesis filius, & posteà Abbas; vir ingenio acutissimus, in Aristotelica doctrina singulariter eruditus, in Diui Thomæ, & scholasticorum placitis & sententijs optimè versatus, atque in concertationibus scholasticis disputator acerrimus; Parisijs in Sancti Bernardi collegio, summa cum nominis sui commendatione, iuuentutem docuit, eidem prælegendo Aristotelis Dialecticam, ac cæteras philosophiæ partes, Postmodum theologicis exercitijs se totum applicans, insignia Doctoratus theologici feliciter consecutus est. Scripsit autem

Ser-

Sermones in psalmum 50. varia eruditione refertos, lib. vnum.

De Clausura monialium, lib. 1.

Sermones ad nouitios, monasticam religionem profiteri cupientes, lib. 1.

Habuit etiam *Orationem coram Henrico Caietano, Sixti V. Pontificis maximi Legato à latere*, in qua doctè, & neruosè egit de perditione monasteriorum per Abbates commendatarios. Ex Seguino in bibliotheca, vbi asserit, Authorem hunc sibi fuisse fraterna charitate, & amicitiæ vinculo coniunctum, & floruisse adhuc apud Bernardinas Parisijs, anno 1590 4 die Martij, dum ipse suam bibliothecam scriberet. Reuerendissimus D Claudius Chalemot, S. Theol. Doctor, Abbas de Columba, in literis suis ad me datis vltima Nouembris 648 refert aliud hunc plura alia scripsisse opera, quæ adhuc in monasterio, de Ioyaco exstent.

Nicolaus Rieuallensis cœnobij in Anglia monachus, vir fuit in omnibus tum sacris, tum prophanis scientijs insigniter eruditus, poësi tamen præcipuè addictus, vndè *Versibus elegantibus, plurimorum Sanctorum ordinis nostri, pietatem, sacraque ... descripsit*. Inter alia, referuntur *Panegyrica Guilielmi, Ailredi, & Syluani, Abbatum Rhieuallensium.*

Seruantur quædam eius opuscula in bibliotheca Sancti Victoris Parisijs asseritque Chrysostomus Henriquez in Phœnice, se alibi inuenisse eiusdem.

Epigrammatum & epitaphiorum, lib vnum.

Item, Epistolarum ad diuersos lib 1.

Nicolaus Salicetus, Argentinensis, Medicinæ Doctor, ac postmodum monachus, & tandem Abbas B Mariæ de Pomerio, vulgò Bomgard, ordinis Cisterciensis in Diœcesi Argentinensi, scripsit *Librum piissimum* (omni statui hominum accommodum) *Meditationum ac precationum, quem Antidotarium animæ, inscripsit.* Impressus fuit multoties Parisijs, annis, 1496 apud Petrum le Dru: 1523. 1532. apud viduam Thielmanni Heruer: & 1544. per Guillielmum Merlin. Venetijs etiam, anno 1517. in 8. Extat & gallicè editus Duaci anno 1580. per Ioannem Bogardum, dedicatus deuotis virginibus, Magdalenæ le Boigne, & Mariæ de Lanoy, sanct monialibus in cœnobio Flinensi, iuxta Duacum.

Scripsit insuper, *Libellum insignem, de arte moriendi*, impressum Venetijs vnà cum Antidotario, anno iam dicto 1517. & anteà Parisijs 1496. per Petrum le Dru. Denique, scripsit & *Speculum peccatoris*, impressum Parisijs per eundem, eodem anno. Florebat Author anno 1480. & deinceps.

Nicolaus Stanfordus (fortè melius, *Stafardus*) natione Anglus, monachus Cisterciensis (iuxta Lelandum) in patria suâ; vir fuit erud[it]us, qui vitilem valdè operam in sacrarum Litterarum studijs collocauit, vt tum ex aliorum testimonijs, tum ex scriptis eius liquidò constat: dolendum tamen, pleraque eius scripta vel perijsse, vel saltem neque nobis hactenus ad vtilitatem, neque illi ad debitam nominis famam profuisse. Ioannes Lelandus, qui plura eius opera legit, omnia laudat, fateturque se, & hominis solidam doctrinam, & sermonis admirari elegantiam: ac virum planè dignissimum iudicat, qui *Illustris scriptoris* titulo gaudeat. Extant adhuc quædam eius opera, quæ contra temporum iniuriam, & antiquorum negligentiam præualuerunt nimirum *Moralitates in Genesim*. Et

Concionum, Liber vnus.

Claruisse putat Lelandus circà annum Domini 13 o. sub Eduardo II. Angliæ Rege. Vide Pitsæum de scriptoribus Angliæ.

Nicolaus, (seu (vt alij scribunt) Natalis, Abbas Theolocensis, Wilhelmi Albæ ripæ, Abbatis de quo suprà, coætaneus & amicus, scripsit ad eundem Wilhelmum *plures epistolas doctrinales, de im-nu-*

immutatione quæ fiet in nouissima tubâ, &c. quas breui publicabit Reuerendissimus Ferdinandus Vghellus in sua bibliotheca Cisterciensi, quam prælo adaptat.

Nicolaus Vallium Sarnaij in diæcesi Parisiensi, Monachus, *Summam, de casibus conscientiæ*, quæ adhuc M.S. asseruatur Prulliaci. Relatio Eximij Domini Claudij Chalemot, ex Gallijs transmissa.

Nicolaus à Sancto Vincentio, aliàs, Grandinus, Congregationis Fuliensis non infimum decus; Prælo nunc adaptat eruditissimas à se elaboratas *Animaduersiones in vniuersam Theologiam scholasticam, & Philosophiam.*

Relatio Romana PP. Fuliensium.

Porrò, dictæ relationis Authores perhibent plura egregia opera vulgata esse à Patribus suæ Congregationis, quorum tituli ad notitiam eorum non peruenerunt.

Nicolaus VValkingtonus, religiosus in cœnobio de Kirkeam, in aquilonaribus Angliæ partibus; hic etiam à Pitsæo & Balæo Angliæ scriptoribus, adscribitur Cisterciensibus, cuius extat

De virtutibus & vitijs, liber vnus; qui sic incipit: Dominus dicit, Sancti estote, &c.

Item, *Historia Gualteri Speeckij, lib. 1. & nonnulla alia.* Pitsæus, & alij.

Ego tamen monasterium de Kirkean, inter Cisterciensia non reperio, sed Canonicorum fuisse Regularium, apertè colligo ex vita S. Malachiæ Archiepiscopi, à sanctissimo Patre nostro Bernardo conscripta, vbi sic lego: *In ipsa vrbe Eboracensi, accessit ad eum* (Malachiam) *vir nobilis secundum sæculum, VVallenus nomine, tunc Prior in Kirkean Regularium fratrum, nunc verò monachus, & monachorum Pater in Maslros, monasterio ordinis nostri*: hæc ibi. Vndè miror, quomodò Henriquez, qui hæc ipsa verba in Menologio suo profert 9. Augusti, potuerit Nicolaum hunc religiosum in Kirkean, Cisterciensibus adscribere in Phœnice. Nisi fortè (quia scriptores Angli iam citati, illum constanter Cisterciensem scribunt) dicatur eum, ad exemplum Walleni Prioris sui, etiam postmodum ad Cistercienses transijsse. Sed vndè hoc constabit? Certè & Gerardus Vossius, lib. de Scriptoribus Latinis, hunc etiam Cisterciensem fuisse scribit.

Noui monasterij in Anglia monachus anonymus, scripsit *Vitam S. Roberti, cœnobij eiusdem Abbatis sanctissimi*, quam edidit Surius 7. Iunij. Est hic idem Robertus, qui Martyrologio Romano adscriptus legitur eadem die, scilicet 7. Iunij. Vide Menologium Cisterciense hac die; Molanum in additionibus ad Vsuardum; Hugonem Menardum & alios, apud Angelum Manriquez tom. 2. Annal. Annal. ann. 1159. c. 4. Obijt Robertus, anno 1159.

O.

OBacina, *Lemouicensis Diæcesis, religiosus anonymus*, scripsit (iussu Fastredi Abbatis Cistercij) *Volumen magnum in 3. libros diuisum, de vita & actis Sancti Stephani, eiusdem monasterij Abbatis.* Libro 1. refert præcedentia Cistercium: in 2. reliquam vitam, vsque ad obitum: in 3. ipsum obitum, cum miraculis plurimis, quæ post obitum euenerunt, longâ satis narratione prosequitur. Perillustris Dominus Manriquez, tomo 1. annalium suorum, hoc opere vsus, scribit Authorem fuisse indicio acri, & affluentiâ orationis non contemnendum, sed præstantiorem adhuc notitiâ rerum, quippè à puero educatum sub beato viro Stephano. Quod ipsum author etiam testatur, dicens se nihil scribere quod non viderit, aut habeat ab ijs qui viderunt. Libros hos in compendium redegit, & edidit Hugo Menardus, lib. 2. obseruat ad Martyrologium suum. Vide etiam memoratum Angelum Manriquez

tiquez tomo 2. annalium ad ann. 1159. cap 3. n. 9. Vbi corrigit Henriquez. quod in Menologio suo signet diem obitus Beati Stephani ad 27. Aprilis; cum obijsse constet, ex vita ipsius, 10. Martij, quo proindè die eum rectè Martyrologio suo adscripsit Hugo Menardus.

Odo Cardinalis, Vide *Otebo de Castro Rudolphi*, infrà.

Odo Critonensis, vel *Schirton*, dictus vulgò Magister Odo, monachus ordinis Cisterc. in Anglia S. Theol Doctor, Parisijs diu omniscien tiarum gloriâ floruit, principibus, alijsque magnatibus charus, & ab intimis. Erat enim (retenente Pi. (teo) orator disertus, philosophus acutus, disputator subtilis, & concionator elegans, quique felici ingenio omnia penetrabat.

Multa scripsit prouerbia, & parabolas tum sacras, tum prophanas. Imprimis, *Quæ Æsopus græcè exarauit, hic Latina fecit, & commentarijs illustrauit, operique titulum præfixit.*

Bestiarium, vel Brutarium, lib. 1. quod opus sic incipit: *Iuerunt ligna vt vngerent super se, &c.*

Opus sexaginta parabolarum : cuius initium: *Quoniam vt dicit Gregorius*, &c.

Aliud prætereà parabolarum opus, incipiens: *Aperiam in parabolis os meum, &c. Legitur in libro Ruth &c.* Tractat de Animalibus, apud Carthus. & Carmelitas Gandaui.

Homiliarum de tempore, librum vnum, M. S. Cantabrigiæ in collegio Sancti Petri, Incipit: *Cum appropinquasset*, &c.

Homiliarum de Sanctis, librum vnum, cuius initium: *Ambulans Iesus iuxta Mare Galileæ.* &c.

Pœnitentiale, lib. vnum: incip. Descendi in hortum meum, &c.

Summam quandam, quæ asseruari dicitur M. S. Oxoniæ, in collegio nouo.

Partium opus, librum vnum.

Narrationem, librum vnum.

Et alia plura, quæ adhuc in diuersis Angliæ bibliothecis reperiuntur, & se vidisse scribit Balæus. Claruit anno 1181.

Vide Pitsæum de scriptoribus Angliæ, & Hippolitum Maraccium, qui hunc Scriptoribus Marianis adnumerat, propter homilias Marianas ab eo scriptas.

Odo, ex Priore Morimundi, primum Abbas Belli Prati, ac tandem anno 1160. electus *Abbas Morimundensis, num.* 8. S. Theologiæ Professor egregius, ingenio & eruditione clarissimus: plurima scripsit, ex quibus adhuc extant in Morimundo sequentia: *Expositiones morales & mysticæ, super diuersos textus, tam veteris, quam noui testamenti.*

Tractatus præclarissimus de 3 gradibus quibus peruenitur ad hereditatem salutis; & ad eam tres hierarchias cœlestium spirituum distinctè operari. In quo egregio opere, de nouem ordinibus Angelorum doctissimè differit.

Sermones insuper de Aduentu, de Quadragesima, de Dominicis & festis totius anni: præcipuè verò, de Festiuitatibus BB. Virginis. Odonis huius Sermones omnes habētur apud Carmelitas excalceatos Claromontenses, & in longo Ponte. Ordinis Cist.

Ne autem hæc tanti viri opera diutius ingratis tenebris sepulta iaceant, illa breui publici iuris faciet Reuerendissimus Abbas Morimundensis. Hæc ex serie scriptorum Morimundensium, ex eodem monasterio ad me missa, anno 1648.

Porrò tractatus (seu sermones) de translatione reliquiarum S. Benedicti ad monasterium floriacense, qui à Roberto Claudio, & alijs, huic Odoni attribuitur, in Morimundo nunc non reperitur; licet illum esse Odonis eiusdem, censeant Morimundenses in serie memorata, Imò Balduinus Moreau, in præfatione ad regulam S. Benedicti, expressè testatur dictos sermones (vt ipse vocat) quandòque in Morimun-

do etiam extitisse. Reperiuntur verò adhuc Mantuæ in monasterio S. Benedicti. Præter hæc. Balæus lib. de scriptoribus Britanniæ, asserit Odonem eundem etiam scripsisse, *Chronicorum librum vnum.*

De religione Christiana & Iudaica, Leone & Odone interlocutoribus, dialogum quemdam.

Insuper, *De mathesi multa copiosè, & doctè disputasse.* Denique scripsisse.

De Analyticis ternarij, librum vnum; qui sic incipit: *Quid dicendum sit de Analyt* &c.

De analyticis numerorum, librum alterum. Et quadam alia.

Iacobus etiam Faber Stapulensis, in præfatione sua super Latinis operibus Euclidis, de hoc Odone scribens, ait: Odo quidam mathematum peritus, scripsit *Analytica numerorum*, & *libellum de triade.* His adhuc accedens Philippus Seguinus in bibliothecâ suâ M.S. eidem Odoni adtribuit quoque.

De significationibus numerorum, lib. vnum.

De figuris numerorum, lib. 1.

De liberis appellationibus, lib. 1.

De mysterijs figurarum, lib. 1.

De regulis generationum, lib. 1.

De cognitionibus & interpretationibus numerorum, librum vnum.

De significationibus vnitatis, lib. 1.

De relationibus, & earum mysterijs, lib. 1.

Atque hæc ex authoribus & scriptis citatis; ego tamen arbitror quædam ex his esse opera Odonis Certonensis, præsertim expositiones morales in biblia, &c. Quædam etiam esse Othonis Frisingensis (qui etiam fuit Abbas Morimundi,) nimirum Chronicorum opus, & quædam alia. Cæterum ex omnibus hic recensitis, in bibliothecâ nostrâ Dunensi solummodò reperi librum inscriptum, *Analytica numerorum.* Obijt Odo anno 1161. vt scribit Reuerendissimus Manriquez in serie Abbatum Morimundensium. Vide de hoc etiam Hippolitum Maraccium in Bibliothecâ Marianâ, vbi inter alios illustres Scriptores Marianos, hunc etiam recenset, propter *deuotissimum* (vt ait) *homiliam super Euangelium, stabat iuxta crucem Iesu, Mater eius.* &c. à Ioanne Turrecrematâ, in tractatu de conceptione, parte 6. cap. 26. alijsque memoratam.

Extat quoque Parisijs in Bibliothecâ Gabrielis Naudæi, medici, huius Odonis *Enchiridion, seu, dialogus inter Magistrum & discipulum, cum micrologo artis musices.* Philippus Labbeus, Supplem. 5. Nouæ Bibliothecæ M.SS. librorum.

Item in Longo ponte, Diæcesis Suessionensis, reperitur

Liber de tribus Hierarchijs. L'Abbeus, Supplemento 10. suprà.

Oddo, siue Odo, 5. Abbas Morimundi in Longobardia, Diœcesi Mediolanensis, vir in diuinis literis eruditissimus, scripsit, *in diuinam scripturam Sermones* 56. adeò mellitos, tantaque dulcedine plenos, vt legentibus mox appareat, Authorem Sanctissimi Bernardi spiritu donatum fuisse, dum eosdem dictaret. Extant in eodem Morimundi cœnobio, & etiam apud Reuerendissimum Vghellum Romæ cui propè diem eos vulgabit in bibliotheca sua Cisterciana (quam præ manibus habet) vnà cum alijs plurimis operibus à personis conscriptis hactenus incognitis. Floruit Odo circa annum Domini 1176. Obijt verò (vt in Necrologio eiusdem cœnobij notatur) 24. Decembris.

Olaus Nirasius Arnoldi, Religiosus Cænobij nostri Dunensis, Musicus fuit excellens qui anno 1456. publicauit *Opera quadam musicalia 8. vocum,* quæ Carolo Pugnaci Belgarum principi dedicauit. Obijt 1472. in Cænobio de Rauensbergâ, diæcesis Audomarensis. *Monumenta domus nostra.*

Olivense

Oliuense cœnobium sanctimonialium est in Hannonia, iuxta Mariæ Montem, *cuius loci confessarius* quidam, monachus Cisterciensis anonymus, conscripsit *vitam Beatæ Guillelmi anachoretæ, cuius in monasterij fundatoris*; quam dedit ... Dominæ Catharinæ Abbatissæ Oliuetanæ. Extat ibidem M. S. Vide Arnoldum de Raisse in auctario ad Molanum, 14. Februarij, & Henriquez in Menologio, eodem die.

Porrò in hoc Oliuensi monasterio vixisse putatur Beatrix Sacristana, cuius absentiam per annos 15 B. Virgo suppleuit, vt scribunt, Cæsarius lib. 7. cap. 35. & Henriquez suprà, 6. Nouembris.

Ottho, *Frisingensis* vulgò cognomen sortitus, Sancti Leopoldi Marchionis Austriæ & Agnetis, filiæ Henrici IV. Imperatoris filius, Frederici primi patruus, & Conradi III. Imperatoris frater vterinus, monachus primum Cisterciensis, deinde in eodem ordine Abbas Morimundensis; ac postea Frisingensis in Bauaria Episcopus extitit. In qua dignitate cum per annos aliquot laudabiliter se gessisset. Monasticæ quietis desiderio excitatus relicto Episcopatu ad Morimundum iam senex rediit, vbi piissime obdormiuit in Domino sepulturæ traditus ante maius altare ecclesiæ; cuius monumentum ibidem etiamnum visitur, vt ex litteris Morimundensium anno superiori ad me missis, didici. Erat autem Ottho, omni disciplinarum genere instructissimus, qui præclara etiam eruditionis monumenta posteritati reliquit; scripsit namque inprimis:

Libros septem chronicorum ab orbe condito ad annum 1146. Quibus adiecit

Librum octauum, de fine mundi, Antichristi persecutione, resurrectione mortuorum, iudicio finali, gloria beatorum, ac supplicijs damnatorum.

Scripsit insuper *De gestis Frederici I. Imperatoris, libros duos*: quibus alios duos addidit Radeuicus, Frisingensis Ecclesiæ præpositus, Othonis Episcopi quondam scriba seu amanuensis. Idem Radeuicus lib. 2. cap. 11. narrat, eundem Othonem antè obitum reuocasse, si quid in Gilberti Porretani (cuius articulos plures Eugenius II. damnauerat) laudem fortasse dixisset, quod catholicæ fidei contrarium videri posset. Vide Miræum de scriptoribus Ecclesiasticis, & etiam Bellarminum.

Scripsit etiam Ottho (teste Bernabâ de Montalbo) *historiam domus Austriacæ*, nondum typis editam. Cætera tamen ex manuscriptis cœnobij Scotorum Viennæ, vulgauit iam pridem Ioannes Cuspinianus, & posteà plures alij, ingenti bono communitatis, quia nullus scriptor æui illius, fide dignior. Hinc Ludouicus Viues, factâ mentione supplementi chronicorum Philippi Bergomensis, sæpè minus accurati, subdit: Meliores sunt. Ottho Frisingensis, & Regino Prumiensis. Cæterum Æneas Syluius, qui posteà Pius II. & Helmundus lib. 2. de Slauis cap. 9 scribunt *Otthonem nostrum primò omnium docuisse Bauaros rationem disputandi Aristotelicam*; vt perhibet Segutnus libro sæpius citato. Id quod etiam non obscurè insinuat non pigebit apponere, quæ sunt: *Litteralis scientia non mediocriter aut vulgariter instructus, inter Episcopos Allemanniæ, vel primus, vel inter primos habebatur; in tantum, vt præter sacræ paginæ cognitionem, cuius secretis & sententiarum abditis præpollebat, Philosophicorum & Aristotelicorum librorum subtilitatem in topycis, analyticis, atque elenchis, ferè primus nostris finibus apportauerit. Ob ea, & aliarum multarum priuilegia gratiarum, fiducia quoque tam secularis prudentiæ, quam eloquio fretus facundissima lingua, cum sæpius in causis ecclesiæ coram Regibus & principibus constantissimè ageret, & exindè sibi gloriam laudem laus inuidiam, vt assolet, non modicam pepcrisset, laqueos aduersantium impiterritus declinauit, & obloquentium ora fine labione probè probus euasit.*

Sanè

* *Sane viuendi modum iuxta Cisterciensis Ordinis Religionem instituerat: ibique in monasterio Morimundensis primò Abbas, eo vsque probatus & electus inuentus est, vt meritò sibi diceretur Amice ascende superius. Episcopus factus, transcurso iuuentutis feruore, ac sopito lubricae aetatis incentiuo, oleum peccatoris declinans, & iustitiam suam in conspectu hominum & fauore facere, paruipendens, Deo potius quem conscientia & corda non fallunt, placere satagebat, attendens illud Euangelicum: nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua. Vnde factum est, vt si quid ex conuersatione mundana puluerulentiae contraxisset, in praesenti, lingua detrahentium, quae vt gladius erat acutus, raderetur, atque purgaretur. Sed quid? Supradicto Principe Frederico Nepote suo in Italicam expeditionem iter agente, cum & ipse sicut necessariis & perutilis Imperii negotijs, ire debuisset, nutu diuino contigit ipsum iter detrectare, vt Vir Religiosus inter manus Fratrum orantium potius, quam inter strepitum praeliantium expirans dicere posset: Domine, suscipe me, vt cum Fratribus meis sim, cum quibus. &c. Benigne verò ab Imperatore dimissus, multis gemitibus commissam sibi sua benignitati commendauit ecclesiam, ac quodam spiritu prophetico, de fine suo praescius, ne post mortem suam, ipsam Ecclesiam aliquo modo grauaret, & libertate electionis, vt iam saepius ante actis temporibus in alijs ecclesijs factum dicebatur, eam nullo modo priuaret, postulauit. Accepto de hac probabili petitione, fidei laudamento, ad propria reuersus est: At cum aliquibus de morte sua, seu per visiones, seu per somnia, reuelatum fuisset, referentibus & commouentibus quibusdam Religiosis, cognouisset, salutatis fraterna charitate media, quam intime Fratribus, & Valedicto, occasione salutandi Cisterciense Capitulum, viam carpit, & iam dudum languore ac debilitate corporis inualidus, laborioso itinere (nihil tamen adhuc suis qui secum erant, metuentibus) ad praenominatum Morimundense Monasterium peruenit. Ibi per aliquot dies lecto cubans, & iam de obitu suo nequaquam dubius, dum sacro liquore olei, sicut moris est, perunctus fuisset, & de pecunia sua laudabili testamento ordinasset, inter caetera quae, solicitus de sua salute praeuidebat etiam hunc codicem manibus suis offerri praecepit, eumque litteratis & Religiosis Viris tradidit, vt, si quid pro sententia Magistri Gilberti,* vt patet, in prioribus dixisse visus esset, quod quempiam posset offendere, ad ipsorum arbitrium corrigeretur; seque Catholicae fidei assertorem, iuxta sanctae Romanae, imò & Vniuersalis ecclesiae regulam professus est.*

Deinde, multa priùs contritione cordis, & humili confessione reatum suum recognoscens, sumptis sacrosanctis mysterijs, in medio multitudinis Sanctorum tam Episcoporum, quam Abbatum, Domino spiritum reddidit. Cum autem adhuc viuens, locum sepulturae suae Fratribus digito praemonstrasset, extra ecclesiam in loco humili, vt scilicet ab omnibus Fratribus, calcari debuisset; huic eius vltimae voluntati obuiandum putabatur, & intra septa Ecclesiae, iuxta maius altare, honorifice tumulatus est; eiusque sepulchrum à cunctis Fratribus honore ac veneratione dignum habetur. Ego autem, qui huius operis principium ex ore eius adnotaui, finemque eiusdem iussu Principis, perficiendum suscepi & manu mea ipsius extrema lumina clausi, hoc Epitaphium composui, & tumulo, seu caenotaphio eius inscribi feci.

Epitaphium Ottonis Episcopi.

Libram Phoebus subijt, cum facitenente
Luci nox praeualuit, die decrescente,
Vita minus habuit, morte praeualente,
Otto quandò corruit, raptus, heu! repente.
Hic, si gradum consulis, Praesul dignitate;
Formam? decens, habilis, iuuenis aetate:
Genus? altâ, nobilis, Regum maiestate.
Mores? commendabilis, mira probitate.
Monachum se praebuit, si Religionem.
Ideas asseruit, si positionem.
Virgo, cuius meruit intercessionem,
Eius ad quem genuit, agat mentionem.
Cuius frequens otium in Philosophiâ,

Maius

Maius exercitium in Theologia:
Fœdus sibi mutuum cum Philologia;
Nunc fit ei speculum, summa Theoria.
Plangat hunc Germania planctu generali,
Magis tu Frisingia, orba viro tali,
Cui tot priuilegia dono speciali,
Iugi querimonia debes lamentari.
Huius in te studio, studium vigebat;
Grata disceptatio plures acuebat.
Quis mos, aut quid ratio, nemo non videbat.
Fraus & Cauillatio latens non latebat.
Hic sacrum Ecclesiæ sublimauit cultum,
Ipse dedit strepere logicum tumultum;
Hoc in eius cinere totum est sepultum.
Talem nemo plangere potest satis multum.
Quis nunc tantam gratiam sermonis affirmabit?
Aut, quis elegantiam dictis assignabit?
Quis ad consequentiam tropos reuocabit?
Heu! qualem sententiam schola vento dabit.
Quid rerum compactio sagax dum rimatur,
Mathesis abstractio quid, dum contemplatur,
Quod nihil priuatio, per hunc dum probatur;
Quid ambarum actio, morte sciri datur.
Huius necem patria iustè dedignata,
Clara dolens atria Rectore priuata,
De se benè meritum cernens in fauillà,
Iuit in interitum, pariter & illa.
Tantas ad exequias turba populorum,
Pias fundit lacrymas, mæstum ducens chorum.
Ad preces continuas, & lamenta quorum
Illum saluet, animas qui beat Iustorum.

Amen.

Aliter, Idem:

Quidquid in Orbe beat, præclaros & meliores,
Præsulis Ottonis, mirè cumulauit honores;
Si pro aui, vel aui probitas, Sacer Ordo, potestas,
Deberent mortis furias cohibere molestas,
Nec moriturus erat præclarè præditus illis.
Heu! talem communibus accessisse fauillis,
Quam facunda viri vox, qualis Philosophia!
Bibliothec. Ord. Cisterc.

Hortatu Regum docet edita Chronographia.
Luxit eum patria, propriâ comitata ruinâ.
Propitietur ei Deus, & pia Virgo Maria.

Huc vsque Radeuicus.

Porrò, in quodam fragmento, ex antiquo M.S. desumpto, & appendici ad Radeuicum subiuncto, de Ottone nostro ita etiam habetur: *Prædictus autem Otto, cum more solito, Cistercium inuisendi gratia pergeret, & ad Cœnobium suum Morimundum diuertisset, graui infirmitate detentus, in habitu Monachali, quem nunquam in Episcopatu deposuerat, diem vltimum omnibus fratribus coram positis, & eiulatu maximo perstrepentibus, feliciter claudens, ibidem honorificè est sepultus.*

Codex operum Ottonis, qui apud nos Dunis extat, ex quo hæc omnia desumpta sunt, impressus est Basileæ per Petrum Pernam, anno 1569. non sine priuilegio Cæsareæ Maiestatis.

Obijt Otto, ætate & meritis grauis, anno 1159. quem Martyrologio Benedictino adscripsit Hugo Menardus, & Menologio Cistercìensi, Henriquez, 7. Septembris. Vide etiam Manriquez Annalium tomo 2. ad annum 1159. cap. 5. Et Vossium, de Historicis Latinis, libro 2. cap. 53.

Ottho (alijs Odo) de Castro Rudolphi, vulgò *Chasteau Raoul,* Gallus Bituricensis, S. Theologiæ Doctor, & Cancellarius Parisiensis, posteà verò monachus & Abbas 6. Vrsicampi, dein Grandisylvæ; & tandem an. 1244. ab Innocentio IV. creatus Cardinalis, Episcopus Tusculanus; quem ipse Pontifex vocare solebat, *Virum secundum cor suum, morum honestate decorum, litterarum scientia præditum, & consilij maturitate prælatum.* Quem proindè etiam Sancto Ludouico Francorum Regi ad expeditionem terræ sanctæ proficiscenti, comitem adiunxit, cum titulo Legati à latere. In qua legatione, illustria generosi sui zeli specimina dedit; quorum non minimum fuit, quod Erisalinum, ma-

Kk gnum

gnum Tartarorum orientalium Cham, recenter ad fidem catholicam conuersum, in eadem egregiè confirmauerit, *scriptis* tam ad illum, quam ad alios magnates & Prælatos regionis illius, *diuersis literis doctrina & pietate excellentibus*, vt referunt S. g nnus, & ongelinus in Purpurâ, ex Vincentio Belluacensi, lib. 30. cap. 152. & lib. 31. cap. 1.

Scripsit insuper doctissimas Conciones, seu Homilias plurimas de tempore, & de Sanctis, 2. tomis distinctas. quæ seruantur M. SS. Romæ in Bibliothecâ Vaticanâ, in Cisterciо, & Cremonæ in Cœnobio Augustinianorum.

Extat quoque in Abbatia Montis S. Eligij, in Belgio, codex membraneus, in folio, *M. S. continens 13. Sermones elegantes huius Ottonis vel Odonis, de diuersis materijs conscriptos*, quorum primus habitus est in vnctione Caroli in Regem Siciliæ, sub hoc Themate: *Tulit enim Samuel cornu olei, & vnxit eum*, &c. 1. Reg. 16. Vltimus verò habitus fuit, in obitu Domini Clementis Papæ 4. hoc themate: *Oritur Sol & occidit* &c. Ecclesiastæ 1. Codex hic ibidem studiosè seruatur, tanquam pretiosum antiquitatis monumentum.

Relatio Clarissimi Viri Claudij D'oresmieulx Attrebatij, qui anno 1627. hunc codicem ibidem vidit.

Denique, scripsit *super Psalterium*, cuius initium est. Sciendum quod intellectus Psalmorum &c. solebat seruari Dunis, Villarij, apud minores Tornaci, & Prædicatores Bruxellis, teste Bunderio. N. x.

Labbeus etiam scribit se habere huius Ottonis, *Librum quemdam diuersarum quæstionum*, quem in lucem producere cogitat.

Cæterum, Castrum Rodolphi, seu Rudolphinum, nunc erectum in celebrem ducatum, pertinet ad Principem Condeum, vt refert Maraccius in Bibliothecâ Mariana.

Otto autem noster ex legatione transmarinâ Romam reuersus, obijt paulo post Vrbe veteri, anno 1275. ibidemque sepultus iacet apud Prædicatores. Alij tamen obijsse volunt 1268. sed perperam, confundentes Othonem hunc cum Ordeoneo, Episcopo Tusculano, vt benè notat Vghellus. tomo 1. Italiæ sacræ, fol. 270. inter Episcopos Tusculanos, vbi & alia plura notatu digna de Othone nostro refert, nominatim elogium illustre quo, suprà, narrauimus illum honoratum fuisse à Pontifice, asserit à S. Ludouico Francorum Rege. si attributum.

Otho. ex Priore creatus *Abbas Waldsassensis cœnobij*, in Bauariâ, historicus non contemnendus; quinimò, vt scribit Guillielmus Eisegreinius, vir omni doctrinarum generè clarus, philosophus & orator eminentissimus, historicus celeberrimus; conscripsit stylo eleganti, *Annales prædecessorum suorum*; qui historicis Bauaricis vsui esse poterunt. Iongelinus in notitijs, lib. 3. & Posseuinus in Apparatu, vbi vocat illum, Abbatem Cisterciensium eremitarum in Nariscis. Obijt anno 1508.

P.

PArabola ad Venerabilem Bernardum, Claraualis Abbatem: opus morale luce dignũ, conscriptum ab anonymo quodã monacho ordinis Cisterciensis, contemporaneo Sancto Bernardo, cui & dicatum est, seruatur M. S. in bibliothecã nostra Dunensi Author dicitur, quidam Guido vid. suprà, verbo *Guido*.

Paulus Annicola, Abbas Veteris cellæ ordinis Cisterc in Diœcesi Misnensi, quem Guillielmus Eisegreinius, in catalogo scriptorum, vocat virum omni litteratura doctissimum, sacris præsertim scripturis absolutissimum, pro Christi fide contra hæreticos athletam inuictissimum; floruit circã annum 1530, & posteà, *ra-*

rus

tis libris contra Lutherum editis, clarus: quos hoc ordine recenset ibidem dictus Eisegreinius:

De votis monasticis. *De missa.*
De ieiunio. *De inuocatione Sanctorum.*
De vna specie Sacramenti.
De authoritate Papæ.
De operum merito.
De coniugio sacerdotum.

Obijt anno 1535 Vide de hoc etiam Ludouicum Iacob à S.Carolo, in bibliotheca Pontificia, lib 2.

Paulus Chifflerius, Patriâ Bruxellensis, Religiosus Villariensis, in Brabantia, scripsit, *de Per nobili & militari genere Sancti Bernardi Abbatis Claraeuallensis, epistolicam obseruationem, ad locum Breuiarij Romani, ipso Sancto Festo, xx die Augusti, excusum* in 4 anno 1653 suppressis, loco, & Typographi nomine. Maturior huius viri ætas, plura à nobis promittit, modo namque scribere cœpit.

Paulus N. monachus in prioratu S. Lazari, ad firmitatem Milonis, edidit *Horologium Benedictinum*, anno 1645. Parisijs excusum. Relationes clarissimorum Dominorum, Claudij Chalemot, & Iosephi Arnolphini.

Paulus de Mendoza, Vallis Paradisi monachus vir in sacris literis benè versatus, & singulari dicendi gratia præditus, orator disertus, & concionator nominatissimus, qui tanta floruit bonæ nominis fama, vt etiam Philippus II. Hispaniarum Rex, eum ordinarium suum habuerit ecclesiasten. Quod munus tanta omnium satisfactione obiuit, vt tam Regi, quã principibus, & aulicis vniuersis esset in amoribus, & honore. Varia scripsisse dicitur, inter quæ nominatur opus quoddam cui titulum dedit:

Homo Iustus & bonus. Est varia eruditioné refertum, & iampridem reuisum, approbatum, & rubricatum, adeoque prælo paratum sed morte Authoris hactenus suppressum. Seruatur modo in Bibliothecâ Coll.gij Salmanticensis. Conscriptum est autem idiomate Hispano.

Rẹliquit & aliud opus, cuius titulus est: *Regimen bonum Christiani Principis, iuxta doctrinam Angelici Magistri, D.Thomæ, quinti Ecclesiæ Doctoris, cum quibusdam introductionibus, ad faciliorem intelligentiam eiusdem Sancti.* Opus hoc etiam valdè eruditum esse perhibetur, quamuis etiam vulgari linguâ conscriptum, & morte pariter Authoris suppressum. Obijt Author anno 1599. in monasterio de Benavides.

Relatio R.mi Domini Alfonsi Perez.

Petrus Aluastrensis monasterij Ordinis nostri in Sueciæ Regno quondam Prior, Sanctæ Birgittæ à sacris Confessionibus, & peregrinationis ipsius (ex ordinatione diuinâ) comes individuus, *Reuelationes ferè omnes, diuinitus ipsi Brigittæ factas, iussu Christi Domini, scriptis mandauit, & in linguam latinam transtulit.* Quemadmodum etiam & *Regulam, vulgo dictam, Saluatoris*, quia ab ipso Saluatore nostro dicata fuit, *quam modò, post approbationem Pontificiam, Brigittani obseruant.* Qualiter autem hæc contigerint, narratur exactè in ipsis Reuelationibus. quæ communiter vocari solent, extrauagantes. nuper anno 1621. cum approbatione Pontificiâ, aliorumque grauissimorum Doctorum, Antuerpiæ impressis, cap.48 Quod caput operepretium duxi, ad verbum hic inserere:

Summarium:

Reuelatio, Qualiter Christus Dominum Petrum tunc Subpriorem Aluastri, Conscriptorem istarum Reuelationum constituit, præmittendo rationem, quare ista reuelata sunt.

Cap. 48.

Orante Beatâ Brigitta, apparuit ei Christus, dicens: Dic ex parte mea, fratri Petro Subpriori, quod ego sum similis Domino cuius filij tenebantur captiui in duro

duro ci po, qui misit legatos suos, vt filij liberarentur, & vt praecauerent alios, ne in manus inimicorum suorum inciderent, quos putabant amicos. Sic ego Deus habeo multos filios, id est, Christianos, qui grauissimis laqueis diaboli tenentur. ideo ex charitate mitto eis verba oris mei, quae per vnam feminam loquor. Audi igitur tu frater Petre, illa, & scribe in linguâ latinâ, verba quae ipsa tibi ex parte mea dicit, & dabo tibi pro qualibet littera, non aurum vel argentum, sed thesaurũ qui non veterascet. Quam reuelationẽ ipsa Domina Brigitta notificauit statim ex parte Christi, eidem Priori, qui tunc erat Sulprior. Ipse autem volens deliberare super hoc, stabat in sero in Ecclesia, certando cogitationibus suis secum. Cumque in fine, ex humilitate, deliberaret non assumere, neq; scribere dictas reuelationes diuinas, reputans se ad talia indignum, & dubitans de illusione Diaboli, tunc percussus fuit tali alapa, diuina percussione, quod statim stetit quasi mortuus, priuatus officio sensuum, & virium corporis, sed tamen intellectus sanus remanebat in mente eius. Monachi igitur inuenientes eum sic in terra iacentem, apportauerunt eum ad cellã, & posuerunt in lecto. & sic iacuit per magnum spatiũ noctu quasi semimortuus. Tandẽ dispensatione diuinâ, occurrit ei in mente talis cogitatio: fortè, inquit, hac patior, quia nolui obedire reuelationi & praecepto sancto mihi per Dominam Brigittam ex parte Christi: & dicebat in corde suo: O Domine Deus, si propter hoc est, parce mihi, quia ecce paratus sum, & volo obedire, & scribere omnia verba quae ipsa mihi dixerit ex parte tua. Tunc autem in eodem puncto, consensu facto in corde, statim curatus est sine aliqua mora; & iuit ad Dominam Brigittam festinanter, & offerens se ad scripturam faciendã de omnibus reuelationibus, sicut ipsa diceret ei ex parte Christi. Item dixit Prior, quod posteà audiuit à Domina Brigitta quod Christus dixit ei in alia reuelatione, hac verba: Ego percussi eum quia nolebat obedire, & posteà sanaui eum; quia ego sum medicus ille qui sanaui Tobiam, & Regem Israël. Dic ergo ei: Aggredere, & volue & reuolue opus scripturarum verborum meorum, & scribe, quia dabo tibi adiutorẽ, Magistrum in lege mea. & scias pro certissimo, quia tale opus facere volo per verba mea quae tu scribis ab ore istius mulieris, vndè potentes humiliabuntur, & sapientes obmutescent. Nec credas à maligno spiritu ista verba procedere, quae haec mulier tibi loquitur, quia ea quae tibi dicô, operibus comprobabo. Et statim Prior post haec incepit scribere, & translatare omnes reuelationes & visiones diuinas datas ipsi Dominae Brigittae, iuxta praeceptum eius; licet aliquas scripserit Dominus Petrus Consocius eius, & Confessor, vna cum dicto Domino Priore, quando ipse Prior non erat cum ea. Et dixit. Prior quod postea ipse ex praecepto Christi, sequebatur eam, & fuit Confessor & Scriptor eius, in dictis reuelationibus, 30. annis vsque ad mortem ipsius Dominae Brigittae: quas postea Christus ante mortẽ ipsius, praecepit dari Domino Alphonso Hieremitae Hispano, olim Episcopo Hiennensi. Et tali modo isti libri caelestium reuelationum conscripti sunt. Haec ibi.

Porrò, quid ipse Alphonsus Eremita, circa reuelationes istas fecerit, & cur aliquae vocentur, extrauagantes, refertur in Prologo harum reuelationum, (fol. 681.) nimirum; quod easdem reuelationes, à Petro Aluastrensi nostro consequenter scriptas, ipse in libros & capita distinxerit, prout nunc editae sunt. verba prologi audiamus..

Postquam Dominus Alphonsus quondam Episcopus Hiennensis, & postea Eremita probatissimus, ex praecepto Christi, reuelationes caelestes factas Sanctae Brigittae, de Regno Sueciae, in libros distinxisset, Dominus Petrus Prior Aluastri, ipsarum Reuelationum primus Conscriptor, aliquas alias reuelationes extra libros originales praetermissas, redegit seorsim in schedulas, & sexternos, quas in praesentia Reuerendi Patris, beatae memoriae Domini Nicolai, tunc temporis Episcopi Lincopensis, aliorumque plurimorum Dominorum saecularium, & Ecclesiasticorum, tradidit fratribus primitiuis monasterij Watzstenen; (a) *affirmans in verbo veritatis, reuela-*

(a) *Watzstenen est Monasterium à S. Brigitta constructum, vbi ipsa quiescit.*

relationes illas, & plures alias, quas in suo monasterio Aluastri repositas habebat, Beatæ Brigittæ diuinitus reuelatas, & per se ab ore eius translatas fideliter & conscriptas. Quarum reuelationum aliquæ propter conuenientiam quam habent ad reuelationes in libris originalibus contentas, tanquam declarationes earundem, & additiones, diligenti præhabitâ discussione ipsis originalibus libris, hinc inde pio conamine sunt insertæ: Reliquæ verò, studiosè in vnum collectæ volumen, patebunt numero & ordine infrà scriptis. Et quamuis reuelationes istæ ab aliquibus nuncupentur extrauagantes, eo quod ipsis libris originalibus reuelationum cælestium à principio non iunguntur; piè tamen ab eodem fonte Sapientiæ Dei quo & aliæ accepimus, omnes creduntur veraciter emanasse. Verum, quia dictarum Reuelationum extravagantium quamplures concernunt Regulam Sancti Saluatoris, vel in toto, vel in aliqua sui parte, idcircò in præsenti tractatulo, tanquam ipsi Regulæ viciniores; cæteris præferuntur; cæteræ autem diuersis hominum statibus abusiones & vitia dissuadentes morum quoque ac virtutum exempla præbentes, vsque ad finem libri propensius subsequuntur. Harum autem Reuelationum veritas, quod diuinitus reuelata sint, in attestationibus Domini Petri Prioris; & Beatæ Catharinæ, Sanctæ Brigittæ filiæ, pro canonizatione sæpe dictæ sanctæ Brigittæ factis, pro maiori parte, euidenter patebit cuilibet, ipsas attestationes fideliter intuenti. Hæc ibi. Quod autem iam etiam Venerabilis Petrus noster scripserit Regulam Brigittanorum, idque ex præcepto Christi Domini, & cum facultate addendi hinc inde aliqua, quæ iudicaret expedire, habetur expressè, in libro suprà citatum reuelationum extravagantium, cap. 45. his verbis:

Summarium.

Christus per Sanctam Brigittam præcepit Priori Petro de Aluastro, scribere Regulam Sancti Saluatoris, &c.

CAPVT 45.

Filius Dei loquitur: Dic illi, quod scribat Regulam à spiritu meo dictatam; sed caue diligenter, ne de Spiritu tuo, aut minuas aut addas, nisi ea quæ tibi à me dicuntur. (a) Si verò Scriptor aliquid de Regulis Patrum addiderit, vbi Materia congruere viderit, & attractum Spiritus mei solitum sibi adesse senserit, non est mihi ingratum, nam Benedictus & Franciscus, & alij Patres More Apum, de Patribus suis, in Regulis suis multa constituerunt, & gratum est mihi, quia spiritum meum habuerunt; & voluntas eorum erat secundum voluntatem meam; ideò, quidquid statuerunt, gratum est mihi.

Ex his omnibus iam colligi facilè potest, quanti meriti apud Deum fuerit hic Petrus; si quis tamen de Sanctitate ipsius vlteriorem notitiam desideret, consulat Chrysostomum Henriquez, & Authores ab ipso citatos, in Menologio, ad 6. Maij. Hic solummodò commemoramus ea quæ concernunt doctrinam & scripta ipsius.

Cæterum, Petrus mortuâ Romæ, Sanctâ Brigittâ, sãctas eius reliquias in Sueciam deportauit, vnà cum Beatâ Catharinâ ipsius Sanctæ Filiâ; in quo itinere, passim ciuitates & oppida, quæ pertransierunt, doctis & deuotis suis concionibus honorauit, vt expressè etiam habetur, in fine capitis 13. vitæ ipsius Beatæ Catharinæ, subiunctæ Reuelationibus Sanctæ Brigittæ, his verbis: *Venerabilis verò Petrus Prior de Aluastro, Cisterciensis Ordinis, felicis memoriæ, qui D. Catharinam secutus fuerat de Româ, in hâc deductione sanctarum reliquiarum à Sudercopia vsque VVatzstenum, in ciuitatibus & oppidis frequenter sermonem faciebat ad populum confluentem, explicans quanta benignus Deus cum eâ (scilicet B. Catharinâ) operari dignatus est, & quam stupendis prodigijs matrem suam Beatam Briggittam clarificauerat in Allemannia, Italia, & Hispaniarum partibus, & in Regionibus transmarinis.*

Petrus, ex Abbate 11. Cistercij, creatus Atrebatensium Episcopus numero 40. vir fuit raris animi dotibus

(a) Nota.

tibus prǽditus, ideoque varij summi momenti commissionibus honoratus; imprimis arbiter fuit (vna cum Guillielmo Archiepiscopo Rhemensi, Simone Abbate Aquicinctino, & Daniele Camberonensi) inter Philippum Regem Galliæ, & Balduinum Comitem Flandriæ in diuisione Artesiæ à Flandria, vt refert Meyerus in Annalibus Flandriæ, lib. 7. ad annum 1193. Interfuit etiam coronationi Reginæ Galliæ, Engelbertæ, filiæ Regis Daniæ, quæ in ciuitate Ambianensi celebrata fuit. Huic quoque iniunctum fuit à Lucio III. Pontifice, vt vitam & miracula S. Petri Archiepiscopi Tharantasiensis conscribi curaret, id quod etiam mox executus fuit per Guillielmum Abbatem Altæcumbæ, vt suprà diximus. Extat inter opera Guillielmi Altæcumbæ *Epistola huius Petri, qua illum monet, vt vitam hanc scribat*, vnà cum epistola Claræuallensis Abbatis, de eadem re. Scripsit autem ipse Petrus.

Commentarios, seu expositiones in officium de communi Euangelistarum.

Item, in officia Sanctorum Archiepiscoporum Guillielmi Bituricensis, & Edmundi Cantuariensis.

Prætereà *Interpretationem nominum & locorum contentorum in passione Domini, lib. 1.*

Passionis Dominicæ compilationem ex quatuor Euangelistis, lib. 1.

Quæstionum super historia passionis Dominicæ, lib. 1.

Super illud Cantici Canticorum, Ecce iste venit saliens in montibus, &c. *lib. 1.*

Quæ omnia reperiuntur in Caroli loco, teste Philippo Seguino, eiusdem Loci Priore, in bibliothecâ M. S. Floruit anno 1184. quo anno à Guillielmo Cardinale Archiepiscopo Rhemensi, Veronæ in Italia consecratus fuit Episcopus Atrebat. Obijt autem anno 1193. vt scribit Guillielmus Gazet in serie Episcoporum Atrebatensium.

Petrus Blesensis (non ille Bathoniensis Archidiaconus, cuius scripta plurima recenset Bellarminus, lib. de scriptoribus, sed alius) in cœnobio de Eleemósyna, Cisterc. ordinis Monachus, vir pariter eruditus & pius, scripsit *Multas homilias in Euangelia*, quæ M. S. in membranis habentur in Caroli loco. Philippus Seguinus suprà.

Petrus à S. Bernardo, Congregationis Fuliensiũ, Scripsit, & publicauit gallicè opus sequens: *La dedicace Religieuse, ou, Reflexions, en forme d'exercices spirituels, pour se bien preparer au renouuellement annuel des voeux de Religion, par le R. Pere don Pierre de S. Bernard, Religieux Feullentin.* in 8. Parisijs.

Idem, dum anno 1623. Superior esset in monasterio sui Ordinis, Lugduni, *doctam & prolixam publicauit orationem funebrem, in obitum B. Francisci de Sales, Archi episcopi & Principis Geneuensis, sibi quondam valde familiaris*; quam orationem eodem anno perorauerat, ipso festo B. Virginis, apud Moniales Ordinis Visitationis B. Mariæ, quibus etiam eandem orationem dedicauit. Eius initium est: *La glorieuse Mere de Dieu ayme tellement la lustre de la saincete des bons. &c.*

Petrus Boexelaer, Antuerpiensis, Religiosus & Subprior S. Saluatoris, Ord. Cisterc. in Patria, & à Confessionibus, & concionibus Monialium Vallis S. Bernardi, Diestenij, *Scripsit, viam salutis, & Spirituales conferentias, inter Pastorem & Ouem.* impressas Antuerpiæ, apud Viduam Cnobbaert: Aubertus Miræus, p. 2. Bibliothecæ Eccles. cap. 237.

Petrus Cantor Parisiensis, suo tempore scholæ Theologicæ Rector, per Gallias celeberrimæ opinionis, ad Tornacensem postulatus cathedram, electioni noluit consentire, sed ad Longipontis cœnobium, Ordinis Cisterc. in Diœcesi Suessionensi se transferens, habitum ibi monasti-

monasticum (anno 1190.) assumpsit, in quo feliciter ad obitum vsque perseuerauit; post quem honorifica donatus fuit sepultura, quæ adhuc hodiè conspicitur intra murum claustri, in ingressu Ecclesiæ, vt ex Gallijs me certiorem reddidit adm. Reuerendus & Eximius Dominus Claudius Chalemot, Abbas de Columba, S. Theol. Doctor. Scripsit verò Petrus *Glossam scholasticam in vniuersa sacra biblia.* Ex qua Sixtus Senensis in bibliotheca sancta, testatur se vidisse in bibliotheca PP. Prædicatorum Lugdunensium.

In psalterium, librum vnum, cuius initium: *Fiebat Ioannes, & non erat qui librum aperiret.*

In prouerbia, lib. vnum: sic inc. *Parabolæ Salomonis secundum hebraicam veritatem*, &c.

In Ecclesiastica, lib. 1. Beatus vir, cuius auxilium abs te, &c.

In Sapientiam, lib. vnum. Summi Regis palatium, &c.

In Ezechielem, libros duos. Et factum est in tertio anno, &c.

In Actus Apostolorū l. 1. Lique facta est terra, &c.

In epistolas canonicas, librum vnum. Os meum loquetur sapientiam, &c.

In Apocalypsim, lib. vnum. Hæc sola inter libros noui testamenti, vocatur Prophetia, &c.

Hæc omnia Sixtus, suprà.

Porrò Alnæ in Belgio, extant eiusdem Glossæ (alibi *Commentaria*) in Isaiam prophetam. Glossæ in Euangelia, Oxoniæ in bibl. coll. Mes. volum. 144.

Scripsit insuper & *Summam theologicam*, impressam Montibus Hannoniæ, anno 163 . apud Franciscum Waudræum, cum notis Georgij Galopini, ordinis Sancti Benedicti, in Cella Gislenianâ religiosi. Inscribitur autem hæc Summa: *Verbum abbreuiatum Petri Cantoris.* Cuius manuscripta exemplaria reperiuntur etiam in Monasterio nostro Dunensi, in Villario Brabantiæ, & in Sancto Martino Tornaci.

Librum quendam diuersarum distinctionum, M. S. Dunis, & Alnæ.

Expositionem in Iob, M. S. Camberonæ.

Tractatum de proprietate monachorum, qui apud Marnethium Parisijs impressus, reperitur Tornaci in Sancti Martini cœnobio.

De Sacramentis, libros 3. quorum initium: *Circuibat populus*, &c. M. S. Villarij, & Alnæ. Summæ huic de Sacramentis & animæ consilijs lucem promittit Philip. Labæus in Biblior. nouâ.

De contrarietatibus theologicis. Villarij in 4.

Grammaticam theologorum, ad intellectum S. scripturæ, perutilem, teste Henrico Gandauensi.

Sermones varios, & librum miraculorum.

Commentaria in libros physicorum, & de anima. Villarij M. S. in folio.

Plura adhuc alia huius viri scripta extare Oxoniæ in bibliothecis, Balliolensi, & Sancti Benedicti, scribit Thomas Iames, in catalogo librorum manuscriptorum Angliæ, Londini anno 1600. impresso; nimirum, *In Numeros, Deuteronomium, Iosue, Iudicum, Ruth*, in bibliotheca Balliolana, volumine 22. *In Psalterium*, ibidem volum. 30. *In Cantica*, in bibliotheca Benedicti, volum. 219. & 223.

Denique in Gallijs, apud eximium D. Chalemot suprà memoratum, reperiuntur, *Liber quidam determinationum, seu consiliorum Petri Cantoris.* Et

Alphabetum morale, seu liber locorum communium, pro concionatoribus.

Hæc dictus eximius Dominus, litteris suis ad me datis ex Regali monte, anno 1647. 15. Decembris. Ioannes autem Bunderius in indice suo librorum M. SS. Belgij huius Petri (quē vocat Petrum Rhemensem, Cantorem Parisiensem, quomodò etiam vocatur in Chronico Longipontano) opera recensens, quæ in diuer-

sa

sis Cænobijs reperit, plura profert alia præter ea quæ iam recensuimus, hoc tenore:

Annotationes, seu breuia Commentaria, in totum vetus & nouum testamentum. Apud Prædicatores Valencenenses.

Super Genesim, taliter incipiunt. Principium verborum primum æternitatis operum.

Super Exodum: Fecit Moyses primum operimentum &c.

Super Leuiticum: Ezechiel parietem perfodit, &c.

Super Psalterium: Flebat Ioannes, &c. In Claromarisce, Baudelo, & in S. Martino Louanij.

Super Epistolas Pauli: Ab increpatione tuâ fugient, &c. in Claromarisco. Louanij, suprà, & apud Minores, Brugis & Valencenis.

Abbreuiatio super decreta Gratiani. In Longo ponte.

Distinctiones secundum ordinem alphabeti: Abel, dicitur principium Ecclesiæ, &c.

Distinctiones, de Beata Virgine. B. Virgo comparatur cælo.

Vnum ex quatuor: Quatuor facies vni, &c.

De contrarietatum solutionibus. Affligenij.

Grammatica Theologorum: Videmus nunc per speculum, &c. Affligemij, Niniuis, & alibi.

Liber Sententiarum. Quæritur de Sacramentis legalibus, &c. Dunis.

Summa, dicta, verbum abbreuiatum, in multis M. SS. vocatur, summa de Sugillatione vitiorum, & commendatione virtutum. Hæc Banderius.

Porrò Angelus Manriquez, tom. 3. Annal. Cisterc. ad annum Domini 1197. cap. 2. per totum, plura huius viri refert encomia, quibus à Personis summæ authoritatis & eruditionis celebratus fuit; quorum hic duo referam, quæ verborum magnificentiâ cæteris præstare videntur. Primum, magni illius Cardinalis, Iacobi de Vitriaco, Petro nostro coëui, qui in historiâ suâ occidentali, loquens de Petro Cantore nostro, hæc habet verba: (cap. 8.) *Velut lilium inter spinas, & rosa inter vrticas, quasi Angelus Pergami, vbi sedes est Satanæ: quasi thus redolens in diebus æstatis; quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso: quasi oliua pullulans, & cypressus in altitudinem se extollens: quasi cælestis tuba, & Domini Citharista, erat tunc temporis Magister Petrus venerabilis Cantor Parisiensis, vir potens in opere & sermone, aurum suum & argentum similiter conflans, & verbis suis stateram faciens, morum honestati pondus, & grauitatem conferens doctrinæ suæ: cœpit enim facere & docere. velut lucerna ardens & lucens, & ciuitas supra montem posita, & candelabrum in domo Domini aureum, de cuius fonte limpidissimo Beatissimus vir Fulco Presbyter potauit.* Hactenus Cardinalis de Vitriaco; quibus nil maius, vel de magno Augustino videtur dici potuisse. Addam tamen & 2. encomium, quod est, venerabilis & doctissimi viri, Stephani Tornacensis, epistolâ 173. quam ad Rhemensem Archiepiscopum scripsit pro ipso Petro Cantore in Episcopum Tornacensem electo, vbi, post, alia, de eodem Petro sic loquitur: *Vir est, cuius per omnes ecclesias fama suauis diffunditur opinio, qui gemina scientia efficacissime clarens, & doctrinam monitis ornat, & moribus disciplinam.* Et post pauca: *Tales in candelabro vestro lucernas, tales in diademate Aaron lapides, tales in sancta Rhemensi ecclesia Suffraganeos esse decet; vt vicina prouincia sancta æmulatione moueantur ad promotionem consimilium: & sollicitudo vobis commissa facilius & frequentius iuuetur, per religionem & prudentiam ipsorum.* Hæc de vitâ, & sanctâ conuersatione Venerabilis Petri sufficiant. Qui plura desiderat, consulat etiam Hugonem Menardum in Appendice ad suum Martyrologium, litterâ P. Et Cæsarium Disterbacensem, lib. 12. Dialogorum, cap. 48. qui, ibidem, illustria quoque aliquot sanctitatis signa refert, quæ post obitum eius acciderunt. Porrò, ipsum quoque Cisterciensem Ordinem intrasse in Longo ponte affirmant

firmant Authores grauissimi, Vincentius Beluacensis in Speculo Historiali, lib. 29. cap. 59. Buzelinus lib. 6. Gallo Flandriæ, & alij plures relati in Chronico Longipontis, quod anno 1612. publicauit R. D. Antonius Muldrac, eiusdem loci tunc Subprior, nunc anno 1654. dignissimus Prior. Parisijs, typis Ioannis Bessin. Quibus omnibus facem præferre videtur liber obituarius ecclesiæ Tornacensis, in quo (teste Ioanne cognato, l. 4. historiæ Tornacensis. c. 1.) habentur sequentia: *Decimo Calendis Octobris, Obijt egregius Doctor, Petrus Cantor Parisiensis, qui in Episcopum Ecclesiæ huius aliquando electus vocationem humiliter declinauit, & postquam auditoribus suæ scientiæ, & morum norma non modico tempore extitit, assumpto Cisterciensi habitu, in Monasterio Longipontis, sanctitatem vitæ beato fine compleuit.* Quo autem anno habitum nostrum assumpserit, & quandò obierit, variarunt hactenus authores; at veritatem nuper ex antiquis Cænobij sui monumentis, eruit citatus Author Chronici Longipontani, clarè ostendens, illum an. 1190. assumpsisse habitum Religionis, & in eodem obijsse anno septimo conuersionis suæ, id est. 1197. 10. cal. Octobris, ibidemque honorifico conditum sepulchro, quod adhuc perseuerat intra murum claustri, seu ecclesiæ, à parte capituli, propè fores basilicæ, in quo sequens legitur Epitaphium:

Hoc iacet in loculo, Petrus venerabilis ille
Egregius Cantor, Parisiense decus.

Hinc, corrigendus Trithemius, dum scribit illum floruisse, anno 1200. corrigendus & Cæsarius, asserens illum obijsse tempore nouitiatus sui, siue intra annum probationis, cum tamen perseuerauerit vsque ad annum 6. professionis suæ. Vide etiam Manriquez, suprà; Fusius tamen hæc omnia deducit Author Chronici Longi-pontis, quem propterea curiosus Lector consulere poterit, ad annum 1190. fol. scilicet 84. & sequentibus, & iterum, fol. 108. ad annum 1197. Cæterum, quoad scripta Petri nostri, Lectori insinuandum adhuc duxi, ex *Libro exemplorum ipsius*, quædam extracta reperiri, in Speculo exemplorum, verbo, Infirmitas. 2° notatione, subiunctâ; *Hic Petrus Cantor Parisiensis, scripsit librum Miraculorum sui temporis, vnde hæc duo exempla sumpta sunt.*

Petrum Caroli loci Abbatem scripsisse *vitam Sancti Guillelmi Archiepiscopi Bituricensis*, plurimi asserunt, sed vtrum illa sit quæ extat apud Surium 10. Ianuarij, non constat, affirmant Arnoldus de Wion, Henriquez, & alij; improbabile putat Ioannes Bollandus, in notis suis ad hanc vitam, 10. Ianuarij; & certè, cum Surius ipse fateatur se hanc vitam edere contractam, & mutato stylo, satis liquet, non esse illam ipsam vitam integram quam scripsit Abbas Caroli loci. Ipse verò Bollandus iudicat probabile, vitam ab Abbate memorato scriptam, esse illam, quã ipse profert 2° loco, ad 10. Ianuarij, ex M.S. domus professæ Societatis Iesu Antuerpiæ. At de hoc etiam nihil certi, ego, æque probabile iudico, esse illam, quam breuiauit & edidit Surius. Porrò, ex Surio, Vincentio Beluacensi, & alijs, huius S. Guilhelmi vitam conscripsit & publicauit Gallicè, Ioannes d'Assignies, Abbas posteà Nizellensis: quam ego ipse transtuli etiam in linguam Flandricam, sed nondum edidi.

Cæterum, de hoc etiam Guilhelmo Archiepiscopo extat in missali Ecclesiæ Rothomagensis, sequentia propria, quam habet etiam Bollandus, loco citato, & nos hic (ad maiorem Dei gloriam) adscribemus:

Ecce dies specialis, Confessorum gloria,
Quâ præfulget triumphalis Guillermi victoria,
Quâ æterna, Christo duce, migrauit ad gaudia,
Sempiterna gaudens luce, eius in præsentia;

Cui mente spiritali herebat per omnia.
Vita fruens temporali, aspirans cælestia:
Morum Clero præstans forma, vt iubar Ecclesiæ,
Plebi vita fulsit norma, vt fomes iustitiæ,
Lapsis vita dans solamen, spem reformans veniæ.
Oppressorum releuamen, de Valle miseriæ.
Huius ergò prece piâ cælesti militiæ
Nos adscribat vita viâ, Rex æterna gloriæ.

Petrus à Sancta Catharina, Religiosus Congregationis Fuliensium, Ord. Cisterc. an. 1648. publicauit gallicè, *Tabulas duas amplissimas, & curiosissimas, Chronologicas, Genealogicas, & Historicas.* Quarum prior, continet Patriarchas, Prophetas, Pontifices, Monarchas, & alias Personas illustres, ab initio mundi vsque ad mortem Redemptoris nostri Iesu Christi. Posterior, continet Imperatores, Reges, Duces, Respublicas, Scriptores, & alias Personas illustres, & præcipua quæque memorabilia, quæ per totum Orbem contigerunt, à morte Christi Domini, vsque ad annum 1648. Parisijs, apud Ioannem Boisseau, addidit & 3. *tabulam, continentem, Genealogias Illustrissimarum familiarum, Franciæ, Alsatiæ, Lotharingiæ, Abspurgensis, Hasbaniæ, Austriæ, Brabantiæ, &c.* Hanc tabulam citat Philippus l'Abbé in opusculo quodam anno 1651. Parisijs edito.

Petrus, Claravallis quidam Monachus, S. Theologiæ Baccalaureus, vir solidè doctus circà annum 1280. scripsit opus quoddam, quod prænotauit, *Confessionale Petri, ad Bononem Claravallis Abbatem*: cuius prologus sic incipit: *Conditor Alme syderum, &c.* Occasionem huius libri dedit (referente Seguino in bibliotheca) definitio quædam in capitulo generali Cistercij lata, qua omnibus & singulis vniuersi ordinis religiosis præcipiebatur, vt semel in anno, omnia peccata, etiam aliàs legitimè confessa, Abbati proprio iterum confiterentur. Liber prohibitus fuit (à Patribus ordinis) vulgari, nihilominus seruatur adhuc M.S. in Claravalle, vt me monuit sæpè citatus Exim. D. Chalemot, suprà: eiusque meminit Dionysius Cisterciensis, lib. 4. Sententiarum, dist. 3. q. 2. a. 2.

Scripsit Petrus & alios plures insignes tractatus, ex quibus extant sequentes, in peruetusto codice Vallis Sancti Martini Louanij:

Centilogium Iesu Christi, contra epistolam Luciferi.

Liber de Somnio, super diffinitione, contra Iudaeos.

Conciones aliquot, scilicet 1. de diuisione facta in capitulo generali. 2. de exaltatione Sanctæ Crucis. 3. de Natiuitate b. Virginis 4. de SS. Martyribus Cornelio & Cypriano. 5. de ordine Cisterciensi. Subiunguntur

Diuersæ eius epistolæ.

Relatio venerabilium Dominorum dicti Cœnobij, scripto ad me missa an. 1648.

Extat etiam Centilogium memoratum Alnæ, vt habet Catalogus bibliothecæ dicti monasterij apud Sanderum, tomo 2. bibl. M.S. fol. 25. Lego Petrum hunc adhuc superfuisse anno 1300. Cæterum Montalbus hist. parte 1. lib. 2. cap. 33. refert.

Petrum quendam Claravallensem, scripsisse *Commentaria in 4. libros Sententiarum*, quæ in 3. voluminibus descripta, seruantur in Claravalle. Verum, vtrum hic idem sit cum præcedente, assequi non potui.

Petrus Abbas de Floregiâ, Ord. Cisterc. Scripsit

Breuiarium super Rubricis decretalium. Solebat seruari apud minores Syluæ Ducenses. Bunderius, n. 93.

Petrus de Hercuria, Ord. Cisterc. Scripsit

Super 4. libros Sententiarum. Quod opus olim seruabatur, apud Carmelitas Harlemenses. Scriptum super 3.um sic incipit,

Venerabilis Beda pertractans, &c. Super 4.um sic:

sic: *Sacramenta à Christo*, &c. Bunderius, litt. P. n. 98.

Petrus van Hertsen, Religiosus Sancti Bernardi ad Scaldim, extra Antuerpiam, *Chronicon Monasterij sui* conscriptum à Reuerendo Domino Henrico Strompio, S. Theol. Licentiato, religioso & Priore eiusdem monasterij, ac perductum vsque ad annum 1552. *Stylo eleganti concinnauit, vsque ad annum* 1628. in quo plura habentur Brabantiæ historiam concernentia, lectu digna. Extat excusum Coloniæ anno 1640. in notitia Abbatiarum Gasparis Iongelini. Viuit adhuc hoc anno 1649.

Petrus Ilarius, Ecclesiæ Attrebatensis canonicus, atque Reuerendi in Christo Patris Matthæi Morinensis Episcopi Patruus, apud Caroliloci Monasterium Cisterciense institutum amplexus est, anno Domini 1397. Is in arte poëtica multum exercitatus, scripsit *Odas, seu cantiones heroicas varias, in Laudem Deiparæ Virginis*. Vitam cum morte commutauit anno 1407. 19. Maij, iacetque in eodem monasterio sepultus, ante sacellum Sancti Benedicti. Seguinus in bibliotheca.

Petrus à S. Ioseph, Monachus Cisterciensis, congregationis Fuliensis, conscripsit & publici iuris fecit.

Idaeam theologiæ speculatiuæ, & practicæ: opus nunquam satis laudatum, impressum Parisijs. & alibi, in folio, & etiam in octauo, tomis quatuor. 5. editio, Parisijs 1643. *typis Georgij Iosse.*

Edidit quoque Gallicè, *Examen theologiæ Modernæ*, siue

Theologie du temp. examinée selon les regles de la veritable theologie.

Complectitur vniuersum opus tomos tres, quorum 1. *continet examen doctrinæ concernentis materias de gratiâ, auxilijs*, &c.

Hic tomus rursus subdiuiditur in 3. partes: 1. complectitur iustificationem doctrinæ Ludouici Molinæ, Societatis Iesu, cum narratione veridica eorum, quæ antè hac transacta sunt in Hispania, Romæ, & per totam Europam, concernentia disputationem de auxilijs, adeoque & defensionem ipsius Molinæ, contra aduersarios omnes tam recentiores, quam antiquos, præsertim Iansenium, Episcopum Iprensem. 2. pars tomi 1. continet refutationem principaliũ maximarum Iansenicarum, & defensionem Reuerendissimi Domini N. Habert Vabrensis Episcopi, contrà discursus iniuriosos & insolentes Apologistæ Iansenij, Episcopi Iprensis.

3. Pars habet reflexiones generales, supra eą quæ in duabus præcedentibus partibus dicta sunt.

Tomus 2. complectitur examen quæstionis, de duobus capitibus Ecclesiæ, seu refutationem cuiusdam libri, ab anonymo quodam nuper publicati, sub titulo: La grandeur de l'Eglise Romaine, &c. In quo author ille anonymus conatur ostendere Sanctos Petrum & Paulum esse duo capita Ecclesiæ, quæ tamen simul vnum componant. Vterque hic tomus impressus fuit Parisijs in magno 4. apud Maturinum & Ioannem Henault, sub signo Angeli custodis, anno 1647. *Tomus* 3. qui prodijt anno 1648. *Agit de Sacramento pœnitentiæ, & frequenti communione.* Illum tamen adhuc non vidi. Ediderat hic author iam anteà ab annis aliquot, *duos alios libellos, 1. pro defensione Sancti Augustini, contra eos qui destruunt gratiam & libertatem. 2. inscriptum. Aduocatum S. Petri.* Qui libelli, per priores hosce duos tomos confirmantur.

Prior autem horum libellorum prodijt Parisijs 1643. typis Georgij Iosse, sub hâc inscriptione: *Defensio S. Augustini Hipponensis, aduersus Augustinum Iprensem, quoad auxilia gratiæ, & humanam libertatem, Authore D. Petro à Sancto Ioseph, Fuliensi.*

Scripsit etiam *Suauem concordiam humanæ libertatis cum immobili certitudine prædestinationis, & efficacia auxiliorum gratiæ*, librum in 4°. Parisijs editum anno 1639. apud Mathurinum du Puis, sub signo Coronæ. Item, *Defensionem Sancti Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici, aduersus recentiores quosdam theologos, qui prædeterminationem physicam ad actus liberos illi falsò adfingunt.* Duaci apud Balthazarum Bellerum, 1653. *Tomos duos de Sacramentis Ecclesiæ*, impressos Tolosæ apud Petrum Bosc. anno 1627. in 8°.

Viuit adhuc Author hoc anno 1654. quem, intelligo, recenter iam etiam publicasse *Philosophiam à se elaboratam*, quam tamen nondum videre potui.

Meditatur & alia plura, præclara opera.

Petrus ab Yssche, religiosus S. Bernardi ad Scaldim, iuxta Antuerpiam, vir doctus, & ordinis sui zelator eximius, per 44. annos sanctimonialibus in Vinea Beatæ Mariæ Louanij, à sacris fuit confessionibus: in quarum gratiam

Transtulit ex latino in Flandricum, 1. *plures vitas Sanctorum & Sanctarum ordinis nostri.*

2. *Martyrologium Sanctorum ordinis.*

3. *Epistolam ad fratres de Monte Dei, S. Patri Bernardo à multis adscriptam.*

4. *Meditationes, aut tractatum ipsius S. Bernardi, de Anima.*

5. *Sermones paruos eiusdem.*

6. *Scalam religiosorum, seu modum orandi.*

7. *Formulam honestæ vitæ, cum alio notabili documento eiusdem de eadem materia.*

8. Denique, *Speculum monachorum eiusdem S. Bernardi.* Quæ omnia in 5. voluminibus studiosè conseruantur in dicto monasterio de Vinea, in ciuitate Louaniensi.

Obijt (ni fallor) anno 1651, decrepitus senex. Ex Relatione Religiosorum eiusdem monasterij.

Petrus de Lorca, natione Hispanus, patria Bellomontanus, talium ingeniorum fe[cundissi]ma; quæ Lulio Legionensi Augustiniano Gabrieli Vasquez Societatis Iesu, hunc 3. addidit, tandem subtilissimam omine felici claudens. Parentes habuit inter illius loci primates, valentes opibus, genere, virtute, ac proinde tanto filio dignos. Infans adhuc ingenium colere, litterisque incumbere cœpit, auspicium orbi dans, quantus esset futurus. Annum ætatis agens 14. ad Complutensem destinatur Academiam, vbi philosophicam palæstram in theosophicã commutat; Cistercienſe quippè collegium frequentans, ac monachos, religionemque obseruans, eorum sodalitium petijt, & impetrauit. Destinatus inde in Vallem bonam, illustre ordinis cœnobium, totus Deo ac Deiparæ sacratur: sacratum annus elapsus voto adstringit.

Tum resumptis studijs, Salmanticæ scientiarum matri, insigne ingenij sui specimen dedit, cum applausu omnium, propositis & publicè propugnatis subtilioris theologiæ thesibus. Idē Compluti contigit; vbi cum post philosophiæ professionem theologiam quoque priuatim in Collegio nostro docere vellet, auditorum concursus & plausus publicauit, fama iam illustri, vt Academiæ moderatores, illum sibi deuincire cupientes, sacra theologiæ laurea insignitum, mox Thomisticæ, ac deinde Scoticæ [so]lemni cathedræ præfecerint. Quas tanto cum [laude] & gloria moderatus est, vt ipsi Academiæ [au]tores magistros dederit, doctrina celeberrimos; aliosque tanto numero per Hispaniam, & Europam vniuersam dispersit, vt vix memoranti quispiam subscriberet. Salmanticenses illustribus hisce doctrinæ exquisitissimæ monumentis allecti, omnimodis tentarunt, si qua possent arte, aut pretio, illum ad se reducere, sed immotus Complutensibus adhæsit dum vixit, Magister aut vindex Thomisticæ Scholæ.

Ordinis

Ordinis nostri Patres tanti viri opera & industria etiam frustrari nolentes, Complutense gymnasium ei iterato gubernandum commiserunt, imò & postmodum ætatis annum 44. agenti, vniuersæ congregationis habenas imposuerunt, tanquam ad omnia magno, & pari. Et sanè, authoritatem imperio dignam, quam natura dederat, virtus omninò compleuerat: caput veneranda canities, frontem serenitas reuerenda, oculos imperiosa humanitas, genas decor, ora pudor, ac denique hominem vniuersum statura ad venerationem apta sermonis grauitas, morumque integritas, mirabiliter ornabant.

Incredibile est, quot viri principes, alijque amici, in dies ab ore eius penderent, & oracula peterent. Ipse quoque Serenissimus Hispaniarum Monarcha, illum non modo consultorem, sed regni quodammodo administrum habebat. Adeò vt orbi admirationi fuerit, vnam mentem tot diuersarum simul rerum fuisse capacem, doctrina præsertim inter primos orbis illustrem, & fortè præillustrem. Quippe cum totus esset occurrentium rerum, quæ ex vniuersa Hispania, ad auxilium & consilium eius confluebant, totus quoque erat librorum, & totus suus. At ætatis anno 52. nondum expleto, mortalem esse tantum virum orbis planxit. Ad Catholici namque Regis curiam vocatus, ad grauia regni negotia pertractanda, itineri se dederat, cum dolore colico tam vehementi correptus fuit, vt Complutum reuerti cogeretur, vbi de decumbentis salute dum agitur, acutissima illum inuadens febris, ad extrema præceps traxit. Hinc desperante de conualescentia Domino Petro de Garsia, protomedico regio, lætus æternam salutem suspirat noster, & Sacramentis omnibus præmunitus, suis omnibus valedicit, hymnisque, psalmis, & canticis, quâ potest cordis intensione vacat. Ipso autem vitæ labentis occasu, officium defunctorum canitur, illo adhuc viuo, & correspondente, sicque in lacrymis adstantium & emorientis iubilo, anima cælos petit, 6. Kalandas Ianuarij, anno salutis 1612. ætatis 52. Emortui corpus (quod viuus non voluit) depingitur, atque humeris academicorum in Ecclesiam deportatur; perorante magno illo idiomatis Hispani lumine, M. Laurentio de Zamora, sub hac epigraphe: *Eminebat super omnem populum, ab humero & sursum.* Orationem communis acclamatio illustri fine clausit.

Vitam eius scripsit ex nostris Dionysius Cuchus, vt suprà vidimus.

Reliquit *erudita & luculenta commentaria in omnes partes Summæ Sancti Thomæ Aquinatis*, ex quibus nunc lucem vident:

In 1. & 2. tomus in folio, ipso viuente editus Compluti, apud Ioannem Gratianum anno 1609.

De Fide, Spe, & Charitate, ad 2.2. libri 3. in folio. Madriti, anno 1614. apud Ludouicum Sanchez. Item,

De notis Ecclesiæ, liber alter, in folio, apud eundem.

In 3. partem Diui Thomæ, de Incarnatione, tomus vnus in folio. Compluti, anno 1616. apud viduam Andreæ Sanchez.

Hos 3. posteriores tomos edidit doctissimus Dionysius Cuchus, ordinis nostri theologus, qui in præfatione ad tomum de Incarnatione (quem ipse vocat 4.) promittit se breui prælo commissurum.

Tomum 5. de Sacramentis in genere.

Item 6. de Eucharistia & Pœnitentia: ac tandem 7. *qui præcipuas omnes primæ partis materias complectetur.*

Chrysostomus Henriquez in Phœnice, asserit quoque se (præter hæc) vidisse, & apud se habuisse, *Apologeticum quendam tractatum, contra*

eos qui extinguere conabantur ordines aliquot nouiter in Hispania exortos,(vt Augustinianos recollectos, Trinitarios Discalceatos, Clericos minores, & Mercenarios reformatos,) quem supremo Concilio exhibuit, quo ordines eosdem defenderet, & aduersariorum conatus reprimeret.

Petrus à Sancta Maria Magdalena Patria Abbevillanus, Religiosus Fuliensis, edidit gallicè, *doctissimum & curiosissimum opusculum Horologiographicum*, omnibus, mirè acceptum, & vndequaque expetitum, *in quo docetur, formatio Spherarum & omnis generis Horologiorum, etiam eorum quibus noctu cognosci queant hora, nec non, fluxus & refluxus maris*, &c. Prodijt Parisijs, anno 1641. auctum & ornatum varijs delineationibus, & figuris typis Francisci Langlois in 8.

Petri monachi Abbatis Clareuallensis (non Cluniacensis, vt malè Labbæus, Supplemento 4. Bibliothecæ nouæ, libr. M SS) vita, extat M.S. apud Carmelitas excalceatos Claromontenses, in Auerniâ.

Extat in *Longo ponte*, *visio quadam huius Petri, dum adhuc esset Abbas Igniacensis.*

Petrus de Ouiedo, Hispanus, Hortensis monasterij Monachus, sanguine, moribus, & doctrina illustris, nec minus politico & Ecclesiastico regimine clarus, & de reliquo, comis & humanus in congressu. Nostros in Sancti Claudij collegio, Galetiæ, diu Philosophiam docuit, tantâ nominis claritate, vel Complutensis Academia illum vespertinæ cathedræ publicum creauerit Professorem. Vnde à Philippo III. Hispaniarum Rege, ad Archiepiscopatum Dominicopolitanum, in Hispaniolâ Indiæ Occidentalis Insulâ, & posteà circa annum 1629. translatus ad Cathedram Quitensem in Regno Peruano, nouissimè, anno 1646. creatus fuit Archiepiscopus Charchensis, in eodem Regno, vbi adhuc superesse creditur, pietate & doctrinâ vniuersum peruanum Orbem illustrans. Constat, illum sæpius tentasse dignitati renunciare, & iam de facto, amore quietis & solitudinis iam pridem renunciasset, nisi supremus Indiarum Senatus obstitisset, precibus suarum Ouium commotus, quæ tam docto, benigno & suaui Pastore priuari nolebant. Scripsit autem,

Commentaria in Dialecticam Aristotelis.

In Logicam, & Physicam eiusdem.

Commentaria item in 1. partem D. Thomæ.

Et *in primam 2.* Quæ omnia iam typis mandata feruntur. Henriquez in Phœnice, Iongelinus in Purpurâ Sancti Bernardi, & Reuerendissimus Angelus Manriquez in serie Abbatum Hortensium, ad calcem tomi 2. Annalium suorum Cistercensium.

Petrus de Parma, à loco originis (ciuitate nimirum Parmensi) cognominatus, Religiosus Ordinis nostri Italus, vir doctrinæ laude, ac religiosæ virtutis gloria clarus, cuius meminit Ranuccius Picus, parte 3. Appendicis Virorum illustrium Parmensium, composuit, vt idem refert Ranuccius,

Sermones plures in laudem Virginis Matris. Floruit, anno 1213. Ita Hippolitus Maraccius, in Bibliothecâ Marianâ, anno 1648. Romæ impressâ fol. 268. huius etiam meminerunt, Syluester maurolycus, maris oceani lib. 2. & Montalbus, Chronic. p. 1. lib. 2. cap. 33.

Petrus à S. Romualdo, cognomento Guillebaud, religiosus B. Mariæ Fuliensis scripsit gallicè *Historiam sacram & prophanam præcipuarum rerum in orbe gestarum, ab eiusdem initio, vsque ad hæc nostra tempora.* Opus sanè curiosum & rarum, cuius tomum 1. vidi, impressum in folio Parisijs, anno 1642. apud Antonium Sommaville, hoc titulo: *Thresor chronologique, & historique, contenant ce qui s'est passé de plus remarquable & curieux dans l'estat tant sacré, que prophane, depuis le commencement du monde, iusque à la naissance de Iesus-Christ*,

Jus-Christ se tout diuisé en cinq Auges par le Pere Dom Pierre de S. Romuald, Prestre & Religieux de la congregation de nostre Dame des Fueillens, &c. Prodierunt *iam etiam tomi, 2. & tertius*, vt colligo ex Ludouico Iacob à S. Carolo, Carmelitâ, qui Libro de Claris Scriptoribus Cabilonensibus, tit. Ioan. Gautheron, sub finem hunc 3. tomum citat, titulo, *Tomi 3. Thesauri Chronologici & Historici.* Scripsit etiam Petrus noster, (teste eodem Carmelita) *Annales Fulienfium*, quos anno 1652. Prælo adaptabat, vtrum tamen impressi sint, nondum comperi.

Magister Petrus de Royâ, Vir in sæculo honoratus, & doctrinâ clarissimus, & familiari domestico & commensali Episcopi Nouiomensis, humilis monachus Claræuallis; tempore Nouitiatus sui, ad C. Præpositum Nouiomensem, scripsit *prolixam & elegantem Epistolam, seu Tractatulum, de vita & sancta conuersatione Religiosorum Clareuallensium istius temporis, suaque ad illud monasterium conuersione.* Quam epistolam in peruetusto codice M.S Bibliothecæ Cœnobij Altimontensis, Ord. S. Benedicti, iuxta Malbodium in Hannoniâ repertam, & nuper anno 1651. per eruditissimum Dominum Georgium Galopinum, Abbatiæ S. Gisleni, eiusdem Ord. Sancti Benedicti Religiosum, ad me transmissam, dignissimam iudicaui; quæ hîc lucem videat:

Epistola Magistri Petri de Roya, quam ipse Nouitius apud Claramuallem edidit.

Dilecto suo C. Sanctæ Matris Ecclesiæ Nouiomensis Præposito, forsitan annuali, si velit autem, Cælorum Regi futuro in perpetuum; frater Petrus, per misericordiam Dei, Claraeuallis Nouitius, salutem in idipsum.

Moris est Amicorum, quos iungit amor Christi, sed locorum separant interualla, vt cum se videre non habeant, nec loqui sibi facie ad faciem; frequenter tamen pia in Christo memoria, se vicissim respiciant, sibique mutuis loquantur affectibus; secreta & amica voce cordis super alterutro *inquirentes, & profundu apud Deum gemitibus orantes pro inuicem. Secundum hanc amoris legem, ni fallor, inquiris & tu aliquando intra temetipsum, in secreto cordis, quid agatur apud me dilectum tuum; quæ mihi sit voluntas, quis status & habitus, quod desiderium? & forsitan times, amicâ pietate, humeris meis, quos exiguos agnouisti, & debiles arbitraris ad huius vitæ, quam elegi, portandum onus, & iugum sustinendum.*

Dilecte mi, Trepidauerunt multi vbi non erat timor (a) *Quia igitur in bono Iesu me diligis, non te oportet in huiuscemodi timere*: (b) *Hæc enim Domini sunt, cuius iugum suaue, & onus leue. Ego autem cum sufficiens non sim ad expendendam multitudinem bonorum, quæ nuntiant anima mea per singulos dies, corporis mei aures & oculi; tamen ad certificandum cor tuum de statu & desiderio meo, tua satagam signare dilectioni pauca de Claraualle, de* Pauperibus *Christi habitantibus in ea, de ordine & modo vitæ ipsorum, ad quos imitandos fidelibus anhelat suspirijs anima mea.* Primo *siquidem omnium, describam tibi partem aliquam, & modum veteris vitæ meæ: modum dico, si ubi raro aut nunquam modus fuit, modum possim appellare. Volo autem vt id ad profectum tuum in hac descriptione diligenter attendas, de quot & quantis mortibus me iam eripuit Saluatoris benignitas, ipsumque glorifices;* (c) *qui verè quemcunque* Peccatorem *venientem ad se, non eijcit foras.* Si *quid verò in me legeris, quod & in te fortuitu deprehendas notabile, tua fideliter consulo fraternitati & saluti, vt id sine mora corrigere festines, dum licet, & nescis quid superuentura pariat dies.* (d) *Ego igitur, dilecte mi, dum essem Nouiomi, & in fenestris domus Episcopalis solus mihi sederem, frequenter etiam tecum, & cum alijs, considerata sæpius domus illius ordinatione, & notata quæ se oculis ingerebat, eiusdem pulchritudine, heri noua, hodie veterascente, memoriam mentis & intuitum*

(a) *Psal.* 13. (b) *Matth.* 11. (c) *Ioannis* 6. (d) *Prouerb.* 27.

tum secretò deferebam ad ordinatißimam illam domum super cælestem, cuius gloriosa, indeterminabilis, & semper noua pulchritudo omnem transcendit hominis cogitationem. Ab huius autem semita longe positum, miser ego, miserrimum me videbam, qui scienter in latitudinem viæ peßimæ ambulabam, per quam (nisi cura vigili fugiatur) citò, & irregreßibiliter curritur ad domum longè aliam, domum scilicet doloris, domum extremæ & infinitæ turpitudinis: (a) Vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat, & cum vermis qui non moritur, sempiternus ignis. (b) O! quam iure igitur solicitus cogitabam, ne sicut inceperat me huc pertrahere amor mundi, per cuius ampla & stulta desideria, lubricus & insatiabilis euagabar, adeò ebrius, vt pro viribus & licentia, in nullo meæ carnis reluctarer voluptati; hoc excepto, quod me sæpe recordabar moriturum, & ex huius sæculi labentis labilibus gaudijs, obstupescens, pensabam æternorum mirabilia sæculorum.

Dum enim ad mensam Domini nostri Episcopi, ciuem nostrum imò & hostem meum in argenteis vasis, de more, suauiter nutrirem, nec insalubriter quidem, quantum in vasis erat: dumque mihi manu corporis delectabiles legerem delicias, sæpe in eisdem vasis silenter legebam, manu scilicet cordis, longe alium cibum? Sed tu, dilecte mi, licet tibi satis affiniter recumberem, hunc me legere nesciebas. Quid igitur? nunquid dapes quotidie festiuas, aut inculpabiles scutellas redarguo? nunquid liquorem illum cuius & color blande arridebat oculis, & sapor dulce in palato respondebat, aut scyphos accuso argenteos? Absit non enim cibus erat in vitio, neque potus, nec etiam argentea vasa; sed in meo vase fictili latebant semina, vnde spinarum surgentium graues introrsum sentiebam aculeos, ad auram quidem rerum exterius auditarum, vel visarum excitatos. Sæpe itaque & in mensa, & extra mensam, silenter legebam in auro & argento, in tam pretiosa quam speciosa domus Episcopalis supellectile. Legebam etiam in plerisque alijs rebus mundi, quas ad concupiscendum intuebantur Pradones, oculi mei, mandatorum Dei transgressores. Legebam autem sic: Petre, quæ intueris, in quibus gaudes, vel gaudere appetis, de mundo sunt. Erit igitur quando non erunt; tu autem eris.

Vbi eris? Petre, siquidem tu iniurius crucis Christi, in qua sola gloriandum non ambigis, (c) in mundanis gloriari concupiscis, certus tamen quod cum sua concupiscentia quotidie pereundo, transit mundus; (d) & homo cum interierit non sumet omnia, neque cum eo descendet gloria eius. (e) Petre, illam carnis tunicam vilißimam (quam tanti facis vt pro eius cura & desiderijs, non solum tui, sed quod maius & execrabilius est, obliuiscaris etiam Dei) multo adhuc viliorem in breui relinques vermibus, & putredini (f) In hoc ergo tui exitu, cuius horam nescis, nudatus carnis tunica, quo migrabis? cui occurres? quid respondebis? Vbi etiam reponeris, donec redeas ad tunicam? Redibis enim, & ipsam eandem vere iterum indueris & resurges quidem, aut in vitam & gaudium aut in mortem & luctum, quorum non erit finis. O, dilecte mi, hæc erat lectio, quam silenter & frequenter relegebam in cordis cubiculo, & præfata inquisitiones multoties spiritum meum penè ab omni disiungebant lætitiá. Nec mirum; me etenim veraciter arguebat conscientia, quod in omnibus vijs meis, de nostro Saluatore meum fieri damnatorem promererer, cum etiam in his quæ ad cultum eius pertinerent, ipsum offendere non vererer. O, quam mira! O, quam audax & insana præsumptio! certus eram Dominum iustum esse, & potentem in inferno me perdere, & hoc timeas, non cessabam tamen ipsum offendere. Ego quidem vt pars mea esset Dominus, clericatus receperam Sacramentum, sed enormitas vitæ meæ, ab ipsa re Sacramenti me fecerat alienum.! O, quam mira ergò, O, quam stulta, & impudens elatio! (g) Eloquia Domini, eloquia casta, & ego hæc de pectore incesto proferre & enarrare præsumebam, per os pollutum, & dolosum, sciens Dominum dixisse peccatori: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? (h) *Hæc eadem diuina eloquia,*

(a) Iob. 10. (b) Marci. 9. (c) Gal. 6. (d) 2. Ioan. 2. (e) Psal. 48. (f) Matth. 24. (g) Psal. 11. (h) Psal. 49.

eloquia, si quandoque quacunque alia de causa, prater solum Dei amorem & honorem, legendo vel cantando pronuntiarem in Ecclesia, me sciebam certissime sacrilegio alligari, qui cultum Deo debitum offerebam vanitati. Non eram igitur seruus Christi, cum huic dicat Apostolus, Gal. 1. si hominibus placerem, Christi seruus non essem. *Hinc Propheta:* Deus ossa eorum dissipabit, qui hominibus placent. Psal. 52. *Sapè verò, vt placerem hominibus, siue mihi, non, vt Deo, mea erat pracordialis, &, (vt verius dicam) vecordialis intentio. Ego itaque seruus nequam, vt quid, vel qua fronte, in agro Dei terram occupabam qui reuerà radix amara, vtilis nulli, quam pluribus inutilis, sed inutilior mihi, nullum nisi amaritudinis fructum germinabam? Quod enim viuentibus exemplum, vel quod pro defunctis soluebam sacrificium, de quorum victimis comedebam adipes, & bibebam vinum libaminum?* Deut. 32. *Rerum siquidem Ecclesiæ, quocunque me velamine palliarem, detractor & prædator eram, & expensor earum in rebus prauis. O quam praua, Deoque odibilis hæc mea peruersitas! Audieram enim Beatum scripsisse Hieronymum, Quicunque rebus Ecclesiæ abutuntur in aliis rebus, peccatum incurrunt redimentium mendacium, & Reorum sanguinis Saluatoris. Quia igitur tam in his, quam in aliis multis, reus eram abusionis & rapinæ, sæpè cum ad aures meas insonaret Apostoli illa vera & timenda propositio,* Raptores regnum Dei non possidebunt, 1. Cor. 6 *in corde meo quasi respondendo, murmurabat illa plena timoris, plena doloris, & pudoris festinata conclusio: Ergo, ipsi rapti & conclusi cum immundis spiritibus, sine fine gehennali cremabuntur incendio. Festinatam dixi conclusionem, tum pro lege Argumenti, & illationis citò facta, tum maximè, quia dies Domini in quâ hoc futurum est, velociter appropinquat. Vndè scriptum est:* Adhuc modicum, & mouebo cælum & terram. Agg. 2. *Et alibi:* dies magna & amara valdè, & velox nimis; tribulabitur ibi fortis. Sophon. 1. *Quocirca, mirum non erat si hoc, & alia & alia similia me reddebant solicitum & pensantem; qui etiam recordari non poteram ab infantia me vixisse vel per momentum temporis, in quo non essem operatus vel rapinam, vel aliud opus mortis. Valdè etenim diligebā congressus & conuentus vanitatis, spectacula, iocos, otia, verba apta risui, non fructui; rarò verum dicere, plerumque mentiri, iurare, periurare, fauere, adulari, & similia, quæ cuncta ex quodam communi & assiduo visu, facietenus non peccata reputabam, sed quasi quasdam societatis affectate, & mundanæ probitatis facetias: sciebā tamen hæc eadem (cum inter Deum separent & hominē)* vanitates esse & insanias falsas. Psal. 39. *Maiora taceo, cordis videlicet elationes, æmulationes, odia, dissensiones, detractiones, turpiloquia. Taceo pessima cogitationū & operum, luti & lateris, in quibus occultè & pessimè occupabar, totus lutum, qui per singula momenta, quantum in me erat, ex operibus meis ad æterna mortis properabam supplicium. Sed misertus mei Pater misericordiarum, me tandem visitauit, & traxit ad filium.* 2 Cor. 1.

Vides ergo quanta iam fuerit anima mea Pater bonus, qui misericorditer ereptum de fluminibus Babylonis, misericordias locauit in Claravalle, apud fontes Saluatoris. Psal. 1,6. Claraualliis enim etsi secundū speciem loci sita sit in valle, tamen fundamenta eius in montibus sanctis, cuius portas diligit Dominus super multa tabernacula Iacob. Psal. 86. Gloriosa dicta sunt de ea. *Quia in ea gloriosus & mirabilis Deus, gloriosa operatur mirabilia. Encomia Claraualllis. Ibi enim veteres Insani redeunt ad cor, & licet homo eorum exterior corrumpatur, interior tamen renascitur: &, vt verbis vtar Apostoli.* 2. Cor. 4. Renouatur de die in diem, in eum qui secundū Deum creatus est hominem. *Ephes. 4. Ibi superbi humiliantur, ibi pauperantur diuites, ibi Pauperes euangelizantur, & peccatorū tenebræ transformantur in lucem. Ad hanc igitur domum à finibus terræ ingens licet beatorum pauperum conuenerit multitudo, de Regionibus congregata & nationibus, horum tamen omnium* cor vnum & anima vna est: *Act. 4. vt de hac domo specialiter dici possit: Psal.* 86. Ecce alienigenæ,

næ,& Tyrus,& populus Æthyopum,hi fuerunt illic:& homo natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus. *Iure igitur*,habitatio est in ea lætantium omniũ. *Non inani lætitia; Perennis enim lætitia,& suæ ad cælos adscensionis iam cœpta, certã spem habent,quam in Claraualle inuenerunt*, Scalã Iacob & Angelos in eã,Gen.28. *alios quidem* descendentes,*qui sic prouident illorum corporibus, vt non deficiant in via,alios verò* ascendentes, *qui sic regunt eorundem animos, vt postmodum cum ipsis glorientur & corpora. Ego autem quanto diligentius de die in diem intueor tam beata vita pauperes,tanto credo eos perfectius per omnia Christum sequi,& sapere,& certis conijcio indicijs,in omnibus quæ agunt,veros ministros Dei apparere.Oratio Claravallensium. Nam dum vacant orationi,in spiritu & veritate Deo loqui,& tum ex secretã & amicã apud eum locutione,tum ex humili modo se habendi, planè apparent Dei esse familiares & amici. Psalmodia. Dum verò manifestius laudantes Deum psalmodiæ sunt intenti, quam purus sit, & quam feruens in idipsum affectus mentis,ostendit eorum omnis corporis status, in omni timore & reuerentia sanctitatis:Ostendit & ipsorum distinctio morosa,& in psalmis modulatio*, quam dulcia faucibus suis eloquia Dei super mel ori suo.Psal.118.*Dum eos itaque attendo diurnis horis,nocturnisque vigilijs, ab ante medium noctis,vsque ad primam diei,facto breuiter interuallo tam sanctè,tam infatigabiliter psallentes, mihi quidem paulo minus ab Angelis,sed plus multo videntur quam homines. Quod autem sunt huius tam continuæ, tam alacris, & tam semper recentis tolerantiæ; quod tanti sunt feruoris & meriti,non humana potentia,sed muneris est diuini.*

Lectio. Dum verò sunt in lectione, leniter haurire videntur,& affluenter quidem, aquas Syloë,cum silentio fluentes, & in vitam salientes æternam. *Illorum verò potio & habitus demonstrant, omnes eos esse vnius Magistri discipulos,*[*]*docentis in eorũ cordibus, & dicentis:*Audi Israel & tace. *Tacent enim & audiunt,& sapientiores fiunt.* Prov,1. Quoniam audiens sapiens,sapientior erit. Opus manuum. *Dilecte mi,quid hos tam beata vita pauperes credis videri vel dici posse, quando manuum suarum inhærent laboribus,quando eunt ad opera,vel redeunt, in quibus omnibus constat eos non suo duci spiritu,sed diuino? Certè,tam patienti animo,tam placido & immobili vultu, tam sancto & suaui ordine cuncta peragunt,vt etsi sese plurimum exerceant ad opera, vix tamen vel moueri perpenduntur,vel grauari in aliquo,quanticunque sint labores. Vndè manifestum est in ipsis illum sanctum operari spiritũ,qui disponit omnia suauiter,in quo & ipsi recreantur, & quiescunt etiam laborantes. Horum siquidem pauperum, alios Episcopales, alios consulares, aliarum quidignitatum,& multæ scientiæ. Viros illustres,& iuuenes egregios audio extitisse;sed nunc, per Dei gratiam,omnis apud eos acceptione Personarum emortua,quanto quisque se putauit in sæculo altiorem, tanto se in hoc grege minorem minoribus, & abiectiorem reputat per omnia.*

*Eos itaque dum intueor in hortis cum sarculo, in pratis cum furcã vel rastro, in agris cum falcicula, in sylua cum securi,in alijs laborum locis,cum alijs operum instrumentis, dum & ego respiciens quid fuerint, considero præsentem ipsorum statum,opera, instrumenta,personas abiectas,vestimenta incomposita, & vilia, iudicio quidem exteriorum oculi, videntur mihi non homines; sed gens stulta,muta siquidem & elinguis,op*probrium hominum,& abiectio plebis.Psal.21. *Sanus autem & fidelis intellectus, in corde meo asserit mihi horum vitam in Christo esse absconditam in cælis.* Colos.3.*Inter quos gaudeo equidẽ me videre.* Nota. Gaufridum Peronensem,Raynerum Morinensem,Gaufridum de Sancto Audomaro, Walterum de Insula,& alios quam plures Amicos & Sodales meos,*quos ego cunctis veterior,in veteri agnoui homine,sed nunc in ipsis,Dei gratia,illius vetustatis nec vestigium perpendo remansisse. In veteri homine noui eos exaltato corde,elatis oculis*,ambulare in magnis,& mirabilibus super se. Psal.130. *Nunc autẽ video ipsos sub misericordi manu Dei humiliatos incedere*

dere in paruis, & in mirabilibus supra se. 1. Petr. 5. *In veteri homine noui eos, suas secum sepulchra deferentes exterius dealbata, sed intus plena ossibus mortuorum:* Matt. 23. Nunc autem credo *eos ferre vasa Domini quæ etsi exterius appareant despicabilia, intus tamen plena sunt speciebus cælestium odoramentorum.* Apoc. 5.

Quando igitur hæc omnis societas ad solitum laborem & progreditur & redit, gradatim quidem & simpliciter vnus post alium quasi acie directa, & armis pacis humiliter armatâ; nonne Angeli Dei hanc videntes taliter incedentem, & ad Christum nouiter conuersam de tenebris, præ admiratione & gaudio, iure concinunt: Quæ est ista quæ ascendit, sicut aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt Castrorum acies ordinata? Cant. 6. *Terretur autem exclusus Diabolus, & supra modum dolet, videns (quod vtinam semper videat & doleat:) horum resurrectionem, Regni sui ruinam esse non modicam. Ergò, a[i]matur & ipse, quanto potest acutiori malitiâ, vt quos vlterà tenere non potuit mundi huius blandimentis, eos acrius persequendo, subtilioribus impugnet & implicet argumentis; non tamen præualebit inimicus. Ipsi enim* Altissimum posuerunt refugium suum, Psal. 90. *Crucem Christi dilectam suam, quam fideli desiderio amplexantur & baiulant, saluandorum spem vnicam.* *Refectio & habitus.* *Item, dilecte mi, quid credendum putas super eisdem pauperibus, in tempore mensæ in continentia, & habitu, tunc temporis?* Nec *Deum videre credo quod sibi displiceat, nec hominem quod debeat accusare. Ibi siquidem adeo modestè, adeò sanctè se habent, vt, quod sunt, appareant homines iusti, & timentes Deum. Hinc attentè suscipientes spiritale & præcipuum ferculum, verbum vitæ quod semper esuriunt: Hinc reuerenter edentes & bibentes alia dona Dei quæ sibi sunt apposita, non exquisitas delicias, sed labores manuum suarum, legumina scilicet & pulmenta.* *Sobrietas.* *Potus est eis cereuisia, si hanc non habent, gaudent aqua simplici. Raro autem vtuntur vino, & hoc mixto cum aqua plurima. Reddentes itaque debitum corpori, non gulæ, non ventri, comedunt & bibunt, sed tantum indigentiæ naturali, & Deo, scientes scriptum.* 1. Cor. 3. Esca ventri, & venter escis, Deus autem hunc & has destruet. *Rom. 4.* *Quoniam Regnum Dei non est esca & potus, sed iustitia & pax, & gaudiũ. In quibus versatur tota eorum voluntas & studium. Magistram enim, & totius vitæ suæ dictatricẽ habent,* Obedientia. *Obedientiã, quam adeò fideliter sequuntur ad omnia, vt nec vnam quidẽ diei siue noctis prætermittant particulã, quæ non sit apud eos obedientiæ & diuino cultui mancipata. Vndè & ego fideliter credo eos (vt taceam quæ maioris sunt meriti & mercedis) non solum in singulis passibus quos faciunt, sed etiam in singulis manuum suarum motibus, circa iniuncta opera, peccati remissionem consequi, vel augmentum coronæ, in vita æterna. Qui si fortè cadant aliquando (quod omnino vitare non possunt, dum portant carnem fragilem) non tamen collidentur.* quia Dominus supponit manum suam. Psal. 36.

Ecce, habes pauca illa, dilecte mi, quæ de pauperibus Clarauallis, in huius Epistolæ procemiis tuæ promissa sunt dilectioni. Plura restant meliora & optima, ad quæ describenda cum sufficere non valeã, quæ dicta sunt in præsentiarũ sufficiant. Meum verò desiderium est, quatenus præfatis pauperibus in Christo merear adiungi corpore & spiritu, vt adiutus eorũ suffragio, & fructuosius pœnitentiam agere, & fiducialius habeam clamare ad Dominum: Domine ad te confugi, doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Psal. 142. Eripe me de inimicis meis, Deus meus. Ps. 58. *Et:* Ad te Domine leuaui animam meam, Deus meus in te confido, non erubescam. Psal. 24. *Et his similia. Ego autem probor adhuc, & per gratiam Dei, ad horum pauperum Regulam instituor & vitam; vt dum eis adiunctus fuero vnà cum ipsis nouerim vigilare, & solummodo somniare in spiritu. Vigilanti enim promittitur Regnũ, &,* qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Gal. 6. *In qua ego participes ipsius, & te, & totam Nouiomensem Ecclesiam, Dominã scilicet & matrem meam, per misericordiã Dei feliciter æternare videam cum Christo, &*

regnare Amen. Valete. *Domino volente, proximâ Dominica post ascensionem Domini, suscepturi sumus nostræ professionis armaturam, per gratiam & benedictionem Iesu Christi, quam, meritis matris suæ, vestrisque precibus, nobis dignetur concedere. ipse idem Iesus Christus.* (a) Amen. *Iterum, Valete*, & memento nouissima tua, *&*, miserere animæ tuæ.

(a) *Eccl. 7. ibidem c.* 30.

Petrus de la Rue. Flander, patria Winocibergensis, professione verò cœnobita monasterij nostri Dunensis, vir pietate & doctrinâ insignis, S. Theologiæ Baccalaureus formatus, qui post philosophiæ, & S Theol. lecturam in præfato monasterio nostro habitam, spirituali sanctimonialium regimini admotus, 1. in Rauensbergensi cœnobio trium; deindè in Sparmalieuli, duodecim annorum spatio gregi suo (verbo & exemplo) laudabiliter præfuit. Scripto reliquit, *præter theologica & philosophica quædam opuscula, Conciones elegantes per totum anni circulum habendas, tam festis quam Dominicis diebus, duobus amplissimis tomis in folio distinctas.* Item

Tomum 3. in folio, de diuersis materijs, præsertim, pro professionibus, & vestituris monachorum & sanctimonialium.

Præterea, *tomos duos in 4°. complectentes comedias aliquot sacras, & cantiones pias, ac diuersa alia egregia opuscula, rythmis Flandricis nitidis & tersis conscripta.* Quæ omnia, dum poliendo editioni præparabat, aliaque meditabatur, importuna superueniens mors cuncta suppressit, & ad manuscriptorum codicum bibliothecam nostram ablegauit. Obijt anno 1648. 6. Decembris.

Petrus Sarnensis, id est, Vallium Sarnay, monachus, in Diœcesi Parisiensi, scripsit *Historiã insignem belli sacri contra Albigenses hæreticos gesti*, hortatu Innocentij III. Pontificis, cui & illam dicauit. Extat typis impressa, hoc titulo: *Historia Albigensium, & sacri belli, in eos an. 1209. suscepti, Duce & principe Simone à Monte forti, dein Tholosano Comite, rebus strenuè gestis clarissimo. Authore Petro cœnobij Vallis Sarnensis, ordinis, in Parisiensi Cisterciensi Diœcesi Monacho. Ex manuscriptis codicibus in lucem nunc primum edita, studio & diligentia Nicolai Camuzatij, Trecensis Ecclesiæ canonici.* Trecis apud Ioannem Griffard, & Natalem Moreau. 1615. Eadem historia in Gallicam linguam translata per Arnoldum Sorbin, S. Theol. Doctorem, & posteà Niuernensem Episcopum, &c. Parisijs impressa fuit anno 1569. in per Guillielmum Chaudiere.

Petrus de Sittauia, 3. Abbas Aulæ Regiæ iuxta Pragam, vir sanctitate & doctrinâ celeberrimus, dignusque qui posteritati commendetur. Scripsit (titulo chronici Aulæ Regiæ) *historiam regni Bohemiæ vsque ad sua tempora*, quæ manuscripta asseruatur in dicto monasterio, diciturque nuper impressa anno 1618. tomo. 1. scriptorum Bohemicorum.

Scripsit & *Librum miraculorum B. Virginis Aulæ Regiæ, aliorumque S. Monachorum & conuersorum*, quem librum inscripsit, *Volumen secretorum Aulæ Regiæ*: M.S. ibidem. Floruit anno 1330. & posteà. Huic Abbati dedicauit Guillielmus Baldenselius librum suum inscriptum: Hodæporicon ad terram sanctam, quem nuper vulgauit Canisius, tomo 5. Antiq. Lect. Vide Miræum in Auctario, de scriptoribus Ecclesiasticis, cap. 424.

Petrus, cognomento Salius (vel Solius) ex Analinorum regione oriundus, Monasterij de Floregijs, aliàs de Thoroneto, ordinis Cisterciensis monachus, pictor, statuarius, philosophus, & poëta inter eruditissimos iure numerandus, exarauit patrio sermone *res gestas poëtarum Prouinciæ.* Vixit anno salutis 1383. Franciscus de la Croix in bibliothecâ gallicâ, Ioannes Nostradamus in libro gestorum illustrium & antiquorum poëtarum Prouinciæ: & Seguinus in biblio-

bibliothecâ Cisterc. M S.

Petrus cognomento Tholosanus, monachus in cœnobio Sancti Bernardi Parisijs in suburbio Sancti Honorati, congregationis Fuliensis vir diuinis & humanioribus litteris insigniter eruditus, & (quod maiori laude dignum) probitate, & sanctitate vitæ præclarus; scripsit *Multas doctas & disertas epistolas ad diuersos, quarum vna excusa est Parisijs in 8. complectens septuagenas binas paginas.* In qua, demonstrat authoritatibus sacræ scripturæ, *quænam sint in sæculo viuendi incommoda, & quæ in Monasterio commoda, & salutaria.* Obijt anno 1590. Seguinus supra, litterâ P. n. 11.

Petrus, dictus de Vyreio, ex monacho Maceriarum, & S. Theologiæ Doctore Sorbonico, Abbas primum Caroli loci, ac posteà Claræuallis, authoritate Summi Pontificis Innocentij VIII. Fernandi Arragonum Regis, & Reuerendissimi Cisterciensis Abbatis, ac capituli generalis, cœnobia professionis nostræ, per Nauarrum, Arragoniam, Cathaloniam, & cætera Hispaniarum regna dispersa, reformauit, & *multis sanctionibus, statutisque salutaribus muniuit.*

Scripsit & Libellum insignem, titulo *Itinerarij Hispanici*, in quo plura habet præclara, de Sanctis Hispaniæ &c. Quem diuersis locis citat Henriquez in Menologio, nominat'm 7. Iunij, de Beata Vrracâ. Dialogos etiam *Cæsarij Heisterbacensis, recognouit, ac in multis locis correxit*, vt scribit Seguinus suprà, num. 8. Cætera quæ scripsit contra Ioannem de Circio Abbatem Cistercij, locum hic non merentur. Obijt anno 1506.

Petrus VVilhelmus, religiosus monasterij Lutzellensis in diœcesi Basileensi, & postmodum Abbas amplissimi cœnobij de Riddachshausen, vulgo Rittershausen, in ducatu Brunswicensi, & diœcesi Halberstadiensi, S. Theol. Doctor, & per sacri Romani Imperij prouincias Commissarius generalis ordinis Cisterciensis, *conscripsit (aut saltem recognouit, emendauit, auxit, & per plures annos continuauit) luculentam historiam monasterij sui Rittershausani, seu verius, Brunsvvicensem, Hildesiensem, & Lunæburgicam:* in qua exactè referuntur plures genealogiæ familiarum illustrium earundem ditionum. Edita est in notitiâ Abbatiarum Longolini Coloniæ, anno 1640. Obijt Author anno 1642.

Philippus, religiosus de Charmeya, conscripsit & publicauit *Vitam beatæ Idæ, primæ Abbatissæ Argensolij.* Ex relatione M. S. Eximij Domini Iosephi Arnolphini, S. Theol. Doctoris Sorbonici.

Philippus Claræuallensis monachus, Fossis in Leodiensi ditione natus, & einsdem episcopatus quondam Archidiaconus, scripsit *Librum primum miraculorum à Sancto Bernardo in Germania, & Belgio patratorum* (de quo suprà etiam egimus, verbo *Ebrardus*) ad Henricum, Ludouici Regis Francorum fratrem, tunc in Claræualle adhuc nouitium, vt habet expresse antiquissimum exemplar manuscriptum bibliothecæ Sancti Martini; contra Seguinum & Reuerendissimum Angelum Manriquez, tomo 2. Annalium, ad annum 1153. cap. 11. qui putant Henricum tunc fuisse promotum Rhemensem Archiepiscopum, id quod omninò conuincere videtur initium præfationis dicti libri, à Seguino prolatum. Verùm verba illa ibidem memorata, supposititia esse, vel ex eo constare potest, quod ex contextu librorum de miraculis Sancti Bernardi (quorum primum Philippus noster scripsit) expressè colligatur, illos esse conscriptos viuente adhuc Sancto Bernardo (quod etiã fatetur Manriquez suprà, anno 1147. cap. 5. nu. 12.) quo tempore Henricus nondum erat Archiepiscopus, quia solum anno 1161. ad cathedram illam fuit promotus.

Scripsit etiam Philippus hic, *Vitam beatæ Elizabeth de Spalbeeck, monialis cœnobij Herkenrodensis,*

in territorio Leodiensi, vt referunt Henriquez in Menologio 19. Octobris, & Arnoldus de Raisse, in auctario ad Molanum. 20. Nouembris. Quorum posterior testatur quoque se vidisse hanc vitam, à Philippo Claræuallensi teste occulato conscriptam, in 1. parte noualis Brabantiæ, in cœnobio Rubræuallis.

Philippus, Eleemosynæ Abbas, antè Religionis ingressum, Tarentinus fuerat Episcopus, sed Schismaticus, & Petri Leonis Anti-Papę fautor, quare, anno 1139. in celebri illo mille Prælatorum Concilio, sub Innocentio 2. Romæ celebrato, cum alijs Cardinalibus & Episcopis, depositus, & sacrorum vsu priuatus, sententiam hanc æquo tulit animo; & ne vltrà Fortunæ fieret ludibrium, Claram vallem se conferens, de manibus Sancti Patris Bernardi, habitum Religionis suscepit: vbi tantâ vitæ puritate & sanctimoniâ effulsit, vt anno 1150. monasterij Claræuallensis Prior constitutus fuerit; in quo officio laudabiliter perseuerauit vsque ad obitum Sancti Bernardi, & insuper sub eiusdem Successore Beato Roberto de Brugis, vsque ad annum 1156. quo, virtutum eius famâ magis magisque clarescente, promotus fuit in Abbatem eleemosynæ, quod est Cœnobium Ordinis Cisterciensis, anno 1121. in diœcesi Carnotensi fundatum, à Theobaldo Comite Campaniæ & Blesæ. Hic est ille Philippus, pro quo scripsit S. Bernardus epistolam suam 257. ad Eugenium Papam, cum insigni Personæ ipsius commendatione. In iudice tomi 2. Annalium Cisterc. Angeli Manriquez, asseritur Philippum hunc scripsisse, librum primum Miraculorum à Sancto Bernardo in Germania & Belgio perpetratorum, dum crucem prædicaret (de quo libro fit mentio in dictis annalibus, ad annum 1153. cap. 11.) Sed probabilius videtur, hunc librum scriptum fuisse à Philippo quondam Leodiensi Archidiacono, & postea Monacho etiam Claræuallensi, qui multorum quæ scripsit Miraculorum, testis fuit oculatus, vt iam suprà diximus, verbo, *Philippus Claræuallensis*. Quamquam & hic Philippus de eleemosynâ vir fuerit non minus doctrina quam virtutibus celeberrimus, qui eruditionis suæ varia monumenta posteritati reliquit; ex quibus tamen hactenus non potui assequi, nisi 25. *epistolas, insigni eruditione refertas, ad Regem Galliæ, diuersos Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Principes seculares, &c. conscriptas.* Quas nuper ex M.S. codice Sancti Amandi desumptas, mihi transmisit eruditissimus dominus, Georgius Galopinus, S. Gisleni Religiosus, diuersis editis lucubrationibus clarus; quas epistolas ad calcem huius operis lector inueniet. Porrò, harum Authorem esse hunc Philippum Abbatem de eleemosyna, & non, Abbatem *Bonæ Spei*, Ord. Præmonstratensis (vt quidam putarunt) benè ostendit exim. Dominus Franciscus Syluius, in Censura, quam eisdem epistolis propriâ manu præfixit, in exemplari præfati Domini Galopini, vbi pariter testatur, *ipsas epistolas, esse multæ eruditionis plenas.* Vide etiam infrà, annotationes nostras marginales ad easdem epistolas, & præfationem ijs præfixam, in quibus, præter Syluij rationes, diuersas produxi alias, quibus clarè conuincitur, epistolas has esse verè Philippi nostri Cisterciensis, & non, Abbatis Bonæ Spei.

Putatur & Philippus noster alia plura scripsisse, quæ iam è Præmonstratensibus attributa Philippo ab Harvengi, Abbati Bonæ Spei (cui, ab eleemosyna, cognomen indunt) inter opera ipsius impressa extant. Et certè, Ioannes Bunderius, Ord. Prædicatorum, in indice suo librorum M.SS. Belgij, lit. P. num. 173. scribit, se in S. Bertino, & etiam in antiqua Bibliotheca Dunensi, reperisse, *Vitam S. Amandi*, & etiam *Passionem SS. Cirici, & Iulittæ*, scriptas A. Philippo Abbate de eleemosynâ; Abbas autem Bonæ Spei, licet, fortè, cognominatus fuerit, de eleemosyna,

nâ, nunquam tamen fuit Abbas alicuius Cœnobij, quod vocatur de eleemosynâ, vt benè etiam aduertit Sylvius, suprà.

Cæterum, Ven. Philippus, postquam annis aliquot prudenter & industriè monasterium de eleemosyna rexisset, ætate & laboribus fractus, illud sponte resignauit, & Claramvallem reuersus est, vbi sancto fine quieuit in Domino. Vide duas vltimas ipsius epistolas; Henriquez in Fasciculo, inter Priores Claræuallis; & Angelum Manrique, suprà, ad annum 1156.

Philippus à Lembourgh, religiosus Alnensis, scripsit

Librum, de vera & falsa libertate.

Item gallicè, *librum de vera & perfectâ confessione*. Denique

Collectanea plurima de diuersis materijs, in 3. volumina distributa. Quæ omnia M. S. seruantur in monasterio Alnensi.

Philippus Malabayla (alias Malatezta) dictus, à Sancto Ioanne Baptista, Congregationis B. Mariæ Fuliensis Monachus, & aliquandò etiam dictæ Congregationis Superior Generalis, natione Italus, & patriâ fuit Astensis, ex canalis comitibus procreatus, Vir sanè, genere, doctrinâ, pietate, prudentiâ, alijsque virtutibus clarissimus; quem in liberalibus disciplinis haud mediocriter versatum, ac celebrem Historiographum appellat in suâ historiâ Chronologicâ Pedemontanâ, Salutiarum Episcopus, Franciscus Augustinus ab Ecclesiâ; inter multa quæ eruditissimo sæculo dedit, Scripsit *Latinè, & Italicè, Historiam Sanctæ Mariæ Virginis propè Montem Regalem, in subalpinis, Miraculis coruscantis.* Prodijt latinè hæc historia Parisijs, apud Ioannem Heuqueville, anno 1622. Italicè verò, in Monte Regali, apud Ioannem Thomam Rubeum, 1627. in 4. Ita Hippolitus Maraccius, in Bibliothecâ Marianâ, fol. 296. vbi vocat illum; Virum maximæ in Deiparam Virginem deuotionis scripsit insuper, Italicè, *Vitam Sancti Bernardi, & Vitas diuersorum Sanctorum aliorum.*

Item, *In Brunonem Seguinum Episcopum, disquisitionem Historicam.* Quis autem fuerit hic Bruno Seguinus Episcopus, & qualia ipsius opera, vid. Aubertum Miræum, in Auctario, de Scriptoribus Ecclesiasticis, cap. 338.

Item Scripsit, *Apologiam pro Sancto Eusebio, contra Ioannem Bellasinum.*

Denique, *Præsulum Astensis Ecclesiæ Catalogum continuauit.* Aliaque plura meditatur circa Ecclesiasticam Historiam, in qua versatissimus est. Viuebat adhuc anno 1649. credoque adhuc modò superesse, septuagenario maiorem, senè venerabilem, æterna memoriâ dignissimum. Ita, Ferdinandus Vghellus in relatione ad me missâ ex Vrbe; necnon Fulienses in suâ pariter Relatione ex Vrbe missa, vbi asserunt etiam illum aliquandò fuisse Abbatem in Vico-Montis-Regalis.

Philippus Montanus, religiosus monasterij Molinensis, in Comitatu Namurcensi, scripsit *Speculum orthodoxæ fidei & hæreticæ prauitatis*, quod dedicauit Roberto Henrion Abbati Villariensi. Opus prælo & luce dignum, iudice Auberto Miræo, in chronico Cisterciensi.

Philippus vander Noodt, religiosus cœnobij de Baudelo, Gandaui, circa annum 1636. edidit lingua Flandrobelgica, *Kalendarium Cisterciense, seu Compendium Menologij eiusdem ordinis*, impressum Gandaui in 4°. typis Seruatij Manilij.

Philippus, Abbas Monasterij Otterburgensis in Palatinatu inferiori, iuxta Cæsaris Lutram, vir cuius animum morum sanctitas, & diuinarum rerum studium exornarunt: patria fuit Coloniensis, ibidemque antè religionis ingressum, maioris Ecclesiæ canonicus; Parisijs verò Rudolphum eiusdem Ecclesiæ Scholasticum audiuerat. Scripsit *Commentaria pia & docta in Cantica Canti-*

Canticorum, quæ impressa extare intellexi.

Item, *Volumina duo sermonum, de tempore & de Sanctis, per totum annum.* Quæ manuscripta sæpius vidi in monasterio Ebirbacensi, diœcesis Moguntinæ.

Florebat circa annum 1390. Trithemius, Eisegreinius, Sixtus Senensis & Posseuinus.

Philippus Seguinus, monachus & Prior Chalisij, seu Caroli loci, in diœcesi Syluanectensi, vir historicæ veritatis studiosissimus, quo ad ea præsertim, quæ ordinem nostrum Cisterciensem concernunt. Plurima scripsit studiosè conquisita ex antiquis monumentis monasteriorũ Galliæ, Hispaniæ Germaniæ, Belgij, &c. quæ licet per se, siue seorsim impressa non sint, in pluribus tamen bibliothecis, Galliæ, Lotharingiæ, & Hispaniæ, manuscripta extant, vbi historicis ordinis visa sunt. Chrysostomus Henriquez in apparatu ad Menologium Cisterciense, cap. 16. asserit sibi à Reuerendo Domino Ioanne Martini, Abbate Clari loci in Lotharingia, aliquando communicatos fuisse sequentes tractatus:

De Abbatibus & monachis Cisterciensis ordinis, ad Summi Pontificatus fastigium assumptis.

De Abbatibus & monachis Cisterciensibus qui ad Cardinalatus dignitatem adscenderunt.

De his, qui Pontificia dignitate se abdicarunt, vt monasticam vitam profiterentur.

De Abbatibus & monachis Cisterciensibus, qui ad Episcopatus apicem euecti sunt, tractatus duos diuersos.

De Archiepiscopis nostri ordinis, qui sanctitate & gloria miraculorum fulserunt, tractatus duos diuersos.

Catalogum Sanctorum ordinis, qui Episcopatum adepti, miraculis claruerunt.

De Abbatibus & monachis Cisterciensibus, qui in Ecclesia primas dignitates recusarunt.

Catalogum virorum illustrium ord. Cist.

Librum de Abbatissis, monachis, monialibus & fratribus conuersis, qui in eodem ordine claruerunt.

Catalogum Sanctorum, qui pro fide Catholica, vel pro iustitia tuenda martyrio sunt coronati.

Catalogum alium Sanctorum ac beatorum vniuersi ordinis Cisterciensis.

Vitas integras plures diuersorum Sanctorum ordinis insunt, nondum tunc editas.

Ex his omnibus tractatibus, & Sanctorum vitis, plurima dictus Henriquez libris suis sparsim inseruit.

Scripsit præter hæc Philippus noster (titulo *bibliothecæ Cistercianæ*) Libellum quendam *de scriptoribus ordinis nostri*; opusculum imperfectum trium quaternionum, in quo solummodo continentur authores Angli, quos Author collegit ex libro Ioannis Balæi de Scriptoribus Britanniæ, & alij ex bibliothecis Conradi Gesneri, Francisci de la Croix, & Sixti Senensis, nec non ex Trithemio, & hinc indè ex aliquibus Galliæ monasterijs. Autographum huius Libelli reperitur modo apud Perillustrem & Reuerendissimum Augelum Manriquez, Episcopum Pacis Iuliæ, seu Augustæ, in Hispania, qui eiusdem integram copiam benignè mihi transmisit ex qua plures authores collegi, quos suis locis huic operi inserui, omissis plurimis alijs, quos scio non fuisse nostri ordinis, aut nimium minuta quædam scripsisse referebantur. Floruit Seguinus adhuc annis 1589. & 1590. quibus annis fatetur se scripsisse memoratam hanc suam bibliothecam. Quoad alia ipsius opera, plura adhuc latere in Hispaniæ bibliothecis indè colligo, quod Laurentius de Zamora in sua mystica monarchia, Barnabas de Montalbo in chronico suo, & quidam alij sæpius illa citent.

Philippus Tarentinus. Vide *Philippus de Elecmosyna.*

Philippa virgo & monialis Cisterc. ord. in monasterio S. Dionisij de Odiuelas, in agro Olyssiponensi,

uensi, regio Lusitanorum sanguine orta, in lingua latina apprimè versata fuit, in tantum vt (teste Barnabâ de Montalbo, tomo 1. chronicorum, lib. 2. cap 35.) stylo eleganti, *varia pia opuscula ediderit, praeclara ingenij sui monumenta*, quibus posteris memoriam & admirationem sui reliquit.

Libros etiam quosdam B. Laurentij Iustiniani, ex Latinis Lusitanos fecit. Patrem habuit haec virgo Petrum Lusitaniae Principem, Matrem verò Elizabetham Infantem Aragoniae; fratres, Ferdinandum Regem Cypri, & Petrum electum Regem Aragoniae & Nauarrae. Menologio verò Cisterciensi adscripta legitur, 25. Iulij.

Philoteus, monachus ordinis Cisterciensis scripsit carmine docto & fluido.

Tractatum insignem, de vita & moribus Sancti Bernardi, qui impressus legitur ad calcem operum eiusdem Sancti Patris.

Placidus de Arbreto, S. Theol. Doctor Superatensis monachus, virtute & doctrina insignis, olim Attium, in Meyrensi, & in Complutensi collegio Theologiae per annos plures Professor summa cum laude & acclamatione totius Vniuersitatis, deindè sui monasterij Superati electus Abbas, nunc Meyrensi praeest collegio, vbi *Annales Cistercienses Illustrissimi Angeli Manriquez Pacensis Episcopi, ex Latino idiomate, in Hispanicum à se traductos*, poliendo adaptat praelo, vt omnibus, sapientibus & insipientibus prodesse possint: quod opus in omnium est votis, & quantocyus expectatur.

Insuper, *in Compendium redegit, vitam venerabilis Annae de Iesu, quam latè contexuerat Illustrissimus Pacis Iuliae Episcopus*, vt suprà annotauimus, littera A. Porrò, tempore aliena illustrat, nec propria hactenus luci dedit (*tametsi praeclaras lucubrationes apud se habeat*) ne appetitus laudis subrepat, quae omnimodis fugere contendit, & vt publicae studeat vtilitati, simul cum humilitate non vulgari, sed rara, singulari, & mirabili, proptereàque, gloriosa & omnibus nota. Caeterum, Compendium memoratum impressum fuit Salmanticae, in 8°. apud Franciscum Roales, anno 1642.

Pontigniacensis Monasterij religiosus quidam anonymus, scripto reliquit

Librum insignem, de vtroque globo caelesti & terrestri.

Alius anonymus eiusdem Monasterij Pontigniacensis, scripsit *Summam historiae omnium terrarum*.

3. *Denique*, In *plures sacrae scripturae libros*, sed exactissimè *in 5. libros Moysis commentaria edidit.* Quae omnia in antiquis membranis exarata Pontigniaci adhuc conseruantur.

Extant praeter haec in dicto monasterio, plura alia egregia, & ampla fragmenta diuersorum operum à religiosis eiusdem loci scriptorum; verum, quia plerumque principio & fine carent, loca etiam particularia hic non obtinebunt.

Series scriptorum Pontigniacensium, à Reuerendissimo Loci illius Abbate, anno 1647. mihi transmissa.

B. Pontius, ex monacho Cisterciensi Abbas primum Grandisyluae, posteà Claraevallis 5. hinc Episcopus Claromontensis 59 (electus circa annum 1170. secundum Iongelinum in Purpura Sancti Bernardi, aut saltem 1172. secundum Manriquez in serie Abbatum Claraevallensium.) Vir fuit sanctitate & doctrina clarissimus, cuius extat *insignis & notabilis epistola, ad Mauritium Parisiensem Episcopum*, typis expressa inter epistolas Stephani Tornacensis, numero 3. Huic dedicauit commentaria sua in Cantica Canticorum, Thomas Cisterciensis, anno 1201. quo anno creditur ad superos transijsse, vt rectè aduertit Manriquez suprà, contra Iongelinum, qui loco citato scribit illum obijsse anno 1189. 2. Aprilis, sed perperam, quia solummodò 1197. praece-

præcepit memorato Thomæ Cisterciensi, vt commentaria sua in Cantica scriberet.

Vide de hoc in Menologio Cisterc. 6. Martij.

Populetani cœnobij in Catalonia monachus, scripsit *insignem & prolixam historiam de vita & miraculis B. Petri Marginet*, eiusdem monasterij religiosi sanctissimi. Quæ historia ibidem asseruatur. Vide Ioannem Aluarum Celsonensem Episcopum, libro de origine Monasteriorum ordinis Cisterciensis, in Corona Aragoniæ, & alios plures apud Henriquez in Menologio Cisterciensi, 26 Martij.

Processionis, quæ fit pro fratribus defunctis in ordine Cisterciensi, interpretatio moralis, per religiosum Cisterciensem anonymum, exstat in bibliotheca monasterij Alnensis. Catalogus eiusdem bibliothecæ apud Ant. Sanderum in bibliotheca Belgica M. S.

Prudentius Placa. vide Ioseph Garcia.

Q

QVintinus Crassus, natione Picardus, Caroli loci quondam Subprior, philosophus & poëta suo tempore celeberrimi nominis, scripsit

Conciones multas.

Elegiarum & aliorum carminum, lib. 1.

Et *alia quædam opuscula*, quibus ingenij sui felicitatem posteris testatam fecit. Obijt (secundum Seguinum suprà) anno 1551. 14. Augusti, quem confratres sequenti honorarunt epitaphio.

Simplicitas prudens, rerum prudentia simplex,
Extulerant clarum nomen in astra meum.
Mors rapuit, mors fortuna grauis æmula nostræ,
Heu, quo prisca fides! quo pietatis amor?
Est mihi sementis multo fulcita labore,
Ast alij late commoda messis habent.
Nil queror, haud fallor mea messis vnica Christus,
Fœnore centuplici qui bene facta refert.

Quirinus Sauigniaci, monachus, vir in diuinis litteris admodum eruditus, atque sancta conuersatione clarus, theologus & philosophus illustris, scripsit aperto sermone, ad Reuerendum Claræuallis Abbatem; *De vita & laudibus Sancti Haymonis Sauigniaci monachi, librum vnum*; cuius initium est: *Sanctus Haymo; de quo loqui suscepimus, in minori Britannia oriundus fuit, in villa quæ dicitur Landaus*, &c. Vixit Quirinus anno 1572.

Philippus Seguinus in bibliotheca M. S. ex archiuis (vt asserit) Sauigniaci.

R.

RAdulphus Caroli loci monachus, S. Guillielmi Archiepiscopi Bituricensis, eiusdem monasterij quondam Abbatis, scriba, vir vita & doctrina valdè spectabilis, edidit *De gestis præfati Guilielmi opus insigne, quod ex multis Authoribus collegit, & in vnum volumen consarcinauit*, quod in membranis descriptum extat in Caroli loco, teste Seguino eiusdem loci Priore. Vixit Radulphus anno 1210. Fuit & Petrus Caroli loci Abbas, qui vt suprà vidimus, legitur scripsisse vitam eiusdem S. Archiepiscopi; verum vtrum diuersa sit ab hoc opere, me latet.

Radulphus Coggeshale, natione Anglus Canonicus primum Barnevelensis (vt vult Ioannes Stous) posteà verò iugum Cisterciense amplexus est in Goggeshalensi cœnobio. Vir fuit multis naturæ dotibus ornatus, & varijs disciplinis excultus eruditionis præsertim elimatæ, modestiæ & humilitatis raræ; quibus magnam sibi apud omnes gratiam conciliauit; adeò vt vnanimi confratrum suorum suffragio, in Abbatem electus fuerit. In qua dignitate constitutus, Musas nihilominus (vt priùs) coluit, & quotidiè

quotidiè vel de sacris scripturis aliquid legebat & contemplabatur, vel historias manibus terebat, aut scriptis mandabat.

Scripta eius quæ adhuc extant, sunt sequentia: *Additiones ad chronicon Radulphi nigri* (in quo agitur de Imperatoribus, & Regibus Franciæ, & Angliæ) *ab anno* 1113. *vsque ad annum* 1228. Quas penes se in Hybernia habuisse scribit Balæus, ad calcem centuriæ 13. Incipit autem hoc opus: *Anno gratia* 1114. *Rex Henricus*, &c.

Chronicon terræ sanctæ: cuius initium est: *Quanto pressuris & calamitatibus, &c.*

Super quibusdam visionibus, liber vnus.

Sermonum liber vnus. Et alia quædam.

Obijsse creditur anno 1228. Vide Pitsæum de scriptoribus Angliæ, & Vossium de Scriptoribus latinis p. 1. l. 2.

Radulphus de Longo campo, Scripsit, *Super Antidaudianum*, cuius initium est: *Quia in hoc opere agitur de quatuor Artificibus*, &c. Solebat seruari, in Heisterbach, & apud Augustinos Colonienses, teste Bunderio, in indice.

Radulphus monachus & Abbas Melrosensis in Scotia, à Ioanne S.R.E. Presbytero Cardinale, tituli S. Stephani in Monte Cælio, Apostolicæ sedis in Hybernia, Legato, anno 1210. Dunelmensis creatus Episcopus, multis annis eandem ecclesiam religiosissimè administrauit. Plura scripsit, & varia sui ingenij posteris monumenta reliquit, vt scribit Thomas Demsterus in chronico Scotiæ, lib. 8 cap. 61. Bononiæ impresso, n. 1063. Ex quibus ipse refert sequentia.

Acta Concilij Perthusani, in Hybernia, (cui ipse cum legato interfuit) *lib.* 1.

Ad suos Melrosenses, lib. 1.

Epistolarum ad Ioannem legatum, lib. 1.

Vide de hoc etiam Angelum Manrique, tomo 3, Annalium Cisterc. ad ann. 1201, cap. 4. n. 8.

Radulphus quidam Cisterc. ordinis monachus scripsit *Vitam Christi*, teste Barnaba de Montalbo, chronicorum parte 1, lib. 2. cap. 32. diciturque citari à Vincentio Bandelo Dominicano, in tractatu de Conceptione B. Virginis. Ego tamen de hoc Radulpho apud alios authores nihil vspiam legi. vndè suspecta est mihi fides Barnabæ de Montalbo.

Radulphus, ex religioso Claravallensi, Valcellensis monasterij Abbas 1. natione fuit Anglus, vir eruditione & vitæ sanctimonia clarissimus, scripsit

Expositionem in regulam S. Benedicti, cuius meminit Thomas Demsterus in historia ecclesiastica gentis Scotorum. Scripserat & *alia plura*, sed quæ, heu! perijsse referuntur.

Extat Valcellis, *vita huius B. Patris M. S. à monacho eiusdem loci anonymo.* Arnoldus de Raisse in auctario ad natales Sanctorum Belgij Ioann. Molani, die 3. Decembris de hoc Radulpho mentionem faciens, ita scribit: Deo ita disponente, post 3. menses professionis, ad construendum & regendum Valcellense cœnobium, à Sancto Bernardo est electus. Quod officium cū omni humilitate susceptum, tam laudabiliter, fideliter, feliciterque administrauit, vt sibi & ecclesiæ suæ Valcellensi laudabilem pietatis & sanctimoniæ famam, longè latèque compararerit, &c. Porrò, crebrescentibus post obitum ad sepulchrum eius miraculis, corpus ipsius, iussu Concilij Lateranensis anno 1179. 3. Kal. Iunij, è terra leuatum, publicæ venerationi expositum fuit. Vide Menologium Cisterciense 31. Decembris & Ioannem Bollandum Soc. Iesu, ad 28. Ianuarij. Thomas Demsterus, suprà, 1035. Rodulphum hunc scribit fuisse Scotum natione; de quo nobis miras obtrudit nugas & fabulas, calamo indignas. Hæc autem quæ diximus, ex ipsis monumentis Valcellensibus desumpta sunt.

Radulphus Villariensis cœnobij in Brabantia

 mona-

...ans, doctrinæ & pietatis suæ specimen dedidit in *Epistola quadam ad Gibertum Abbatem ...blacensem*, quæ legitur Louanij ad S. Martinum, cum responsione ipsius Guiberti. Valerius Andreas in bibliotheca Belgica. verbo Guibertus: & Sanderus in bibliotheca Belgica manu scripta.

Raynerius, seu Reynerius Capoccius, Cardinalis, posteris rythmicè scripta reliquit, vt illa ferebant tempora:

Hymnum, Cœlorum candor, &c.

Hymnum, Plaudat turba paupercula, &c.

Et *alia quædam* Vide Nomenclatorem Cardinalium scriptorum. Fuit hic natione Italus, patria Viterbiensis, religionem nostram professus in cœnobio trium Fontium iuxta Romam, vndè anno 1212. ab Innocentio III. euocatus, creatus fuit Cardinalis diaconus tituli S. Mariæ in Cosmedin. Magna familiaritate coniunctus erat S. Dominico, cuius institutum plurimùm promouit. Cisterciensibus autem suis fundauit monasteria, S. Martini in montibus diœcesis Viterbiensis; S. Petri in Castaneo; & S. Mariæ de Paradiso, monialium.

Obijt Viterbij, anno 1258. 6. Kal. Iunij, vt habet vetustum Kalendariū monasterij S. Cerbonij ordinis Cisterciensis, diœcesis Lucanæ; iacetque sepultus in ecclesia S. Mariæ ad gradus, quam ipse ædificauerat Patribus dominicanis, diuinitus ad hoc admonitus in somnis. Vide latius, Vghellum, Italiæ sacræ, tomo I. inter Episcopos Viterbienses, fol. 313. p. 2. Guidonem Claræuallensem, lib. de viris Illustribus Ordinis Cisterc. & Iongelinum in Purpurâ diui Bernardi.

Raynerius, alias Raynaldus, Milonis Comitis Barri super Sequanam filius, ex monacho Claræuallis anno 1133. electus Abbas Cistercij 4. *Speciales constitutiones à S. Stephano diuersis temporibus, post Chartam charitatis, latas, in vnum volumen congregauit, 87. capitibus distinctum, & anno 1134. vulgauit.*

Constitutiones has refert Manriquez tomo 1. Annalium ad annum 1134. cap. 5. Obijt sanctitate Illustris, anno 1151. cuius obitum S. Bernardus luxit. epistola 270. his verbis: Dominus Cisterciensis deseruit nos, magna plaga in ordine. Vide Menologium Henriquez 17. Kalendas Ianuarij, & Manriquez loco citato.

Reynerius de Bel fiore, ex medico (diuinitus admonitus) monasticum habitum induit in monasterio S. Galgani in Tusci, ad diœcesis Volaterranæ, vbi postmodum creatus Abbas, tantis eluxit virtutibus, vt in vita & post mortem pluribus claruerit miraculis. Scripsit adhuc secularis *Tractatus aliquot medicos*. Religiosus verò edidit *Vitam B. Iacobi de Monterio, cœnobij sui monachi.*

Obijt anno 1272. Iongelinus in serie Abbatum Sancti Galgani, in notitia Abbatiarum &c.

Ranulphus, Præses, seu Abbas Coggeshalensis, in Angliâ, strenuam in contexendis Chronicis operam dedit, teste Harpsfeldio, in historiâ Anglicanâ, sæculo 13. cap. 14. Quænam tamen, & qualia fuerint illa Chronica, non exprimit, crediderim ego hunc eundem esse cum Radulpho Coggeshalensi, de quo supra egimus.

Ranulphus, ex monacho Fontanensis cœnobij in Angliâ, anno 1146. assumptus fuit in 1. Abbatem monasterij quod *Lysa* vocatur in Noruegiâ, quod Sigwardus Episcopus Bergensis, recenter fundauerat. Refertur quædam scripsisse, quorum intuitu, à Lelando, & Balæo lib. de scriptoribus Britanniæ, centuriâ 13. num. 68. scriptoribus Angliæ adcensetur. Quid tamen scripserit, non exprimitur. Huius viri etiam mentionem facit Saxo grammaticus, historiæ Danicæ lib. 10.

Raphael

Raphaël Sarmentus (vel Sarmientus) antiquissimâ & regia Sarmentorum gente apud Hispanos oriundus, quæ cum regia Stuartorum (quæ hoc tempore Angliæ Reges dat) de antiquitate certat, vt benè ostendit Maxvellus apud Henriquez in Phœnice. Hanc generis nobilitatem Raphaël noster mundi & honorum contemptu illustriorem reddidit, dum ordinem Cisterciensem amplexus in Hortensi cœnobio, tanto studio se pietati dedit, vt omnibus esset exemplo: insuperque studijs grauioribus applicatus, tantum in ijs profecit, vt (accedente dicendi facilitate) viris doctissimis, & nominatim concionatoribus famosissimis adnumerari meruerit.

Monasterio quoque montis Sion Abbas ordinatus, tantâ prudentiæ famâ illud rexit; vt merito promotionem digniorem expectare potuisset, nisi solitudinis amantior, maluisset in Hortensi suo cœnobio priuatam vitam ducere; ad quod propterea reuersus, omnium virtutum clarissimum se exhibuit speculum, vsque ad annum 1608. quo ex hâc mortali vitâ ad immortalitatem commigrauit. Edidit *Promptuarium conceptuum ad formandas conciones totius anni*, impressum Madriti in 4° anno 1604.

Conciones insuper varias, excusas Compluti, Et *quadam alia* teste Henriquez in Phœnice.

Remundus, alibi Raymundus, Ebirbacensis Abbas 6. scripsit (iussu Gregorij IX. Pontificis) vnà cum Sefrido Moguntino Archiepiscopo, & M. Conrado, *Examinationem vitæ & miraculorum Sanctæ Elizabeth Landgrauiæ, Andreæ Regis Hungarorum filiæ.* Ioan. Molanus in additionibus ad Vsuardi mar. prologium 19. Nouembris, & ex illo Seguinus, qui intuitu huius scripti, Remundum hunc scriptoribus adcenset in bibliothecâ suâ. Perhibent autem Ebirbacensium monumenta, eundem fuisse litteratum, & ingenija crimoniâ clarum. Obijt anno 1249. post prælaturam 23. annorum.

Reginaldus de Alna, religiosus monasterij Alnensis, apud Tudinium Leodiensis diœcesis oppidum, in multis codicibus manu exaratis, *Commentarium fertur scrip sse in Sapientiam Salomonis*, qui vulgo nomine *Roberti Holcot circumfertur*.

Valerius Andreas in bibliothecâ Belgicâ.

Renaldus Morimundensis religiosus, scripsit *Sermones de Sanctis, & Dominicis totius anni.* Item volumen aliud,

De Aduentu & Quadragesima. Deniquè *Volumen 3. sermonum & exhortationum ad diuersos, puta, Principes, Iudices, Sacerdotes &c. Et de visitationibus monasteriorum ordinis Cisterciensis.*

Scripsit quoque *super plurimos textus sacræ scripturæ.* Quæ omnia seruantur in Morimundo.

Series scriptorum Morimundensium à Reuerendissimo loci illius Abbate mihi transmissa.

Renaudus Morimundensis Abbas, *vide Bernardus*.

B. *Richalmus*, *Abbas* Speciosæ vallis in Franconiâ, scripsit *celebre quoddam opus, continens varias subtilissimas apocalypses, philosophis, theologis, & asceticis maximè necessarias*, iudice ipso Perillustri & Eximio Domino Caramuele, qui perlecto opere, sequentem illi censuram scripto adposuit (epistolâ ad Reuerendissimum Dominum Christophorum, modernum Speciosæ Vallis Abbatem, præfixâ 3 parti Theologiæ regularis:) Quantum mihi profuerint, beati Richalmi, prisco æuo tui monasterij antistitis, apocalypses, quantum omnibus & singulis prodesse poterunt, altius mente concipio, quam linguâ aut calamo explicabo Sunt illæ (me iudice) philosopho, theologo, & ascetico maximè necessariæ. Ibi prior nonnulla inueniet physica, multo aliter reuelata diuinitus, quam ab Aristotele, aut etiam Platone supposita. Ibi alter multa, quæ Dei attributa, Angelorum substantiam,

collocutionem, vires, bonorum erga homines amorem, malorum in eosdem inuidiam, vtrorumque solicitudinem & diligentiam concernunt. Ibi posterior virtutis amplectendæ motiua, culpæ vitandæ monita, horribiles animarum etiam purgantium pœnas, ineffabilem triumphantium gloriam. Ibi quicunque, multa, varia, & vtilia animo recreando, erudiendo, reformando. Notaui aliqua, & præcipuè circa confusam apostatarum Angelorum rempublicam, quæ radio esse poterunt grauissimis difficultatibus, &c. *Hac Caramuel.* Asseruatur hoc opus M.S. inspect...sâ Valle. Reperitur etiam apud Canonicos Regulares Tungris, titulo *Visiones & instructiones de impugnatione dæmonum, Richalmi Abbatis.*

Richardus de Ædvverde, aliàs *Aldtvverde* (vtroque enim modo scriptum legi) cognomento *Sacrista*, quià hoc munus diu in suo Monasterio *de Aldvverde* exercuit: fuit natione Anglus, astronomus & physicus excellens, Magister in artibus, & litteratus in qualibet facultate, vt habet Author vitæ ipsius. S. Theologiæ Magisterium Parisijs acceperat, vbi cruce signatus, terram sanctam visitare decreuerat; at in itinere à Sancta quadam Reclusâ virgine, à proposito dimotus, habitum Cisterciensem assumpsit in cœnobio Sancti Bernardi de Aldvverdt, iuxta Groningam Frisiæ ciuitatem, vbi per 30. annos Domino seruiens, tantum sanctitatis culmen adscendit, vt etiam in vita diuersis perhibeatur claruisse miraculis. *Varios à se conscriptos libros posteritati reliquit, quibus sicut sol mundum, ita ipse Frisiam illustrauit*, (vt expressè in vitâ refertur.) Qui tamen omnes iam vel temporis iniuria perierunt, vel saltem ad notitiam nostram nondum deuenerunt, præter

Librum quendam de harmoniâ. de quo Lelandus, & Pitsæus in Appendice ad scriptores Angliæ, centuria 3. n. 93.

Et Epistolam prolixam. (quæ etiam tractatus dici possit) ad Religiosum quendam Ebirbacensem in Germania, in qua agit de Martyrio beati Gerardi Abbatis Claraeuallensis, de vita & miraculis Sancti Syluani, Claraeuallensis item monachi, & alijs quibusdam personis sanctitate illustribus ordinis Cisterciensis, præsertim cœnobij Ebirbacensis, cuius monasterij sanctitas mire extollitur. Extat hæc epistola impressa in Fasciculo Henriquez, tomo 2. dist. 35. Obiit Richardus anno 1266. 12. Kalendas Ianuarij; quem Henriquez (diem obitus eius ignorans, vt in Phœnice fatetur) Menologio adscripsit 29. Decembris.

Vitam ipsius ab anonymo Cisterciensi conscriptam (monacho, vt apparet de Aldvverdt) reperi in antiquo manuscripto monasterij Veteris Campi, ex quo eandem descripsi, & hoc anno 1655. publicaui, vna cum vitis, ven. Adriani Cancellier, Abbatis Dunensis 39. & B. Eberardi de Commedâ Brugis, typis Nicolai Breygelij. Demsterus, n. 1041. asserit illum fuisse Scotum, & antea fuisse profectum in monasterio Dundranensi, indéque profectum, vt sepulchrum S. Bonifacij visitaret &c. Sed nihil simile ex vita colligitur.

Addit, scripsisse, *Librum meditationum.*

Ioannes verò Molanus, Richardi huius mentionem faciens in natalibus Sanctorum Belgij, 2. Decembris, sic ait: *Richardus Cisterciensis in abbatia de Aldvverde, milliari vno à Groninga, vita sanctitatis fertur fuisse monachus miraculis & peregrinationibus clarus, non tamen canonizatus.* Quæ asserit se habuisse ex litteris Adami Wachelarc, Archidiaconi Grœningensis.

Richardus Brunus, vid. Gilbertus.

Richardus, ex Priore Dorensis monasterij, postea Cantuariensis Archiepiscopus in Angliâ, scripsit

Tractatum quendam exhortatorium ad sacerdotes, Item,

Apologiam contra suos perturbatores. Et *Epistolas ad plures*

ad plures Episcopos Hyberniæ, ad Petrum Blesensem, ad Henricum Regem &c. Hæc quidem ex relatione reuerendi admodum & Eximij Domini Abbatis de Columba; hic recensui; verum, quia nec apud Pitsæum, aut alios Angliæ scriptores (quos legi plures) huius Richardi mentionem reperi inter Cistercienses, plurimum dubito, vtrum reuera talis vnquam fuerit in ordine nostro, præsertim, quia etiam reuerendus admodum D. Iongelinus in Purpurâ Sancti Bernardi, vbi exactissimè Archiepiscopos & Episcopos ordinis eiusdem recenset, hunc non agnoscit. Vndè de illo fidem relinquo penes Relatorem, virum alioquin doctissimum, & in antiquitatibus historicis versatissimum.

Richardus Fastolphus, natione Anglus, patriâ Eboracensis, Cisterciensem ordinem in Claraualle professus (vbi & Præcentorem egit,) ob vitæ sanctitatem, & excellentem doctrinam, Sanctissimo Patri Bernardo valdè charus fuit: à quo cum alijs aliquot religiosis, in Angliam ad Fontanense Monasterium nouiter erectum, transmissus, totum se diuinarum rerum contemplationi & sacrarum litterarum studio dedit quibus sese mirè amabilem cunctis ibidem reddidit, in tantum, vt Henrico Mordachio Fontanensi Abbate ad Archiepiscopatum Eboracensem prouecto, concordibus votis eidē in Abbatiali dignitate suffectus fuerit; vbi prudentiæ, industriæ, dexteritatis, & aliarum virtutum in vero animarum pastore requisitarum egregia dedit indicia. Plura eruditionis suæ monumenta posteris reliquit, ex quibus à Lelando, & Ioanne Pitsæo, referuntur sequentia:

Homiliarum liber vnus, elegans & lucidus, teste Lelando, qui scribit se idem opus vidisse.

De musicâ, vel harmonia, liber vnus.

His adiungit Henriquez *Libros 4. commentariorum in sacram scripturam.* Sed apud scriptores Anglos, horum librorum nulla mentio. Floruit autem Author circa annum 1150. miraculorum etiam gloria clarus, vt scribit Henriquez in Menologio, 18. Nouembris. De hoc etiam honorificam mentionem facit Hugo Kircholtallensis, apud Lelandum.

Richardus de Grandisylua, diœcesis Tholosanæ monachus, theologus & poëta non ignobilis fuit, qui *Carmine studio scripsit laudes Clarauallensis cœnobij.*

Seguinus in bibliotheca. Solentque etiam hæc carmina legi ad calcem operum Sancti Bernardi.

Richardus Hortensis in Hispania monachus, *scripsit carmine vitam Sancti Martini, vulgò Sancti sacerdotis Episcopi Seguntini, ex Abbate Hortensi.* Extat impressa apud Henriquez lib. 1. Fasciculi, dist. 7. cap. 8. Qui pariter edidit ibidem oratione soluta, eiusdem Episcopi vitam. Vide etiam Angelum Manriquez tomo 2. Annal. an. 1164. cap. 8. vbi plura quoque carmina ex hac vita profert. Legitur hic Martinus Menologio adscriptus 16. Septembris. Porrò scripsit insuper Richardus *Vitam Sancti Roderici Archiepiscopi* Toletani. Pictura eius visitur in presbyterio ecclesiæ Hortensis, cum hac inscriptione: *Richardus monachus, sanctorum historicus monachorum.* Vide Fasciculum suprà, dist. 7. cap. 10. *Ex qua inscriptione collego, Richardum nostrum aliorum adhuc plurium monachorum vitas scripsisse*, quorum notitia ad nos nondum peruenit.

Richardus Melhesbamus, monasticen professus in Bellensi ordinis Cisterciensis in Angliâ cœnobio (quod alias vocatur Belli-locus, vel Bellus locus,) pietatis & eruditionis laude insignis floruit; qui concionando, prælegendo, scribendo, pluribus suo tempore profuit, & etiamnum prodesse potuisset, si præclara eius scripta ad ætatem nostram peruenissent, teste Lelando in collectaneis. Sed ex omnibus quæ scriptis consignauit, nihil ad nos peruenit, præter

Volumen

Volumen magnum concionum. Vide Pitſæum in appendice ad librum de ſcriptoribus, centuriâ 3. n. 88.

Richardus Pontigniacenſis monachus reliquit *diuerſos tractatus philoſophicos & theologicos*, quorum tamen titulos, Pontigniacenſes in relatione ſuâ ad me miſſa, non expreſſerunt, non obſtante, quod ex his tractatibus aliquos adhuc Pontigniaci aſſeruari ſcriberent. Quo tempore vixerit, mihi etiam relatum non fuit.

Richardus Sacriſta, Vide *Richardus de Aldevverde*.

Richardus Stradleius, in occidentali Anglia, ipſiſque Walliæ finibus natus, á teneris annis bonam indolem, & ingenium ad pietatem bonaſque litteras formatum oſtendit: vndè in vtriſque, pro ſingulari parentum ſolicitudine, diligenter inſtructus eſt. In ætatis flore conſtitutus, & optimis diſciplinis imbutus, apud Herefordiam (vt ſcribit Pitſæus, regulam monachorum Ciſtercienſium, ingenti feruore ſpiritus amplexus eſt. In quâ profeſſione, ſucceſſu annorum, tam vberes in omni virtute fructus fecit, vt concordibus monachorum votis in Abbatem electus fuerit. In quâ dignitate conſtitutus, animo ſemper fuit à rebus terrenis auerſo, & ad cæleſtes conuerſo. Noctes & dies in aſſiduis contemplationibus, & ſacrarum ſcripturarum meditationibus libenter collocauit, magis ſolicitus vt animam ſpiritualibus, quam vt corpus carnalibus paſceret alimentis. Hæc ferè ad verbum ex Pitſæo, prout ille ex Lelando. Scripto reliquit:

In Euangelia, libros 4.

In quoſdam alios ſacræ ſcripturæ textus, lib. 1.

In orationem Dominicam. lib. vnum.

Homiliarum, lib. vnum. Floruit circa annum gratiæ 1336. ſub Eduardo Rege III. Notandum autem hic, me in nullis catalogis monaſteriorum ordinis, hactenus potuiſſe reperire monaſterium, quod vocetur Herefordenſe (niſi fortè illud ſit, quod nominatur *Hereſvvich*, nihilominus quia Pitſæo & Lelando exactiſſimis Angliæ ſcriptoribus, aſſerentibus hunc fuiſſe Ciſtercienſem, indubitata fides adhibenda eſt, credo illum fuiſſe monachum Dorenſis cœnobij, quod apud Herefordiam ſitum eſt. Maximè, quod ſcribant eum monachum induiſſe apud *Herefordiam*, non autem in Monaſterio Herefordenſi.

Richardus Epiſcopus Wichienſis, natione Anglus, monachus Ciſtercienſis, vt vult Iongelinus in purpura Sancti Bernardi, inter Epiſcopos Angliæ titulares, citans pro ſe anonymum quemdam in catalogo ſcriptorum. Quibus etiam fauent, Poſſeuinus in Apparatu, & Eilegreinius in catalogo teſtium veritatis his verbis: Richardus Wichienſis Pontifex Ciſtercienſis, vir doctrina & eloquentia clarus, &c.

Scripſit *De officijs Eccleſiæ, libros duos*: (ſeptem ait Pitſæus) Obijt anno 1251. Verum Matthæus Paris, Boſtonus Burienſis, Balæus, & etiam ipſe Pitſæus anno 1252. ſcribunt illum fuiſſe Epiſcopum Ciceſtrenſem in Anglia, nulla facta mentione monachatus: cognominari autem Wichium, ſeu Wichienſem, quiá natus fuit in oppido Wich, ſeu Dortevvich, Diœceſis Wigornenſis. Quibus authoribus etiam ipſe ſubſcribens, iudico hunc non fuiſſe monachum Ciſtercienſem, nec etiam Wichienſem Epiſcopum; huc tamen fuiſſe referendum propter authores contrariæ opinionis.

Ritenbauſani Cœnobij, in Saxoniâ, Chronicon olim à monachis eiuſdem Cœnobij conſcriptum, anno 1605 publicatum fuit per quemdam Henricum Meibomium, Hæreticum Helmſtadij, in 4. Sed quam fideliter, nondum mihi datum fuit examinare, quia librum non vidi. Vide etiam ſuprà, verbo, *Petrus VVilhelmus.*

S. Robertus, ex Abbate Moliſmenſi, in Diœceſi Lingonenſi, primus Abbas Ciſtercij, adeoque totius

totius Cisterciensis ordinis fundator, vir sanguinis splendore, doctrina ac sanctitate clarissimus, scripsit *diuersos sermones piissimos*, ex quibus vnus ad monachos Molismenses, extat impressus apud Henriquez in Fasciculo, lib. 2. dist. 26. Item legitur & alia insignis exhortatio, seu breuis sermo eiusdem Sancti Patris ad religiosos Cistercienses, postquã authoritate Apostolica compulsus, Molismum fuerat reuersus, & illos corpore reliquerat, licet non animo, & paterna solicitudine, vt ex dicta exhortatione satis constat.

Eiusdem viri Sancti epistolas duas refert Manriquez, tomo 1. Annalium Cisterciensium. Priorem ad Odonem Burgundiæ Ducem, ad annum 1198. posteriorem ad Cistercienses ex Molismo, ad annum 1100. Natus fuerat Robertus in Campania Gallica, patre Theodorico, ex Imperatorum Germaniæ, & Burgundiæ Ducum sanguine orto; matre vero Ermergarde, ex nobilissima Niuernensium Comitum familia. Post obitum, ab Honorio III. Pontifice, Sanctorum numero adscriptus, colitur 3 Kalend. Maij. Vitam eiusdem habet Henriquez supra, lib. 1. dist. 1.

Robertus Boymers religiosus Sancti Saluatoris Antuerpiæ, clarissimi viri Auberti Miræi ex sorore nepos, in versibus pangendis facilis & venustus, rythmo præsertim vernaculo, numeris legibusque adstricto.

Composuit prælo que subiecit anno 1648. (Antuerpiæ in 16. typis Iacobi van Ghelen) *Libellum insignem cantionum spiritualium, precipue versusque sexus ordinis nostri Sanctis, alijsque festiuitatibus nonnullis accommodatarum.*

Publicauit & anno 1651. *tomum alterum, quem inscripsit celestem Helliconem.* Vterque scriptus est lingua Flandrica, in 16.

Meditur in editione altera, si ita compendiosus Sanctorum in dictis cantis commemoratorum, cum adiectione diuersorum aliorum rythmorum. Scripsit & *plura alia poëmata, ac diuersi generis carmina, Latina & Flandrica.* Viuit adhuc hoc anno 1655. plura cum tempore daturus.

Huius etiam fit mentio in Bibliotheca Ecclesiastica Auberti Miræi, p. 2. cap. 22. vocaturque, Vir amœno ingenio, & ad poësim veluti nato.

Robertus Bridlingtonus, natione Anglus, professione monachus Cisterciensis, incerti tamen monasterij, vt scribit Pitseus; Theologus fuit insignis, & diligens sacrarum scripturarum ruminator. Scripsit *Super Apocalypsim Sancti Ioannis.* Quod opus sic incipit: *Beati Dionisij Corinthiorum Episcopi, &c.* Reliqua quæ scripsit, temporis iniuria perierunt. Vide Pitsæum in Appendice Centuriâ 3 n. 100.

Robertus de Brugis, ex illustri Flandriæ familiâ eiusdem cognominis (vulgò autem *Gruythuysse*) originem ducens, prædicatione, sanctâq; conuersatione Diui Bernardi Flandriam visitantis, excitatus, cum eodem Claràmvallem proficiscens, Monasticum ibidem habitum induit, tantumque sub directione Patris Sancti profecit, vt hic eum Dunensibus in Flandria Abbatem præfecerit; insuperque morti proximus (non sine singulari personæ commendatione) sibi successorem eligi monuerit. Extant & inter epistolas ipsius Diui Bernardi, duæ ad hunc venerabilem Patrem affectu plenissimæ, scilicet 330. & 337.

Legitur in Monasterio de Dunis (vt scribit Valerius Andreas in bibliotheca Belgica) *Sermo quidam elegantissimus, huic venerabili Roberto adscriptus, quem habuisse dicitur in anniuersaria die depositionis Sancti Bernardi.* Verum dum ego nuper sermonem hunc examinarem, reperi esse eundem, quem Henriquez in Fasciculo, & Iacobus Merlonus, post opera Sancti Bernardi adtribuunt Gaufrido, Claræuallis Abbati 3. nihilominus, quia

quia præter Valeriũ etiam clarissimus D. Sanderus libro de scriptoribus Flandriæ, Robertum nostrum cæteris Flandriæ scriptoribus adnumerat, non debui ego Patrē meum illo fraudare honore, quem illi externi adtribuunt, maximè cum constet illum, virum fuisse doctissimum & quædam etiam alia scripsisse feratur, licet tituli ad nos non peruēnerint. Cæterum Menologio Cisterciensi Robertus adscribitur 29. Aprilis. Vitam eius edidit Henriquez Latinè in Fasciculo, & Hispanicè in Deserto Dunensi, quam ego nuper diuersis in locis emendatam Flandricè reddidi, in gratiam sanctimonialium directioni meæ commissarum.

Robertus quidam Criclodensis, scriptoribus Cisterciensibus adcensetur à Pitsæo, in indice illustrium scriptorum qui fuerunt ordinis Cisterciensis. Attamen in ipso principali opere, siue in corpore libri de scriptoribus, illum non reperi.

Robertus d' Esloges, Vide *Iacobus d' Esloges.*

Robertus de Eudemodio, religiosus Claræuallensis, *Libellum moralem vulgo Marco Catoni adscriptum, commentatus est, & super singulis eiusdem distichis materiam dilatauit.* Extat hic liber in Bibliothecâ Vedastina, Attrebati, impressus Antuerpiæ apud Gerardum de Leew. 1485. in 4. Impressus item fuit Basileæ 1486. Item Dauentriæ 1496. per Iacobum de Bredâ. Denique & ibidem iterum 1497. typis Richardi Pafraet, cuius editionis exemplar penes me habeo. Scriptus est autem in gratiam generosæ indolis Adolescentis, Petri de Salutijs, cui & dedicatus est. Cæterũ Philippus Labbæus in Bibliothecâ sua noua M.SS. librorum parte 4. sec. 2. asserit Robertum hunc etiam scripsisse *Distichis metris alia adhuc Commentaria ampla in Catonis præcepta moralia, quod opus nihil commune habeat cum impressis iam memoratis.*

Robertus Graimus, monachalem habitum in Melrosensi cænobio induit, sed tyrannide Eduardi Anglicani Scotiam cum dissidio Regum ei expositám prædam lacerantis, exulare iussus, in Wardeniensi cænobio Anglicano dein vixit, & obijsse creditur. Scripsit,

Super Scotiæ statu, lib. 1. cuius initium est: *Versu deflemus patriam* &c.

Super 4. Euangelia lib. 4.

Conciones varias. Scoti-chronicon, lib. 15. cap. 51. florebat, anno 1420. hunc Angli, falso, ciuem suum dicunt, & Grimmum vocant. Ita Demsterus, n. 614.

Robertus Heresfordiensis, seu *Herefordensis*, Anglus, à Chrysostomo Henriquez in Phœnice, asseritur fuisse Cisterciensis ordinis monachus, & scripsisse *librum quemdam de annis Domini.* Verum tamen quiâ Pitsæus, & alij illo antiquiores Angliæ scriptores, de hoc Roberto agentes, nullam faciunt mentionem monachatus, suspectus mihi rursus est præposterus zelus ipsius Henriquez; maximè quod nullibi reperiatur huiusmodi nominis Monasterium in ordine nostro, vt suprà insinuauimus in Richardo Stradleio. Vide Pitsæum in appendice, centuria 4. n. 11.

Robertus cognomento Keldelith, vir claro sanguine, & nobili ingenio, Regni Scotiæ Cancellarius, amore cælesti, an turbulentorum Procerũ metu territus, an aliqua alia causa, incertum; in monasterio *Neubotel.* Cisterciensem monachum induit, ac posteà Abbas creatus de *Durfelmelin*, indeque translatus (crescentibus sanctitatis & virtutis meritis) Ioanni Abbati de *Mailros* defuncto, successit Abbas, non sine maximâ sanctitatis opinione. Scoti-Chronicon lib. 10. cap. 26. & 33. Scripsit:

De successione Abbatum de Mailros. lib. 1.

Florilegium spirituale. lib. 1.

Creatus est Abbas Melrosiæ anno 1269. Obijt, anno 1273. Demsterus, n. 1086.

Robertus Keithus, natione Scotus, frater Comitis

tis Martialis, Vir non minus eruditione & vitæ continentia, quam generis claritudine illustrissimus. Abbas Deirensis, multa edidisse dicitur, quo collapsos Ecclesiastici Ordinis mores restitueret, acerrimus vitiorum in illo hominum genere vindex & censor. Scripsit & publicauit,

Ad Clerum Monitoria. lib. 1.

De primitiua Ecclesiæ apud Scotos sanctitate, lib. 1.

Quod opus Iacobus Langius, Sorbonicus doctor Scotus, publici iuris facere voluit, sed an fidem liberauerit, nescire se scribit Demsterus. Obijt Lutetiæ, anno 1551. die 12. Iunij, sepultusque iacet in æde sacrâ Carmelitarum, ante aram Sancti Niniani. Scoti. Demsterus, n. 785.

Robertus Rusca, nobili apud Nouocumenses in Italia exortus familia, monachus congregationis Lombardicæ, plura conscripsit opuscula, ex quibus ad me trâsmissa fuerint sequentia:

Liber de viris illustribus ordinis Cisterciensis. Opus impar inscriptioni, quod innumeros & præcipuos præterijt.

Exercitatio academica, de Nobilitate. Descriptio oppidi Lemonta, quod vnum est ex tribus quæ ditioni Abbatis Sancti Ambrosij maioris Mediolani, pleno iure subsunt. Edita sunt hæc omnia typis Mediolanensibus.

Scripsit & plura alia, quæ adhuc M. S. latent. Obijt nuper in Monasterio præfato Sancti Ambrosij maioris Mediolani.

Series scriptorum Italiæ, ex vrbe Roma ad me missa anno 1647.

Robertus Vryse, monachus Hulmensis monasterij, haud longè à Marino littore, in Cumbria, Latinæ linguæ (in ipsa penè bonarum litterarum defectione) cultor assiduus adhæsit, vt studia grauiora facilius aggrederetur. Interimque vt in vocabulis copiosior ipse esset, summa diligentia *Dictionarium concinnauit, quod vocabat Catholicon paruum* & incipiebat: *Alma, virginem (apud Hebræos) abscond.* Seruari solebat Cantabrigæ in Collegio Reginæ. Sunt qui scribant hunc fuisse Benedictinum, at Hulmense monasterium ordinis Cisterciensis, & filiam Meltosæ, legi in pluribus antiquis catalogis ordinis nostri; cuius primus Abbas fuit Beatus Euerardus, scriptor vitæ Beati Walleni, de quo suprà, suo loco. Vide etiam Angelum Manriquez tomo 2. Annalium Cisterciensium, cap. 12. nu. 9. vbi ex Demstero, monasterij huius fundationem refert.

Rogerius, Fordani Monasterij in Anglia monachus, quem strenuum pietatis & doctrinæ cultorem prædicat Lelandus, excitatus famâ sanctitatis Beatæ Elizabeth de Schonaugiâ, Abbatissæ ordinis Sancti Benedicti in Germaniâ, de Licentia Abbatis sui Balduini, in Belgium transfretauit, indeque in Germaniam profectus, eandem visitauit, omnesque eius visiones & reuelationes, beneficio maximè Guillelmi Saugniacensis Abbatis, excepit, & in duos libros redegit, quos, in Angliam reuersus, præfato Balduino Abbati suo consecrans, in vulgus emisit, titulumque indidit:

Reuelationes Sanctæ Elizabethæ, libros duos. Quorum initium erat: *Omnes qui lecturi sunt, &c.* Scripsit prætereà

De vndecim millibus Virginum, Coloniæ occisarum, librum vnum: secundum reuelationes scilicet quas de ijs habuerat B. Elizabeth. Item

Libellum quendam encomiorum BB. Virginis Mariæ. Et alia nonnulla.

Hæc omnia Pitsæus ad annum 118.. quo anno authorem claruisse scribit.

Cæterum hos tres priores libros à Rogerio conscriptos, posteà recognouit Eckbertus Abbas Schonaugiæ Sancti Florini, frater germanus ipsius B. Elizabeth, & 4. alios ijsdem adiecit, quorum autographum vidi aliquandò in dicto Schonaugiæ monasterio. Vide quæ infrà dicimus, verbo Schonaugia.

Porrò, Harpffeld. cent. 12, c. 30. fo. 371. & alij

Authores, ferè, communiter, censent, hunc esse Rogerium, cuius mentionem faciunt, Baronius in notis ad Martyrologium Romanum, 21. Octobris, & Molanus in additionibus ad Vsuardum, eodem die, asserentes illum scripsisse *Historiam vndecim millium Virginum*. Seguinus tamē, in Bibliotheca sua, putat *Rogerium* à Boronio citatum, fuisse Abbatē primum *Ellantij* in Gallijs.

Rogerius de Monte Roseo, sub Beato Neruo Killosensi Abbate Prior Venerabilis, inter alia opera quæ (de licentia capitulis, scripsit, *Vitam Duffi Regis stylo mandauit* de quo hæc habet Demsterus, in sua historia, libro 2. *Rogerius dictus de Monte Roseo, Monachus Cisterciensis, professus in Kilos, in Morauia, ac eiusdem cænobij Prior, vt existimo, 2us. Nam cum Sanctus Anselmus primus Abbas obijsset. Sanctus Neruus successit, vt in Scoti chronico, lib. 8. cap. 25. habetur: & hic noster sub eo Prioratum administrauit; vt colligi ex opere suo, cui in indice Deirano, hic apex: Duffi Regis Mors, ad Neruum Abbatem, lib. 1. Florebat anno* 1180. *aut circiter*. Vide Manriquez ad annum eundem, cap. 6. n. 7.

Rogerius Suisetus, rectius *Suinsetus* (teste Pitsæo) à cœnobio de *Suinsbed*, seu *vvinsbed* ordinis Cisterc. in Hoylandia Angliæ insula, cuius fuit monachus, vulgo cognominatus *Calculator*; antè religionis ingressum, Oxonij celebris fuit mathematicus, è societate collegij Mertonensis; theologus etiam ac philosophus tantæ subtilitatis, vt in ijs scientijs (quas professus est) vix parem habere censeretur. Religionem ingressus studia continuauit, præsertim mathematica, adeò vt multa in mathematicis de nouo inuenerit, quæ ante eum nemo inuenerat, & post eum per pauci iam inuenta comprehendere valuerunt. Hinc nonnulli tenuioris ingenij homines (vt fieri assolet) quæ intelligere non poterant, ferre nolebant, & conuitijs proscindebant, mentisque acumina & arguta inuenta; quæ non consequebantur labore, prosequebantur odio. Scripsit autem, vt ex Ioanne Maiore libro 1. de gestis Scotorum, refert Pitsæus:

Commentariorum in M. Sententiarum, libros 4. quorum initium est: *Vtrum aliquis in casu ex præcepto*, &c.

In Ethica Aristotelis, libros decem, qui incipiunt hoc modo: *In 1. capitulo, libri 1.* &c.

De cælo & mundo, libros duos. In primo de cælo, Philosophus, &c.

Descriptiones motuum, seu de motu cæli: &c. *librum vnum*, M. S. Cantabrigiæ in archiuis collegij Caij.

De parte cabalistica, librum vnum.

De intensione & remissione, libros duos, quorum initium: *Penes quid habet intensio aut remissio*, &c.

Sophismata Logicalia, librum vnum.

De insolubilibus, librum vnum: Inc. *Circa finem seu terminum vltimum*, &c.

Ephemerides. lib. 1.

Mathematicarum commentationum, lib. vnum.

Introductorium ad calculationem, impressum Venetijs, anno 1505.

Calculationum astronomicarum, lib. vnum, impressum Paduæ per Ioan. de Cypro. Itē Venetijs anno 1520. vnà cum libello *De reactione*, Claruit circà annum gratiæ 1350. sub Eduardo III. Rege Angliæ. Vide Pitsæum ad eundem annum.

Rolandus Heelaut, natus Gandaui in Flandria, religiosus & Subprior in Baudelo, nuper per annos plures à sacris confessionibus sanctimonialium domus Gaudij, (vulgo, *ter Haeghen*) ordinis Cisterciensis, scripsit Latinè, *De prudentia & discretione confessariorum sanctimonialium*, libellum insignem.

Scripsit & lingua Flandro-belgica, *Normam*, seu *amussim Superiorum regularium ad rectè gubernandum.*

Item, *Speculum veræ conuersionis ad vitam religiosam.*

Item,

Item, *Falcem spiritualem*, seu *Tractatum de mortificatione, & remediis passionum.*

Transtulit quoque ex Gallico idiomate in Flandricum, meditationes Bartholomaei à Sancto Fausto, congregationis Fuliensis.

Item, *ex Latino, tractatum Ioannis Trithemij, de gradibus humilitatis.*

Vidi haec omnia quandoque apud ipsum Authorem, sed mors superveniens, impressionem impediuit. Obijt 1652. in die Animarum.

Rolandus Placentinus, monachus Cisterciensis, scripsit *Vitam Sanctae Prognatae, Abbatissae Ordinis nostri.* Floruit anno 1220. Relatio Ferdinan. Vghelli.

Rothlandus, Monachus Morimundi Mediolanensis, pietate & doctrinâ clarus, scripto mandauit,

Vitam & admirandas virtutes Sanctae Francae, Abbatissae Placentinae, Ordinis Cisterciensis, & nobili Vitaalta Comitum familiâ natae. Quam vitam, nostris temporibus, amplauit, & in lucem edidit, Petrus Maria Campus, eruditissimus Placentinae ecclesiae Canonicus. Vid. R.mum Ferd. Vghellum, Italiae sacrae, tomo 2. inter Episcopos Placentinos, sub Episcopo 48. fol. 271.

Rupertus Limpurgensis, à Montalbo inter Scriptores Cistercienses relatus, non fuit nostri Ordinis, sed S. Benedicti, ideoque hic omittendus.

S.

Salmanticensis Vniuersitas virorum doctissimorum foecundissima parens, plurimos saè aeterna memoria dignissimos ordini nostro protulit doctores. Quorum non pauci cathedras publicas obtinuerunt, aut ad Ecclesiarum regimen promoti fuerunt. Maximè ab an. 1581. quo ibidem collegium nostrum exstrui coeptum est, quos operae pretium iudicaui, per ordinem hic recensere, tum in historicorum gratiam, & piam monasteriorum aemulationem; tum etiã ne tantorum virorum memoria pereat, praesertim eorum, qui bibliothecae nostrae, suprà inserti non sunt:

Igitur, anno 1597. primus ibidem doctoralem lauream obtinuit Reuerendissimus *Ludouicus Bernaldus de Quiros*, qui anno 1604. à suo Spinae monasterio, in quod (peracto totius congregationis regimine) secesserat, ab Vniuersitate euocatus, publico assignato stipendio, extra ordinariae lectionis onus, pro sacrorum Bibliorum exponenda doctrina suscipere est coactus. Anno 1620. primam eiusdem Facultatis Cathedram sine Riuali, accepit, quam, summo totius Reipub. plausu & vtilitate moderatus est, vsque ad annum 1629. quo è viuis discessit, cum incredibili omnium dolore.

2. Qui ad eiusdem magisterij honorem peruenit, Illustrissimus fuit *Angelus Manriquez* (anno 1613.) Florensis monachus, nunc Pacis Iuliae Episcopus. De quo plura diximus suprà, suo loco.

Petrus de Andrade, Vallis bonae monachus, post annos aliquot quibus lectoris munus in Salmanticensi collegio, cum approbatione nõ mediocri obiuerat, ad magistrij lauream peruenit, anno 1623. Triennio sequenti, quo Reuerendissimus Angelus Manriquez toti congregationi Hispaniae Generalis reformator praefuit, ipse in huius locum collegij Salmanticensis Abbas subrogatur: quâ functus dignitate, Diffinitor electus, sponte (maioris perfectionis adipiscendae amore) in Vallem bonam secessit, indèque sequenti triennio ad supremam Reformatoris apicem euectus, immaturâ morte (non sine vniuersae congregationis dolore) antè dignitatem deseruit, quam deseretur ab illâ, anno 1633.

Ildephonsus Perez (de quo suprà) 4. loco magisterij laureâ insignitus fuit, anno 1629. vt

iam diximus, litterâ, I.

5. Illustrissimus ac Reuerendissimus *Christophorus di Lazarraga*, Spinæ monachus, & Salmanticensis collegij alumnus, adhuc iuuenis, & qui vix auditorem egerat, propter mirabilem ingenij subtilitatem, eiusdem collegij Salmanticensis Lector destinatur, anno 1627. Ab vniuersa Academia expetitus, in gremium magistrorum admittitur, sommo omnium plausu, statimque agere cæpit Cathedrarum candidatum, & anno 1632. Scoti lecturam obtinuit, dein Cathedram Diui Thomæ, anno 1636. & rursus anno 1638. primariæ Cathedræ moderator eligitur. Sequenti anno, 1659. etsi vix 42. ætatis compleslet, ad Ecclesiam de Chiapâ, noui orbis, à Rege Catholico designatus, antequam Summus Pontifex electionem confirmasset, eodem anno, ad Cartaginensem Ecclesiam eiusdem orbis, promotus fuit: Quam cum felicissimè in omnibus rexisset, superiori an. 1648. mense Februario, à perfidis nonnullis (quibus inuisus erat, qui à Deo, Regi, & Reipub. fideliter seruiebat) veneno (vt fama est) inter cibos emisso, ipse simul cum præfecto vrbis, & alijs plurimis, è viuis (proh dolor) sommo bonorum omnium dolore, aufertur. De hoc Viro, vide plura supra verbo, Christophorus de Lazarraga.

Petrus de Oviedo, alius à superiore, Montis Sion extramuros ciuitatis Toletanæ, professus, sextus extitit, qui ex eiusdem Salmanticensis collegij alumnis, magisterij lauream adeptus fuit, anno 1636. & iam, sine dubio, cathedram obtinuisset, nisi generale Capitulum congregationis Hispanicæ, illarum ambitionem interdixisset, ob plura inconuenientia, repugnantia monasticæ modestiæ, quæ necessariò interuenire debuissent, pro illo tempore, quo illarum electio ad scholasticorum suffragia redacta erat. Indè occasione arrepta, anno 1644. Abbas sui monasterij Montis Sion eligitur, & tandem anno 1647. monasterij de Ouila creatur Præsul, quòd munus hodiè summa cum laude moderatur.

Anno 1643. post cursum philosophiæ, & aliquot annos in theologiæ lectura feliciter transactos, *Franciscus de Roys, & Mendoza*, Vallis Paradysi monachus, magisterij laurea condecoratur, qui hodiè, Cathedrarum eiusdem Facultatis, summa Academiæ gratulatione, candidatum agit. Ab omnibus amatus, pro sua modestia, & vrbanitate, pro suo ingenio, docendique facundia, & perspicuitate, tam ex suggestu scholastico, quam ex concionatoria expectabilis, acclamatusque valdè.

Henricus de la Garma, Vallis Ecclesiárum monachus, Scholæ Thomistarum addictissimus, ingenij verè ignei, acris, & acutissimi, lauream obtinuit, anno 1645. candidatum Cathedrarũ agebat, summo totius Academiæ gaudio & expectatione (conceperant namque talem de ipso spem, non solum congregatio ordinis nostri, & Academia ipsa, sed & supremus Senatus regius, quod decori & splendori foret non tantum ordini suo, Academiæque, at toti etiam Hispaniæ) verum, immatura morte illum de medio nobis sustulit Deus anno 1647. mense Iunio, cum recenter Diffinitor congregationis esset creatus. Illud autem hic specialiter adnotandum venit, non ideò Henricum hunc in ambitione Cathedræ fuisse prælatum magistro Francisco de Roys, quià altius de eo sentiret congregatio, sed vt inuidiæ occasionem omninò de medio olleret: vndè Generalis reformator disposuit & decreuit, quod ille in hoc munere præcederet, qui, etsi esset posterior gradu magisterij, antiquior inueniretur in lectura, & professione.

Sanctus à S. Catharina, religiosus ac posteà Superior Generali congregationis B. Mariæ Fuliensis, edidit *Librum*

Librum exercitiorum spiritualium, consistentem 10. Meditationibus plane diuinis: cum insigni directorio, pro eo qui meditantes dirigit. Qui liber tanto populi applausu exceptus fuit, vt intrà hos paucos annos, quinquies debuerit recudi, bis nimirum Latinè, & ter Gallicè. Nouissima editio fuit an. 1639. Parisijs apud Michaelem Soly.

Edidit & *Libellum 58. graduum humilitatis,* omnibus non solum religiosis necessarium, verum etiam sæcularibus vtilissimum, qui multoties etiam prælum sustinuit, sub diuersis linguis, Flandricè quidem (licet sine nomine authoris) Duaci apud Gerardum Pinchon, ad calcem regulæ Sancti Benedicti; & Antuerpiæ, vnà cum alio quodam libello Ludouici Maeckeblyde, Societatis Iesu: Gallicæ tamen editiones Parisienses postremæ, authoris nomen expressè præferunt.

Libellum item alium, quem inscripsit, *Flammam amoris diuini.* impressum quoque Parisijs, annis 1624. & 1639. & alibi sæpius.

Denique & *Libellum 4. continentem breuem praxim, quâ quis possit se continuò conseruare in præsentia Dei* Gallicè Parisijs, apud Soly, annis memoratis. Intelligo illum & plura alia scripsisse, sed horum notitiam assequi non potui.

Libellus ipsius de gradibus humilitatis in linguam Italicam translatus, prodijt Romæ apud Corbelletum, anno 1651.

Libellus etiam dictus; *Flamma Amoris diuini,* ibidem anno 1629. Obijt Author Romæ, in monasterio S. Bernardi ad Thermas, ann. 1630. fuit plures, Generalis suæ Congregationis, Relatio Patrum Fuliensium Romanorum.

Sauigniacensis Monasterij in Normannia *monachus anonymus*, latè descripsit *Vitam Beati Petri eiusdem Monasterij Prioris sanctissimi*, quæ ibidem manuscripta seruatur, teste Hugone Menardo in Martyrologio monastico, 24. Decembris.

Extant ibidem præclara alia scripta, à monachis loci concinnata, quorum tamen titulos belli furor, locique distantia nobis præripuerunt. Inter hæc tamen est *Historia insignis vitæ B. Guillelmi, illius loci Abbatis*, quem Philippus Seguinus (de Sanctis ordinis, cap. 69.) scribit fuisse, *inter doctores magni nominis, in diuinis scripturis multum eruditum, sæculariumque litterarum non ignarum, &c.* Vtrum tamen aliquid scripserit, ibidem non refert.

Schonaugia (quod pulchram sonat *insulam*) ordinis Cisterciensis monasterium olim celeberrimum, filia fuit Ebirbaci, in Palatinatu Electorali 2. milliaribus Heydelberga distans, in diœcesi Wormatiensi. Huius monasterij *religiosus anonymus scripsit vitam Beatæ Hildegundis virginis,* quæ sexum mentita, & virum se simulans, sub nomine Ioseph, habitum monachi induit, in quo ad mortem vsque incognita perseuerans sancto fine quieuit. Porrò scriptor huius vitæ, in præfatione asserit se virginem nouisse, & cum ea in Schonaugia vixisse. Extat hæc vita in pluribus monasterijs & Gallicè etiam edita à Ioanne d'Assigny, parte 2. de personis sanctitate illustribus ordinis Cisterciensis.

Huic Schonaugiæ monasterio, Henriquez, & plures alij authores, attribuunt Beatam Elizabetham, dictam de Schonaugia, quemadmodum etiam Eckbertum, & Emechum, Abbates Schonaugiæ, sanctitate scriptis claros: sed erroneè, nominum videlicet identitate decepti, & de reliquo locorum ignari, pro vt clarè demonstraui in fundatione Schonaugiæ Cisterciensis, quam per Iongelinum Coloniæ edidi 1640. Tria namque olim fuerunt in Germania eiusdem nominis (id est, *Schonaugia*) monasteria, & quidem sibi inuicem satis vicina. Primum & celeberrimum, monachorum fuit Cisterciensium, idem scilicet de quo iamiam egimus, quod nunc desertum, & pro maiori

parte

parte euersum iacet. 2. & etiamnum inhabitatum, monachorum est ordinis sancti Benedicti, in finibus diœcesis Treuirensis. in sylua Hircinia situm sub iurisdictione Comitum Nassouiensium, quod aliàs etiam vocari solet *S. Florini monasterium* (seu Schonaugia S. Florini) distatque non nisi 5. circiter milliaribus belgicis Ebirbaco: exiguum tamen est, nec ita famosum, in quo, anno 1630 dum Ebirbaci lectorem agerem, 5. solum erant religiosi cum Abbate; inter quos, & Ebirbacenses nostros, magna satis intercedebat familiaritas, quæ causa fuit, quod ipsum monasterium subindè visitauerim. 3. eiusdem nominis monasterium, virginum fuit ordinis item S. Benedicti, monasterio S. Florini iam dicto omninò contiguum, adeò vt non nisi interiacens platea vnum ab alio seiungeret. hoc iam à 50. aut circiter annis (cum multis grauatum esset debitis, & 3. quatuorne solum in eo residerent moniales) assensu Comitis Nassouij, & Episcopi Treuirensis, à monachis vicinis incorporatum, & mox destructum fuit, ita vt nullum ibidem hoc tempore integrum extet ædificium, sed ingentes ruinæ; monialibus ab alia monasteria ablegatis. In hoc autem virginum cœnobio, Beata Elizabeth anno 1140. monialis effecta, Abbatissæ postmodum munus obtinuit; quo tam sanctè ac religiosè functa est, vt multis reuelationibus ac visionibus cælestibus meruerit honorari, quas ad consororum suarum ædificationem, litteris partim ipsa mandauit; partim Rogerius Cisterciensis, de quo suprà, partim denique frater ipsius Elizabethæ germanus, Eckbertus nomine. Qui cum esset canonicus Bonnensis, monitus sororis suæ, in Schonaugia Sancti Florini monachus nec multo post eiusdem loci 2. Abbas effectus, omnia quæ ab alijs scripta fuerant recognouit, quibus plurima de suo addens, amplissimè sororis memoratæ vitam descripsit: quæ anno 1146. ex hac vita migrauit, 14. Kalendas Iulij, sepultaque fuit in choro Monasterij Sancti Florini, non longè ab altari Virginibus omnibus sacro, vbi & frater eius iam sepulturam suam elegerat: attamen reliquiæ eius posteà exhumatæ, in magna lapidea tumba repositæ sunt, in qua anno supradicto 1630. adhuc quiescebant, in sacello quodam vicino monachorum choro, vbi easdem ipse reuerenter conspexi.

Cæterum, vita hæc per Eckbertum conscripta, in dicto Monasterio adhuc studiosè asseruatur, quam eiusdem loci Prior mihi legendam aliquandò concessit, estque in 7 libros diuisa, quorum *priores duo* continent *varias visiones, & reuelationes*, quibus virgo sanctissima Elizabetha diuinitus illustrata fuit, vnà cum expositionibus earundem: 3. *de cælesti Hierusalem* inscribitur: 4. dicitur *Liber viarum Domini*, agens generaliter de omnibus hominibus, quomodò scilicet in singulis statibus viuere debeant: 5. continet *Reuelationes de Sancto exercitu vndecim millium Virginum*: 6. complectitur *varias epistolas*, quas non humana (quià indocta erat) sed diuina inspiratione pronuntiauit, Dei & Sancti Angeli verba loquens: 7. Authoris habet *prolixam epistolam*, ad quasdam cognatas suas, de obitu huius B. Elizabeth, vbi inter alia refertur, bienno antè mortem eius, voces in cælo auditas esse, ex quibus eadem mors certò cognosci potuit. Libris his omnibus subiungitur in eodem volumine, *Officium paruum de Sancta Elizabeth de Schonaugia*, compositum ab Emecho Abbate item Schonaugiæ sancti Florini, viro pio & religioso, de quo sequentes leguntur versus:

Non erit æqualis tibi nunc Schonaugia talis,
Floruerat egregius, requiescat spiritus eius.

Quod autem ad Eckbertum attinet, conscripsit is etiam *Opusculum contra Cattaros hæreticos*. Item aliud *Contra Iudæos de Christo & matre eius*. Quæ omnia

omnia etiam in eodem extant antiquo codice membranaceo.

Hæc omnia hic apponenda duxi, ne quis in posterum labatur in errorem Henriquez, Bernardi Briti, & aliorum de quo supra. Communicaui quoque hæc Auberto Miræo, qui auctario suo de scriptoribus Ecclesiasticis ea inseruit, eatenus à nemine obseruata.

Sebastianus Ardillus, religiosus monasterij Sanctarum Crucium in Hispaniâ, religione & doctrina conspicuus, *Varia scripsit*, perhibente Chrysostomo Henriquez in Phœnice, ex quibus tamen ipse non recenset, nisi *In symbolum fidei, librum vnum.*

Sebastianus de Frias, *natione* Hispanus, professione religiosâ monachus Vallis Paradisi, varias doctas lucubrationes scripto reliquit, luce dignas, ex quibus vulgatæ extant,

Triumphus sanctissimæ Crucis, Liber in 4o. impressus Julio briga, anno 1597.

Vita Sancti Thomæ Cantuariensis, quatuor libris distincta, &c. Henriquez suprà.

Sebastianus Hamaxurgus, *abbas* 28. monasterij Fontis Salutis, vulgò Heilbrun ordinis Cisterciensis, in diœcesi Bambergensi, mediò ferè itinere inter Noribergam & Honoldisbachium: vir præclarè doctus, scripsit

Epitomen stirpis marchionum Brandegurgensium, ad Albertum Marchionem Casimiri filium. Floruit anno 1540.

Notitia Abbatiarum Gasparis Iongelini.

Sebastianus de la Parra, (sic enim scribendum est, non autem, Parias, vti malè scripsit Henriquez in Phænice, & post illũ, nos in 1. editione huius operis monasticen in Caracetensi cœnobio professus, tantum in religiosâ perfectione, & diuersarum scientiarum culturâ profecit, vt Abbatis & Visitatoris generalis ordinis dignitatibus honorari meruerit; quibus etiam cum omnium satisfactione & admiratione perfunctus est. Philosophus fuit acutus, & theologus solidus ac profundus. politiori tamen litteraturæ, & præsertim poësi addictus. Hinc plura scripsit, tam vinctâ, quam solutâ oratione; ex quibus luci commisit sequentia:

Vitam Sanctæ Teresiæ à Iesu, fundatricis Carmelitarum Discalceatarum, impressam in 8. Salmanticæ, anno 1609. & recusam ibidem in 4. anno. 1610.

De laudibus eiusdem Sanctæ virginis hymnos diuersos, excusos Metinæ de Campo, an. 1615.

Officium integrum de eadem Beata Matre, quod iussu Reuerendissimi Episcopi Salmanticensis, Angelus noster Manriquez (nunc Perillustris Pacis Augustæ Episcopus) examinauit, & approbauit.

De laudibus Sancti Ignatij fundatoris Societatis Iesu, carmina varia, & Latina & Hispanica, laureata, & impressa in 4o. anno 1610. Henriquez in Phœnice.

Sebastianus Sortal, *natione* Hybernus, ex oppido Kilkeniâ oriundus, ordinem nostrum professus est in Nucalensi cœnobio apud Hispanos. Vndè ad ordinis collegia missus, raros & eximios in omni scientiarum genere fructus fecit, acumine præsertim adiutus ingenij sui: at poesis delectatus elegantia, eidem præcipuè se applicuit, & quidem tanta felicitate, vt ex melioribus habitus fuerit poëtis, quos vnquam Hispanica nostra congregatio habuerat; in quouis metri genere versatissimus.

Scripsit plurima egregia opera, quæ manuscripta studiosè asseruantur, & à curiosis & peritis magni fiunt. Inter quæ non infimum locum tenent,

Historia institutionis festiuitatis venerabilis Sacramenti, Beatæ Iulianæ Cornelienſi ordinis Cisterciensis diuinitus reuelata, versu hexametro.

Vita beati Candidi Furlongi Hyberni, monachi Nucalensis, carmine heroico.

De laudibus ipsius Candidi, hymni varij, & diuersa erudita epitaphia.

Florebat adhuc anno 1626. Ab aliquibus autem vocatur *Stephanus Sortal.*

Serlo Fontanensis, Vide *Ioannes Serlo.*

Huic Serloni (præter ea quæ suprà recensuimus, verbo, Ioannes Serlo) Bunderius in Indice, lit. S. nu. 25. adscribit, *Opus Sermonum*, quod extare dicit in Rubro claustro, in Brabantiâ. credo tamen ego, esse Serlonis Sauigniacensis, de quo immediatè post. Philippus etiam L'Abbeus, in coronide poëticâ, p. 1. Bibliothecæ nouæ, &c. scribit, se habere *versus quosdam insignes, de instabilitate mundi*, ab hoc Serlone compositos.

B. Serlo Abbas Sauigniacensis in Normannia, qui ipsum monasterium Sauigniacense cum 30. alijs Abbatijs, in generali capitulo Cisterciensi, præsente Beatissimo Papa Eugenio III. per manum Sancti Bernardi, ordini nostro sociauit, & Claræuallensi cœnobio submisit. Ac posteà, eodem anno quo Sanctus Bernardus ex hac vita migrauit, Claram vallem venit, & Abbatis officium deponens, Beato Roberto de Brugis successori Diui Bernardi indiuiduum comitem, & in omnibus officiosissimum se exhibuit; præcipuè tamen in opere Sanctæ prædicationis, ad ædificationem fratrum se exercuit. Quod officium B. Robertus ei imponebat, quia probè sciebat eum exercitatione diuturna, & benignitate gratiosa, ad hoc esse promptissimum.

Repetiuntur sermones eius manuscripti in bibliotheca Alnensis cœnobij. Vbi etiam reperitur eiusdem.

Expositio in orationem Dominicam.

Item, *Liber inscriptus: Dicta Serlonis Abbatis.* Vide de hoc Serlone plura in Menologio Cisterciensi, 10. Septembris quo die ab ordine nostro colitur.

S. Serlo, natione Scotus, Monachus Melrosensis, ac socius S. Adami Episcopi Cathanensis, cum eo etiam à furente plebe combustus fuit, vt supra, vidimus. Scripsit

Vitam Adami Magistri sui, lib. 1.

De decimis. lib. 1.

Contra Vsuras, lib. 1.

Cartam libertatum Scotiæ. lib. 1.

Affectus est Martyrio, dominicâ infra octauam Natiuitatis B. Mariæ, vt loquitur Scotichronicon, lib. 9. cap. 37. annus erat 222.

Demsterus, lib. 17. n. 1055.

Seuerus de Varinis, Placentinus, monachus Sancti Saluatoris de Septimo, & eiusdem monasterij Abbas, in omni scientia versatissimus, eoque nomine, Leoni X. Pontifici in paucis charus, cuius fuit theologus. Humanioribus nihilominus studijs singulariter addictus. Scripsit ad Carolum V. Imperatorem (apud quem etiam magna valebat gratia) *Commentaria in somnium Scipionis.* Item, *alia commentaria in rhetoricam & orationes Ciceronis.* Quæ opera adhuc extant.

Obijt in Germania, circà annum Domini, 1532. Inter alios summos viros, discipulum habuit Gregorium Cortesium, S. R. E. Card. vt ipsemet Cortesius in suis operibus memorat. Scripsit præterea, *De Beatissima Virginis, & Annæ Matris eiusdem, laudibus Odas plurimas, heroicis versibus concinnatas*, quæ extant excusæ inter opera eximia nouorum Poëtarum. Pro hoc Seuero, Apologiam edidit Nicolaus Baccetius, vt suprà vidimus.

Syluester Maruli, aliàs Maurolycus, Messanensis Patritius, ex illustri apud Siculos Marulorum familia ortus, S. Theologiæ Doctor, almi cœnobij Roccæ Amatoris Abbas: qui Philippi II. Hispaniarum & Siciliæ Regis auspicijs, post Europæ prouincias peragratas, Corialis cœnobij (*Escurial*) quod Rex ipse instar miraculi in Hispania erexerat, regiam bibliothecam tre-

centis

centis & amplius voluminibus manuscriptis vndique collectis, illustrauit. Vir omni scientiarum genere instructissimus. Scripsit *libros 5. de initijs & progressibus omnium religionum*: quod opus vocauit, *Mare oceanum*, estque impressum Italicè stylo politissimo, Messinæ, anno 1613. & Philippo III. Hispaniarum Regi dicatum.

Item, *Topographiam sanctorum Christi militum.*

De præcipuis basilicis serenissimæ Reginæ Cælorum dicatis, & Ecclesijs eidem diuino oraculo, & miraculosè erectis.

Librum, de viris illustribus ordinis Carthusiensium.

Librum, de viris illustribus Siculis.

Librum, de Sanctis, claris, & martyrio coronatis in regno Siciliæ.

Catalogum scriptorum ecclesiasticorum,

Librum, qui inscribitur: Lucidarius: continentem 40. quæstiones in materia astrologiæ, & philosophiæ. Hæc omnia ipsemet sic recenset libro 2. Maris Oceani.

Simonis Conuersi Alnensis vita ab anonymo eiusdem monasterij religioso conscripta, extat ibidem M. S. Catalogus librorum manuscriptorum eiusdem loci apud Ant. Sanderum, in biblioth. M. S. Belgicâ.

Simon de Maille, natione Gallus, ex monacho & Abbate cœnobij de Oratorio (*de Loroir*) ordinis Cisterc. Archiepiscopus Turonensis numero centesimus, creatus anno 1560. Vir vt natalibus, ita eruditione, variarumque linguarum peritia illustris:

Transtulit ex Græca in Latinam linguã 24. homilias Sancti Basilij, easq, Carolo Cardinali Lotharingo dedicauit. Prodierunt Parisijs anno 1558. Latinè & Græcè.

Edidit insuper *insignem libellum in 3. partes diuisum, ad populum Turonensem, quarum 1. agit de amore & timore Dei: 2. de oratione: 3. docet methodum orandi.* Parisijs 1574. typis V, l'Huilier.

Bibliotheca Gallica Antonij du Verdier, & Iongelinus in Purpurâ Sancti Bernardi.

Obijt anno 1597. Huic Simoni inscripsit historiam Sancti Gregorij Turonensis, Guillelmus Morellius.

Simon de Thondi, Scotus Monachus Melrosensis, posteà anno 1171. Abbas Coggeshalensis in Angliâ; ac tandem anno 1179. consecratus fuit Episcopus Moraniensis, in Scotiâ. Vir eximiæ eruditionis, sanctæque conuersationis, edidit,

In epistolas Pauli, lib. 6.

De Reformatione Cleri, lib. 1.

De Regia successione Sancti Macolmi. lib. 1.

Obijt anno 1184.

Demsterus ex Scoti-chronico, lib 8. cap. 15. & 16. & Iongelinus, suprà.

Simon de Valle, Ord. Cisterc. scripsit,

Sertum florum moralium. Incipit: Sicut serui in suâ liberatione, &c. Solebat seruari Dunis, teste Bunderio, lit. S. n. 34.

Soccij sermones per anni circulum à quodam egregio, S. theologiæ professore, ordinis Cisterciensis, conuentus in Marienrayd (*Mariæ roda*) propè Hildeshem, conscripsit fuerunt. Hic enim doctor (vt habet præfatio ad dictos sermones) cum esset ingenio clarus, & in scriptura potens, nec non in componendis sermonibus expeditissimus, indignum ducens talentum sibi à Deo præstitum, & infusam gratiam sine fructu perire, sermones quosdam de tempore & de Sanctis per anni circulum composuit. Verum quia humilis erat, ingenito quodam rubore deuictus, eosdem sermones quoad vixit non præsumpsit publicare. Moritur tandem in grandæua ætate, & fratres cellulam eius emundantes, hos ipsos sermones in soccis, seu sotularibus eius absconditos inuenientes, gauisi de tanto thesauro, eos publicauerunt.

Atquia in soccis inuenti sunt, à re gesta, sermonibus nomen indiderunt, & *Sermones Soccios* intitulauerunt; volentes nimirum vt non scripta modo, sed multo magis tantæ humilitatis exemplum omnes audientes instrueret. Prodierunt Argentorati anno 1484. & Dauentriæ in 3. tomis in folio. Sermones verò tales sunt, vt si qui eos sagaci oculo perspexerint, inuenient in eis, membrorum distinctiones pulcherrimas, scripturarum allegationes firmissimas, doctrinarum exhortationes efficacissimas, nedum vtriusque sexus sæcularibus, verum etiam in vita spirituali exercitatis valituras. Incipiunt: *Exurge à mortuis, & illuminabit te Christus*, Ephes. 5.

Extat in bibliotheca nostra de Dunis tomus vnus in folio impressionis Dauentriensis, de Dominicis. Extant etiam M. S. omnes in bibliotheca Canonicorum Regularium Tungris. Porrò quidam putant sermones hos dici *soccios* à succo, & medulla sacræ scripturæ: sed quod diximus, verius est, & expresse habet editio Dauentriensis, ex qua ego hæc ad verbum descripsi. Vide etiam Mantissam ad auctarium Miræi de scriptoribus.

Soccos, monachus Claravallensis, & posteà Abbas Bonæ Cumbæ in Vasconia, scripsit *Doctissimas conciones super Dominicas totius anni*: quæ M. S. seruantur in Claravalle.

Relatio adm. Reuerendi & Eximij Domini Claudij Chalemot, Abbatis de Columba.

Sorani monasterij religiosi, Diœcesis Roschildensis in Dania. olim ordinarij fuerunt annalistæ Regum Daniæ: quorum proindè plures, successiuè, *eiusdem regni historiam per aliquot sæcula fideliter sunt prosecuti.* Vide Ioannem Isacium Pontanum, lib. 5. rerum Danicarum.

Spinæ cœnobium, totius Hispaniæ celeberrimum, sic dictum à Spina coronæ Domini, quæ illic asseruatur, situm est in Palentina Diœcesi, & à Beato Niuardo, fratre Sancti Bernardi iuniore fundatum. *Huius cœnobij monachus anonymus, conscripsit librum miraculorum quæ ibidem Deus Optim. Max. in dies operatur, ad visitationem dictæ Spinæ sacræ.* Citatur à Manriquez, tomo 2. Annalium Cisterciensium, ad annum 1147. cap. 18. num. 8.

Stanislaus Rescius, Polonus, & Abbas Andreouiæ in Polonia, scripsit

Ministromachiam, in qua Euangelicorum magistrorum & ministrorum, de euangelicis magistris & ministris, mutua iudicia, testimonia, conuitia, maledicta, iræ, condemnationes, & omnibus sæculis inaudita anathematismi recensentur. Coloniæ apud Henricum Falkenburg, anno 1592.

Item, *Librum, de atheismis hæreticorum huius sæculi.*

Librum quoque epistolarum, Neapoli excusum, apud Iacobum Carlinum, in qua vrbe mortuus est author, anno 1598.

Vide Posseuinum in Apparatu sacro, & indicem authorum citatorum in commentario Iacobi Tirini, in SS. scripturam, subiunctum tomo 3. eorundem commentariorum.

Scripsit *& vitam Stanislai Hosij, S. R. E. Cardinalis, diuersis libris distinctam.* Citatur in Bibliothecà Scriptorum Societatis Iesu, in elogijs Petri Canisij.

Denique Simon Staranolsius, centuriâ illustrium Poloniæ Scriptorum, anno 1644. Francofurti impressa, testatur illum quoque scripsisse omnia sequentia:

Librum pro defensione Patrum Soc. Iesu.

Item, *alium de eadem materia*, qui intitulatur *Spongia, qua absterguntur conuitia & maledicta Equitis Poloni, contra Iesuitas, Authore Stanislao Rescio.* Cracouiæ, anno 1590. & postmodum recusa anno 1591. Ingolstadij, in officinâ Dauidis Sartorij. Et Neapoli, 1592. typis Iosephi Cacchij,

Paraphr-

Paraphrasim Septem Psalmorum pœnitentialium.
Admonitionem Polonicam.
Sermones de Sacerdotio.
Pia progymnasmata.
Tractatum de Maiestate Sedis Apostolicæ.

Hæc Staranolsius, sed nimis succinctè, quia diuersorum inscriptiones, & materiæ qualitatem non sufficienter expressit.

Librum autem *Epistolarum familiarium*, ipsius Rescij ait quoque fuisse impressum Romæ, anno 1587. in 8. impensis Iacobi Tornerij. Porrò, qualis & quantus Vir fuerit noster Rescius, narrat idem Author, loco citato: *Religiosorum hominum in cœtu, Stanislaus Rescius, pius Abbas familiam ducat. Is Patriâ Posnaniensis à teneris ferè annis, in sinu magni illius Cardinalis Hosij educatus, bonas artes & bonos mores imbibit, illiusque ipsius exemplo ad pietatem informatus, per omne tempus Concilij Tridentini (quo ex omnibus Orbis partibus sarcienda in ecclesiâ Catholicâ concordiæ, præstantissimi quique Theologi, pariter Antistites, à Principibus mittebantur) Secretarij titulo ornatus, in eius familiaritate vixit. De Doctoris Laurea post auctus, in Gallias ad Henricum Valesium Poloniæ Regem renunciatum, legatio Romana obuenit; vt illi nouam dignitatem nomine Cardinalis sui gratularetur fidemque simul, subiectionem, ac salutem deferret. Indè reuersus (Deo ad altiora viam sternente) Sigillatoris officium in tribunali Sacræ Pœnitentiariæ commissum; ac tandem à Rege Stephano in patriam reuocato, Abbatia Sodalium sacrorum Andreouiensium data. Qua auctus, Legatum ad Gregorium 13. & Sixtum 5. Pontifices Maximos, Regis sui ac Reipublicæ nomine, egit. Iterum iussu Serenissimi Sigismundi 3. ad Rempublicam Venetam, Ferdinandum Hetruriæ ducem, in Regno Neapolitano; ac tandem ad Clementem 8. (cui & obedientiam nomine suæ maiestatis fecit) in causa canonizationis Diui Hyacinthi, plurimum laborauit. Cumque acerrimo esset ingenio, & eximia animi magnitudine, inter tot negotia, totque serias occupationes, ad hæresesiclam è Germania & Hungariâ in Poloniam serpentes, reprimendas, cum ingenij neruos, tum actiones omnes contulit.* Hæc ibi. Post quæ recenset scripta ipsius, quæ nos iam suprà recensuimus.

De hoc eodem Viro, taliter cecinit Iacobus Vitellius:

Talis Rescius inter eruditos:
Qualis Roscius vnus in theatro:
Cum solus populi approbationem
Et plausum sibi comparasset omnem,
Tam felix fuit eruditione,
Vt Suadæ meritò medulla dici,
Circulum Sapientiaque possit;
Suauis Rescius in Latinitate.

Obijt Rescius, Neapoli, anno Domini 1598. vt suprà diximus.

S. Stephanus, cognomento Hardingus, nobili apud Anglos familiâ natus, vnus ex præcipuis Cisterciensis reformationis Authoribus, ex Priore 3. Abbas Cisterciensis electus, ann. 1109. Sanctum Bernardum cum 30. socijs de sæculo venientem, habitu ordinis donauit. Quo die *insignem habuit sermonem*, qui extat apud Britum lib. 1. cap. 22.

Primum generale capitulum Cistercij congregauit anno 1116. & anno 1119. constitutiones quasdam pro vnione monasteriorum inter se, promulgauit, quas vocari voluit *Chartam charitatis*: illasque à Calixto Papa II. (ordini Cisterciensi dudum charitate alligato) confirmari fecit. In Concilio Trecensi, anno 1128. doctissimas protulit sententias.

Scripsit insuper (teste Pitsæo) *librum exhortationum priuatarum ad monachos.*

Vita monasticæ ritus & vsus, vulgò, *librum vsum.* Britus quidem & Henriquez hunc librum S. Bernardo tribuunt: at (præter Pitsæum) eiusdem authorem fuisse Stephanum, scribunt Ignatius Firminus in notis ad exordium minus,

Seguinus lib. de scriptoribus, & Posseuinus in apparatu.

Sermonem eius habitum in obitu S. Alberici, refert Manriquez tomo 1. Annalium, ad annum 1109. Qui Author ad ann. 1120. scribit quoque iussu Stephani scriptum esse *Exordium paruum ordinis*, quod impressum extat cum notis Ignatij Firmini.

Denique scripsit *epistolas varias* admirabilis zeli, ex quibus extant duæ inter Epistolas Sancti Bernardi 1. ad Ludouicum Galliæ. Regem: II. ad Honorium Papam. Quanquam non videatur improbabile, has fuisse à Sancto Bernardo dictatas. Notandum autem, hunc eundem esse Stephanum, quem Posseuinus in Apparatu, scribit fuisse Benedictinum congregationis Cluniacensis, & scripsisse *Exhortationes ad monachos*, & librum *de claritate*, seu (rectius) *de charitate*, qui est ille liber quem supra vocauimus, *Chartam charitatis*: extatque pluribus in locis typis expressus, nouissimè Antuerpiæ in officina Plantiniana anno 163 .& anno 1642. Lugduni, tomo 1. Annalium Cisterc. Angeli Manriquez, ad annum 1119.

Cæterum, Stephanus tandem post 13. monasteria per seipsum fundata, & plura per filios, ætate ac laboribus fractus, anno Domini 1133. abbatialem sarcinam resignauit, sequentique anno sancto fine quieuit in Domino, Martyrologio Romano post obitum adscriptus 17. Aprilis. Vitam eius edidit Latinè Chrysostomus Henriquez in Fasciculo Sanctorum, & Gallicè Ioannes d'Assigny, in Conclaui, tomo 1. Quam ego postmodum etiam Flandricè reddidi, & apud me M.S asseruo, cum plurimis alijs viris Sanctorum & Sanctarum ordinis nostri, Flandrico quoque idiomate à me donatis.

Stephanus Guichard, Prior Caduini edidit *Historiam S Sudarij, ibidem asseruati & aliquot alios libellos asceticos*. Relatio Eximij Domini Iosephi Arnolfini, S. Theol. Doctoris Sorbonici, &c.

Stephanus Langthon, natione Anglus, Lutetiæ verò Parisiorum educatus, magni nominis theologus, summusque suæ ætatis philosophus ibidem habitus fuit; quorum intuitu in canonicum S. Mariæ eiusdem vrbis, & Cancellariú Vniuersitatis promotus, in magna Regis & Procerum gratia, complures annos vixit, donec mortuo Huberto Cantuariensi Archiepiscopo, Innocentius Papa III. eruditionis illius fama excitatus, eum in Italiam euocatum, an. 1206. Viterbij Archiepiscopum Cantuariensem consecrauit: summè indignante & aduersante Ioanne Angliæ Rege, qui Ioannem Graium Norvvicensem Episcopum, ad hanc sedem promouere conabatur: in tantum, vt Stephanum Anglia interdixerit. Qui ad Pontigniacense Monasterium secedens, exemplo prædecessoris sui S. Thomæ Cantuariensis (de licentia Summi Pontificis) habitum nostrum Cisterciensem induit (*vt scribunt, Iongelinus in Purpura S. Bernardi inter Cardinales, n. 17. ac posteà iterum, inter Archiepiscopos Angliæ; & Henriquez in Phœnice*:) vbi pluribus litteris ab eodem Pontifice honoratus fuit. Tandem tamen Regi reconciliatus, & in patriam ac sedem suam reuersus pacificè, anno 1212 in 8. creatione, S.R.E. Cardinalis Presbyter Sancti Chrysogoni, ab eodem Innocentio III. creatus fuit: qui Pontifex tanti illum fecit, vt in litteris suis eum vocaret, *Virum famâ, scientia, & doctrinâ pollentem*. Et sanè (teste Pitzæo) nemo scholasticas subtilitates, siue in theologiâ, siue in philosophiâ, clarius illo explicauit, nemo sacræ scripturæ sensum, tam allegoricum, quam moralem, fælicius enodauit. Scripsit innumera planè opuscula; nominatim *Commentaria in omnes veteris testamenti libros, epistolas D. Pauli &c.* quorũ titulos hoc ordine recenset Pitzæus, & ex illo Henriquez in Phœnice.

In Genes-

In Genesim, librum vnum, qui sic incipit: *Tabernaculum primum factum est* &c. M.S. Oxoniæ in Collegio SS. Trinitatis, & Cantabrigiæ in collegio Sancti Petri.

In Exodum, lib. 1. *Ingressu filiorum Israël in terram, &c.* M.S. ibidem. & apud Carmelitas Cabilonenses.

In Leuiticum lib. 1 M.S. ibidem.

In Numeros, lib. 1. M.S. ibidem.

In Deuteronomium, lib. 1. M.S. ibidem.

In Iosue lib. 1. M.S. Cantabrigiæ in collegio Sancti Benedicti, & Sancti Petri. Inc. *Ego visiones quasdam, &c.*

In Lib. Iudicum, lib. 1. M.S. ibidem.

In Ruth. lib. 1. M.S. ibidem.

In Libros Regum, libros 4. Qui sic incipiunt, *Rectoribus ac scientiarum magistru, &c.*

M S. Villarij, & Dunis, bis.

In Paralipomena, libros duos.

In Iob, libros 34. Inc. *Licet cum malis valdè laudabile*, M.S. Oxoniæ in collegio Orialensi, *In Tobiam, lib.* 1. M.S. Oxoniæ in collegio Exoniensi, & Cantabrigiæ in collegijs Sancti Benedicti, & Sancti Petri.

In Iudith, lib. 1. M.S ibidem.

In Ester, lib. 1. M.S. ibidem, & in cœnobio de Dunis in Flandria.

In Esdram, libros duos, M.S. ibidem.

In libros Machabæorum, libros 2. M. S. ibidem.

In Psalterium, lib. 1.

In Prouerbia Salomonis, lib. 1.

In Ecclesiasten, lib. 1. qui sic incipit: *Hoc nomen Ecclesiastes interpretatur*, &c.

In Cantica Canticorum, lib. 1.

In Ecclesiasticum, librum vnum, M.S. Oxoniæ in bibliotheca publica: in collegijs Balliolensi, & Exoniensi: item, Cantabrigiæ in bibliotheca publica. & S. Benedicti.

In Isaiam lib. 1. *Audite cæli, &c.* M.S Cantabrigiæ in collegio S. Benedicti, & Camberonæ in Belgio, vbi pariter habentur *Excerptiones ex libris eiusdem in* 12. *Prophetas minores.*

In Hieremiam, lib. vnum. M.S. Cantabrigiæ, suprà.

In Ezechielem, lib. 1. M.S. ibidem, & in cœnobio nostro de Dunis.

In Danielem, lib. 1. M.S. ibidem.

In Nehemiam, lib. 1. M.S. ibidem.

Tropologiam in 12. *Prophetas minores*, M.S. Oxoniæ in collegijs Orialensi, Exoniensi, & SS. Trinitatis: Cantabrigiæ in bibliotheca publica, & S. Benedicti: item in cœnobio nostro de Dunis, & Tornaci in cœnobio S. Martini.

In Oseam, lib. 1. Inc. *Ossa* 12. *Prophetarum pullulent de loco suo*, &c.

In Ioelem, lib. 1. *Verbum istud, est verbum Patris.*

In Amos, lib. 1. *Amos interpretatur auulsus.*

In Abdiam, lib. 1. *Hæc dicit Dominus ad Edom.*

In Ionam, lib. 1. *Istud & respicit quod conceperat.*

In Micheam, lib. 1. *Micheas interpretatur, humilis.*

In Nahum, lib. 1. *Septuaginta sic habent.*

In Habacuc, lib. 1. *Omne quod vidit Habacuc.*

In Sophoniam, lib. 1. *Sophonias interpretatur Speculator, &c.*

In Aggæum, lib. 1. *Licet Hieronymus.*

In Zachariam. lib. 1. *In mense* 8. *&c.*

In Malachiam, lib. 1. *Priusquam tropologicè.*

Super Epistolas Pauli, libros quatuordecim.

Concordiam vtriusque Testamenti, libros 8.

De vitando consortio, &c.

Annotationes Bibliorum, lib. 1.

Hexameron carmine, lib. 1.

De vera pœnitentia, lib. 1.

Adam vbi es? lib. vnum.

Benedictiones in Monte Ebali, lib. 1.

Maledictionum, lib 1.

Repetitiones Lectionum, lib. 1.

De Similitudinibus, lib. 1. Qui sic incipit: *Nec miles in bello, &c.*

Sermonum sexaginta, lib. 1. *Filia Sion, ecce Rex tuus.* *Quæstio-*

Quæstionum theologicarum, lib.I.

De sacerdotibus Deum nascentibus, lib.I.

Constitutionum Oxoniensium, lib.I. Inc. *Ex authoritate Dei Patris, &c.* Vide Prouinciale Angliæ.

Vitam, passionem, & translationem S. Thomæ Cantuariensis, lib.5. Inc. *Professores artium sæculi, proprios &c.* Cantabrigiæ in collegio sancti Benedicti.

Vitam Richardi Regis, lib.I.

Translationem eiusdem, lib.I. M.S. Romæ in Vaticano, n.722.

De factu Mahumeti, lib.I.

Annalium Archiepiscoporum Cantuariensium, lib.I. Inc. *Res gestæ, &c.* M.S. Cantabrigiæ in collegio Sancti Benedicti.

Constitutiones ecclesiasticas 48. ex quibus sequentes tantum titulos se inuenisse asserit Pitsæus, apud Guillielmum Linvvodum.

De officio Archidiaconi. *Vt Archidiaconi &c.*

De transactionibus. *Cæterum districtius &c.*

De postulando. *Cum per advocatos.*

De vita, & honestate Clericorum.

De cohabitatione Clericorum & mulierum. Vt clericalis ordo, &c.

De institutionibus. *Quia iuxta &c.*

De peculio. *Quia plerique, &c.*

De furtis. *Prohibemus, &c.*

De parochijs. *Et alienis parochianis, &c.*

De purgatione canonica. Cæterum & infrà &c.

De pœnitentijs, & remissionibus. *Quoniam nunquam &c.*

Porrò illud hic non silendum iudicaui, quod Stephanus hic (referente eodem Pitsæo) omnes tum veteris, tum noui testamenti libros, primus omnium in capita distinxerit, eoque ordine distribuerit, quo etiamnum distributi sunt; quod antè illum vix quisquam forte vnquam cogitauit; & post illum nemo in ijs quidpiam mutare præsumpsit. Quo facto quantum lumen attulerit, quantumque sacrarum litterarum studiosis adiumentum suppeditauerit, virorum doctorum esto iudicium. Obijt an. 1228 9. Iulij, apud Mannerium suum de Slyndon in Sussexiâ. Vndè corpus Cantuariam volatum, in capellâ Sancti Michaëlis prope gradus australes, tumulatum est, vbi etiamnum eius monumentum visitur. Vide de hoc Henriquez, & Iongelinum, locis citatis; ac etiã Seguinum in Bibliotheca M.S. vbi hunc quoq; Cisterciensibus scriptoribus adnumerans, asserit illum pleraque ex his recensitis operibus scripsisse, *dum Pontigniaci vitam monasticam ageret.*

Pitsæus tamen lib. de Scriptoribus Angliæ, nullam monachatus huius mentionem facit. Nota. *Imo nec Pontigniacenses illum pro suo agnoscunt, nam Reuerendissimus Loci illius Abbas modernus, in serie scriptorum cænobij Pontigniacensis, quam anno 1647. ad me misit, exactè referens omnes omnino scriptores quorum ibidem aliqua extat memoria, S. Tho. quidem, ac etiam S. Edmundum Cantuarienses Archiepiscopos, cæteris Pontigniacensibus adnumerat, Stephanum verò non agnoscit, quem reuerà non omitteret, nec etiam ignorare posset, si cænobij illius quandoque fuisset filius; vtpotè qui scriptu suu, reliquis omnibus multo celebrior, imò toto orbe clarissimus existit. Hinc non nisi in fide Authorum memoratorum, Seguini, Iongelini & Henriquez, eundem inter ordinis nostri scriptores collocaui, donec certius aliquid habeam.*

Stephanus Sortal, Vide *Sebastianus Sortal.*

Strata Florida, cœnobium est Cambriæ, seu Walliæ, *cuius religiosi* (dum res catholicorum ibidem starent) per aliquot sæcula *Annalistæ fuerunt ordinarij illius prouinciæ, studiosè imprimis annotantes nobilium genealogias, natiuitates, connubia*, &c. Reuerendissimus Gaspar Iongelinus Eusserthalensis in Germaniâ Abbas, in suis Originibus cœnobiorum ordinis.

T.

THeodorus Angermondt, religiosus Veteris montis, scripsit *Insigne opus concionum Dominicalium*, quod adhuc extat in Veteri monte, M S Relatio Reuerendissimi Ioannis Blanckenberg, eiusdem loci Abbatis S.Theol.Doctoris, &c.

Theodorus Pybes de Adama, religiosus B.Mariæ de Dunis, S.Theol Doctor Romanus, Ruremundæ in Geldria, Patritiâ natus Familiâ; absolutis in Patriâ humanioribus, & Louanij philosophicis studijs, Romá profectus est, vbi collegij Germanici alumnis adscriptus & per septennium commoratus, ingenij sui talentum taliter exposuit, vt doctorali S.Theologiæ laureâ meruerit decorari. Hinc in patriam reuersus, Canonicis Regularibus in cœnobio de Sonnebecâ, diœcesis Iprensis (vbi fratrem suum Germanum religiosum habebat, per annos aliquot theologiam prælegit. Posteà à Reuerendissimo Iprensium Episcopo Duynkercanæ ciuitatis pastoratu honoratus, eundem insigni cum vigilantia aliquamdiu administrauit. At tandem religiosæ vitæ desiderio tactus, ordinem Cistercienlem in cœnobio de Dunis professus est. Vndè anno 1629. ob sapientiæ doctrinam, vitæque meritum, à Catholica Regia Maiestate, ad prælaturam Prioratus VVaerschotani, in diœcesi Gandensi, promotus fuit. Scripsit Dunis adhuc existens, libellum insignem,

De admiranda pariter & miraculosa prima & secunda inuentione corporis Beati Idesbaldi, 3. Abbatis de Dunis, à recepto ibidem Cistercienfi habitu. Impressum Brugis apud Guillielmum de Neue, anno 1624. in 4o. Scripsit & alium elegantē libellum,

De prærogatiuis & laudibus B. Virginis, qui Dunis seruatur manuscriptus.

Extant & in cœnobio præfato de Sonnebecâ, *diuersa theologica scripta*, quæ ibidem religiosis prælegit. Obijt Dunis, in monasterio professionis suæ, anno 1632. 5. Nouembris, ibidemque sepultus iacet.

Porrò, præcipua quæ ante Religionis ingressum scripsit, sunt sequentia: *Tractatus insignis de Immaculatâ Conceptione Beatæ Virginis.*

Succincta, sed clara, & neruosa Commentaria, in 1. partem Diui Thomæ, de Deo & Angelis.

Item *in 2.am 2.æ, de Fide, Spe, & Charitate, & de Iustitia & Iure.*

In 3. partem, de Incarnatione, & de Pænitentiâ.

Denique, *Elucidationes multorum textuum Iuris Canonici.*

Seruantur hæc omnia in Bibliotheca nostrâ Dunensi, propria Authoris manu nitidissimè conscripta.

Cæterum, quià apud Historicos Ordinis nostri, nulla, vel tenuissima extat memoria Prioratus VVaerschotani, operæ precium duxi, hic recensere exactam historiam fundationis ipsius, cum serie omnium Priorum, quam ex certissimis monumentis eiusdem cænobij collegi, mihi humanissimè communicatis ab ipsius loci Priore, anno 1646.

Fundatio Prioratus VVaerschotani, Ord. Cisterciensis in Flandria, Diœc. Gandensis.

Prioratus VVaerschotanus (olim Tornacensis, nunc Gandensis Diœcesis) exordium & fundationem suam debet, Honorabili Viro Simoni Vtenhoue, Gandensi, confirmationem verò Abbati Dunensi. Cum enim dictus Simon motus deuotione piâ ad ipsum Ordinem nostrum, vt particeps fieri posset omnium bonorum operum quæ in toto Ordine vsque in æuum peragerentur, & nedum sibi, verum etiam suis in præsenti prospiceret ac futuro, locum præfati Ordinis nostri, quo septem Religiosi sub eiusdem Ordinis regularibus exordijs, statutisque salubribus degerent, fundare decreuisset, Reuerendissimum in Christo Patrem Dominum Cisterciensem Abbatem (vt meritò de-

cebat) de huius piæ voluntatis suæ admissione requisiuit; qui cum, partim ob loci distantiam, partim etiam ob innumerabiles alias curas vrgentiores, discussioni huius negotij minimè vacare posset, solatij & leuaminis gratiâ, idē onus Abbati Villariensi imposuit, per patentem commissionem, super inquisitione de cunctis ad talem locum requisitis. Verum, dum quodam præpeditionis obstaculo, protractum fuisset in moram, bono semper proposito inuidens omnis malitiæ Princeps, pro organo, aut instrumento suo, sinistro quodam Informatore in contrarium operis inchoati vsus est, adeò vt idē Reuerend. in Christo Pater, D. Cisterciensis, super veritate, inquirenda de punctis quorum contrariam informationem habuerat, per patentem suam commissionem, secundariò, Reuerendum in Christo Patrem, Dominū Abbatem de Dunis delegauerit, cum potestate intextâ, quod si locum ineptum, & alia de quibus ex obliquo extiterat informatus, veridica reperirer, omnes Personas inibi congregatas ad propria remitteret, omnia cassaret, & annullaret, commissionemque desuper Abbati de Villari datā, reuocaret. Et quia ipse Dominus Abbas de Dunis visitato personaliter loco noui monasterij seu Prioratus, cuncta reperit quæ suggesta fuerant, friuola & vana, imò, locū aptum & congruum, tam in situatione, quam ædificiorum dispositione, Oratorium, dormitorium, & Refectorium, usui saltē satis congrua; de ligneâ insuper fabricâ, claustri seu ambitus, in proxima dispositione ad erigendum præparata, de libris Calicibus, ornamentis, campanis, necnon de temporalibus bonis, pro septē Personis spiritualibus cultibus mancipandis, iuxta voluntariæ votum paupertatis (ab Ordinis nostri cunctis Personis Regularibus amplectendum) sufficienter prouisum: Litteras etiam Illustrissimi Principis, Ducis nostri Burgundiæ, Brabantiæ, & in ea parte Comitis Flandriæ, de facultatibus, hæreditatibus, bonisq; temporalibus huic nouo monasterio, seu Prioratui per prædictum Simonem collatis, perpetuā amortizationem continentes; sed & litteras Diœcesani, & Plebani Parochiæ de Waerschot, fundationi huic ipsos præbuisse consensum, vidit & legit, prout ipsi Reuerendissimo Domino Cisterciensi Idem Reuerendus Pater Dominus Abbas de Dunis per litteras suas patefecit; quibus ille fidem indubiam adhibens, ipsius sæpè dicti noui monasterij seu Prioratus fundationē (cui & *Curiam Dominæ nostræ propè VVaerschot* nomen imposuit) in plenaria potestate Capituli generalis quâ fungitur, ratam & gratā habens, per omnia & in omnibus approbauit & confirmauit, ipsumq; Prioratum cum omnibus bonis suis præsentibus & futuris, Ordini nostro Cisterciensi, in nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, incorporauit, & vniuit, an. à partu Virgineo 1446. (*quo ad hunc annum fundationis, concordat expressa historia Campensis Authore Ioanne Ditmaro, Cluensi, in Henrico Niphusio, 25. Abbate, Et Miraeus, in Chronico Cisterc. fol. 282.*) Vocati autē fuerunt ad dictum locum incolendū primi Religiosi ex Prioratu Waermundano, quibus cum titulo Prioris, præfectus fuit quidam Noua Iudocus, professus in Donca (Prioratu alio haud longè ab Heusden constructo). Porrò, cum an. 1449. cōtentio orta esset de iure Paternitatis eiusdem VVaerschotani Cœnobij, cui scilicet illud competeret, Ioannes Abbas Cisterciensis idem VVaermundanis adiudicauit, datis super hoc patentibus suis, ad Priorem VVaermundanum, in hunc modum.

Nos, Flor. Ioannes Abbas Cistercij, dilecto nobis in Christo Priori de VVaeremunda, salutem: Cum à nobis quod iustum est petitur, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, vt id per solicitudinem officij nostri ad debitum perducatur effectum, nostrique Ordinis, tam Papalia

Papalia quam regularia instituta velint & discernant, Ius Paternitatis alicuius monasterij, seu conuentualis loci in ipso Ordine iam recenter fundati, ad eam domum seu monasterium, vel conuentualem locum pertinere, à qua primordiales Religiosi dicti noui monasterij, seu conuentualis loci dignoscuntur processisse, fuerimusque fide dignorum relatibus informati, Religiosos Prioratus de VVaerschot (per honorabilem Virum Simonem Vtenhoue diuina inspirante gratia recenter fundati, ab ipso Prioratu de VVaeremunda emanasse; hinc est, quod praelibatis, alijsque in parte considerandis, pensatis, iustis petitionibus beneuolo concurrente assensu, intuituque ac contemplatione Illustrissimi Principis, Domini Ducis Burgundiae, in cuius Dominio praedictus Prioratus dignoscitur fundatus, breui praesentium serie, tibi, tuisque Successoribus canonice intrantibus, praedictum ius Paternitatis pertinere, dignum duximus declarandum, tenoreque praesentium insinuamus & declaramus, tam nostra, quā ipsius nostri Ordinis plenaria potestate: illud etiam tibi, tuisque Successoribus quantum in nobis est, plenarie conferendo, praeeminentia superioritatisque Ecclesiae nostrae Cistercij, totius Ordinis matris, & capitis, caeterisque Ordinis nostri tam Papalibus quam regularibus institutis, semper in omnibus saluis, omnibusque & singulis memorati Ordinis, praesentibus & futuris Regularibus Personis, firmiter dantes in mandatis, quatenus praedicto iure Paternitatis dicti Prioratus, te, tuosque Successores pacifice vti, & gaudere permittant. Datum Cistercij, sub appensione sigilli nostri, die vigesima mensis Septembris, anni 1449.

Porrò, fundatione hac monasterij ritè perfecta, & confirmata, omnibusque ad sustentationem Religiosorū necessarijs decenter & ordinatè dispositis, Nobilis Dominus, loci fundator, Dominus Simon Vtenhoue, Philippi Ducis Burgundiae Obsoniator, saeculo valedicens, habitum Conuersorum, seu fratrum laicorum, ibidem induit, in quo reliquum vitae humillimè peregit, tandemq; felici fine consummatus est, anno 1462. 7. Martij, sepultus in templo à se fundato. Vidi ego, anno 1644. 17. Aprilis, dum praesens monasterij ruinas contemplarer, lapidem sepulchralem dicti Domini Simonis, à Domino Iudoco du Corron tum ibidem Priore, posteà verò Dunensi Abbate, ex ruderibus templi erutum, & in nouo à se erecto Sacello collocatum, referentemque figuram cuiusdam Conuersi Ordinis nostri (in habitu quo in templo vti solent) cum hac inscriptione: *Hier light begraeuen Simoen Vtenhouen Fundateur ende Conuers-broeder, van onse liue Vrauvven houe, die ouerleedt int iaer 1462, den 7. dagh van Maerte, Bidt ouer de ziele.* Refert idem lapis etiam fundatoris ipsius insignia gentilitia, scutū scilicet respersum pluribus lilijs, quae antiqua sunt insignia familiae de Vtenhoue cognomento, Leheaert, ad distinctionem alterius familiae eiusdem nominis, alijs vtentis insignibus. Caeterum Domino Simone habitum Religionis assumente, vxor eius Domina Margareta Busers, ad Bilocanum secessit monasterium monialium, Gadaui, vbi piè & religiosè vixit, vsque ad annum 1480. quo obijt, & sepulta fuit in hospitali eiusdem coenobij.

Series Priorum Coenobij Waerschotani.

I.us D. Iuocus I.us Prior huius monasterij, assumptus ex Prioratu B. Mariae supra Dunckam, anno virginei partus, 1447. Obijt anno 1451.

2. D. Theodoricus de Ganda, qui praefuit annis 2.
3. D. Arnoldus Gheervliet praefuit annis 4.
4. Guillielmus Regnerij, rexit annis 5. Obijt 1462.
5. D. Nicolaus de Grutere, rexit annis 8. Obijt 1470.
6. D. Guillielmus Sal, praefuit annis 5.

7. D. Gerardus Hasaert, præfuit annis 3.
8. D. Ægydius van Vbestvoorde, præfuit annis 2. Obijt 1480.
9. Arnoldus Herentals, rexit annis 3.
10. D. Balduinus ——— ——— annis 3.
11. D. Nicolaus Cattevvych, gubernauit annis 2. Obijt 1488.
12. D. Arnoldus Galloch, vno duntaxat præfuit anno.
13. D Henricus Variaerts, præfuit annis 15. Obijt 1504.
14. D. Ioannes Feruier, præfuit annis 17. Obijt 1521.
15. Oliuerius de Vos, præfuit annis decem.
16. Ioannes Faber, præfuit solum 3. mensibus. Obijt 1531.
17. D. Iacobus Draeyere, rexit annis 10. post quos, creatus est Abbas de Bandeloo.
18. D. Franciscus VVitte, Religiosus de Bandeloo, anno 1542. Iacobo substitutus, gubernauit annis 5.
19. D. Ioannes vanden Nieulande 19. loco Prior designatus, dignitatem illam resignauit D. Ioanni Heuvilghem, quam hic (morte præuentus) non nisi 3. mensibus administrauit. Quo mortuo,
20. Rursum in Priorem assumptus fuit, idem D. Ioannes vanden Nieulande, Iubilarius Ordinis, qui per 13 adhuc annos dignitate illa functus, obijt anno 1561.
21. Ioanni successit, D. Andreas Quoymans, Religiosus de Bandeloo, fuitq; Prior annis vndecim.
22. Anno 1572. in Priorem electus D. Philippus Sterchæ, idē munus per annos quindecim strenuè exercuit tandemque anno 1587. obijt Gandaui, monasterio suo iam ab hæreticis destructo.
23. Mortuo Domino Philippo, vastatoque monasterio, vacauit quoque Prioratus dignitas annis 8. authoritate tamen Regia, domus administratio demandata fuit Domino Abbati Bandeloënsi, D. Iacobo Delrio, ad cuius petitionem posteà anno 1595. (eadem authoritate Regia) Prioratus dignitate honoratus fuit Dominus Guillielmus de Castillo, Bandeloënsis Prior, qui cum 24. annis VVaerschotanum egisset Priorem, in Abbatem Bandeloënsem electus fuit anno 1619.
24. Vigesimo quarto loco Prioratui VVaerschotano præfectus fuit, D. Philippus Booné, Religiosus de Bandeloo, quem cum obtinuisset annis 3. electus fuit Prior Sancti Saluatoris Antuerpiæ (vulgo, Petri Pots) Successorem relinquens,
25. Dominum Iacobum vander Behe, Subpriorem de Bandeloo, qui in eadem dignitate vixit annis 7.
26. Mortuo Domino Iacobo, ad Prioratus dignitatem assumptus fuit, anno 1629. Dominus Theodorus Pibes, de Adama. Ruremundanus, Religiosus Dunensis, S. Theologiæ Doctor Romanus, de quo iam suprà egimus. Installatus hic fuit eodem anno, decimâ Februarij in monasterio nostro Dunensi, per Rev. Adm. Dominū Abbatem nostrum Bernardū Campmans, ex commissione Abbatis Campensis, tanquam Patris Abbatis monasterij de VVaeremunda. cuius filia (vt iam diximus) est, cœnobium VVaerschotanum. (Subsequentes tamen duo Priores, relicto Abbate Veteris Campi, confirmationem suam petierunt à Vicario generali Belgij, cuius authoritate fuerunt installati). Porrò, Dominus Theodorus diuersis corporis afflictus infirmitatibus, in domo Professionis suæ defunctus est, anno Prioratus sui 4. id est, 1632. 5. Nouem. vt supra etiam diximus.
27. Domino Theodoro suffectus fuit R. Dominus Iudocus du Corron, Religiosus item & Prior Monasterij nostri de Dunis, installatus in eo-

in eodem Dunensi Monasterio, 9. Maij, anni 1643 Qui statim initio Regiminis sui cernens Cænobium Waerschotanum hæreticorum furore olim destructum, adhuc ruderibus immersum iacere, nullumque à pluribus annis superfuisse Religiosum, qui diuinorum celebratione, piæ Fundatoris intentioni satisfaceret, inter ipsa rudera Sacellus quoddam construxit, euocatoque secum ex Dunensi monasterio, Religioso quodam Sacerdote, diuina ibidem celebrare cæpit. paulatim omnia monasterij loca regularia instauraturus; nisi Hollandicâ persecutione indè mox deturbatus fuisset. Hinc Gandauum se conferens, in domo Refugij sui aliud Sacellum erexit, assumptisque ad Religionis habitum alijs duobus, omnia prorsus diuina officia multorum annorum postliminio, monasterio suo restituit. His, alijsque monasterij sui protectibus dum Vir prudens intendit, mortuo Reuerendissimo Domino Bernardo Campmans, Dunensium Abbate, à Regiâ Catholicâ Maiestate eidem Successor nominatus fuit, anno 1644. 16. Februarij, cui, anno sequenti, 1645. in Prioratu Waerschotano.

28. Subrogatus fuit D. Ioannes Waetervliet, Religiosus item Monasterij Dunensis, natione Gandensis, qui hoc anno 1655. adhuc superest, Gandaui in Refugio suo degens vnà cum tribus Cænobij sui Religiosis, pacatiora expectans tempora, quibus, vel ibi, vel alibi monasterium ædificet.

Theodorus Prior monasterij B. M. de Charitate, in Gallia, *Ascetica quadam scripsisse perhibetur*, ex quibus tamen non vidi, nisi insignem quandam epistolam, quæ typis expressa legitur inter epistolas Petri Venerabilis, lib. 2. epist. 5.

S. Thomas Cantuariensis, cognomento Beketus, patre Gilberto, matre Mathilde Syra, Londini in Anglia natus, vir ingenio & doctrina clarissimus, Iuris Canonici Doctor Oxoniensis, ab Henrico II. Angliæ Rege totius Regni Cancellarius constitutus, paulo post, Theobaldo defuncto anno 1162. Archiepiscopus Cantuariensis est electus: Sed orta intereum & Regem, ob ecclesiasticam libertatem, dissensione, patria & sede pulsu, exul in Galliam petrexerit, vbi in Pontigniacensi cœnobio, habitum ordinis nostri (ab ipso Summo Pontifice benedictum, sibique transmissum) induit, quo indutus, *perseuerauit monachus inter monachos, numeros omnes perfectionis monasticæ implens*, vt loquitur author historiæ quadripartitæ vitæ ipsius S. Præsulis, eidem contemporaneus. Quæ historia asseruatur M. S. Romæ in Vaticano, teste Baronio. Regi tandem reconciliatus, in Angliam rediens, non multo post tempore, martyrio coronatur, 29. Decembris, anno 1171. vt ex eius epitaphio colligitur, quod tale est:

Annus millenus, centenus, septuagenus
Primus erat, Primas quo ruit ense Thomas:
Quinta dies natalis, erat flos orbis ab orbe
Pellitur, & fructus incipit esse poli.

Ex scriptis refert sequentia Pitsæus:

Processus eius integer, ab ipso descriptus ad Alexandrum Papam III.

Apologia ad Gilbertum Episcopum Londinensem, quæ sic incipit: *Myrandum, & vehementer stupendum, &c.*

Ad Coepiscopos suos, liber vnus. Inc. *Fraternitati scriptum hoc*, &c.

Elegans encomium rythmicum, de septem gaudijs B. Virginis, quod operi suo de Marianis Antistitibus inseruit Hippolitus Maraccius, vt ipsemet testatur. Incipit autē sic: *Gaude flore Virginali*, &c.

Epistolarum 722. libris 5. asseruantur Romæ in Vaticano, Cantabrigiæ in collegio S. Benedicti, & Oxoniæ in bibliotheca publica. De his epistolis vide Rogerum Croylandensem, in vita ipsius S. Thomæ. Atque hæc ex Pitsæo. Præter quæ referunt Pontigniacenses, extare in biblio-

theca, doctissimam quandam *Epistolam eiusdem Sancti, ad Clerum & Canonicos Senonenses.*

Seruatur & alia epistola in Valle Lucenti, ad Clerum Angliæ.

Nota; tametsi Pitsæus hunc Sanctum virum ordini nostro non adtribuat, omnes tamē scriptores ordinis eiusdem constanter illum suis adcensent, etiam ipsi Pontigniacenses (apud quos habitum induit, & per annos aliquot vixit) in relatione suâ ad me missâ, anno 1647. Videatur etiam de hoc Manriquez, tomo 2. Annalium Cistercienfium, per annos plures, & Harpsfeldium in historiâ Ecclesiasticâ Angelicanâ, centuriâ 12. cap. 16. fol. 353.

Thomas ex Capitaneis de Celiomontibus, natione Gallus, S. Theol. Doctor eximius, & diuini sermonis declamator celebris, atque in rebus agēdis strenuus, monasterij B. Mariæ de Pietate Rainteri Abbas celeberrimus, claruit cum summâ nominis sui commendatione, circa annum 1470. Is cum oratoris munere apud Ludouicū vndecimum, Christianissimum Francorum Regem, fungeretur, ab eodem ad Sixtum IV Pontificem delegatus, in festo omnium Sanctorum, coram prædicto Sanctissimo Patre, & Cardinalium conuentu, in sacello sacri Palatij, anno Domini 1471. *Orationem perelegantem habuit*, sub hoc themate: *Merces vestra copiosa est in cœlis.* Quæ oratio statim Parisijs excusa fuit. *Fertur & alia opuscula scripsisse, & in lucem emisisse*; quorum tamen notitia ad nos non peruenit. Philippus Seguinus in bibliothecâ M. S.

Thomas Cisterciensis monachus, eloquentiam sanctissimi Patris Bernardi, & eiusdem in colligendis diuinæ scripturæ floribus, diligentiam affectans, scripsit ad Pontium Claromontensem Episcopum, *Commentariorum in Canticum Salomonis libros* 12. quorum methodum ipse in præfatione operis, in hunc modum expressit: Ego cum Ruth Moabitide, post Originem & alios præfatos messores, Gregorium, Bedam, Bernardum, spicas, id est, sententias paleā litteræ inuolutas satago colligere. Verum, singulos versiculos ab integumento paleæ absoluto breui & compendiosā expositione: deindè enodatam sententiam multiformi disponens distinctione, postmodum quasi apis argumentosa percurrens flosculos scripturarum, quæ exposita sunt & distincta, eorum roboro attestatione. Operis initium est: *Vehementer obstupesco, & vltra quam dici potest, admirari non desino, &c.* Prodijt Parisijs typis Ascensij, annō 1521. Lugduni iterum anno 1571. & alibi sæpius. Vide Sixtum Senensem in bibliothecâ sacrâ, Seguinum supra, & alios apud illum. Scripsit Thomas circa annum 1200. Extat hoc opus in Cantica, M S in pergameno, in monasterio Parcensi ordinis Præmonstratensis iuxta Louanium; item in Alneto, Normanniæ cœnobio. Lego etiam in serie scriptorum Morimundensium, ibidem asseruari quædam commentaria in Cantica, scripta per fratrem Thomam de Perseniâ. Verum vtrum hic idem sit cum nostro Thomâ Cisterciensi, me latet. Vidi Commentaria hæc Thomæ nostri 12. lib. distincta, impressa anno 1521. per Badium, qui illa dedicauit Edmundo Abbati Claræuallis addens se putare, fuisse Monachum Claræuallensem (quod tamen nulla solida ratione ostendit) Impressa sunt vnà cum commentarijs Ioannis Algrini, de Abbatisvillâ, Decani Ambianensis, Cardinalis Sabinensis, qui scripsit anno 1233. tempore Gregorij Papæ 9. *Exponit autem Thomas, Cantica, de Christo & Ecclesia.* Initium est: *Osculetur me*, &c. *Hæc vox Synagogæ est* &c. Algrinus verò ea exponit, de Christo & B. Virgine, sed valdè breuiter. Incipit: in principio igitur huius Cantici, Mater loquens introducitur. &c.

Thomas Colyngbamus, Monachus Cisterciensis, Parisijs doctoratus Lauream, antequam Mona-

Monachum induisset, assecutus,

Commentarij Sorbonici de Eucharistia, eius est opus serium & graue. M.S. in Bibliothecâ S. Victoris, & excusum olim Lutetiæ, per Ioannem Cheyneum. Viuebat anno 1387.

Demsterus, n. 326.

Thomas Abbas Dundranensis, seu, *de Dundreina*, in Scotia (vt inquit Demochares, pag. 5.) In Concilio Constantiensi vnus fuit ex sex SS. Theologiæ doctoribus, qui illustrissimis Cardinalibus coniuncti, Apostolicæ Sedi caput, Romanum Pontificem elegerunt. Onuphrius Panuinus, qui malè illum vocat, de Dondruno. De eo sic Ioannes Gualterius, in Chronico chronicorum, pag. 505. Et rursum pag. 50? vbi illum asserit Abbatem Cisterciensem, sub Candidâ casâ. Scripsit, *De Schismate deponendo, lib.* 1.

De Pontifice eligendo, lib. 1.

Acta Concilij Constantiensis. Viuebat ann. 1419. sub Eugenio 4. Ex Bibliothecâ Pontificiâ Ludouici Iacob à Sancto Carolo, Carmelitæ, nuper Lugduni editâ, anno 1643.

Thomas Frigidi Montis, in Beluacensi Diœcesi religiosus, vir vario scientiarum genere illustris, natione fuit Anglus, antè religionis ingressum Sancto Thomæ Cantuariensi multùm charus, & in omnibus tribulationibus & aduersitatibus comes indiuiduus. Cum autem ipse sanctissimus Præsul, habitum ordinis nostri Pontigniaci assumpturus, vniuersum comitatum suum dimisisset, Thomas hic ad monasterium Frigidi Montis deueniens, Archiepiscopi & Magistri sui exemplo motus, habitum religionis ibidem petijt & obtinuit. Fuit Patriâ Beuerlacensis haud procul ab Himbro flumine, Hulnone Patre, & Sibillâ matre genitus. Sororem habuit, Margaretam, vulgo cognominatam Hierosolymitanam, tum, quia Hierosolymæ nata fuit, dum Mater deuotionis gratiâ ibidem uersaretur; tum etiam, quia in Angliam reportata, posteà adhuc tertiò, pedes, eò profecta est, vt plures scribunt. Illam autem Hierosolymæ natam fuisse, habetur expresse in vitâ ipsius (per Fratrem conscriptâ, hisce verbis, quibus Author introducit Virginem loquentem:

Mox vt concipior, Anglorum gente relicta,
Ierusalem tendit sanctus vterque parens.
Hu onerosa comes, materno deferor aluo,
Post menses aliquot, Vrbs sacra fuit iter;
Et dum vota Pater pia soluit, nascor ibidem. &c.

Porrò Thomam fuisse Monachum in Frigido monte, & non in Fonte frigido (vt Henriquez in Phænice, & alij quidam scripserunt) ex eadem etiam vitâ constat, vbi Margareta Ierosolymis reuersa, & Fratrem quærens, sic loquitur:

Vnica spes superest, germanum quærere Fratrem,
Audio iam Monachum; Francia, te repeto.

Et post pauca:

Belluacum veniens, vbinam sit sciscitor: indè
Monstratur Fresmons, quo manet ille locus.

Item, post finem totius operis: *Explicat liber Domini Thomæ Monachi de Fresmont, de Periculis, & peregrinatione Margaritæ Sororis suæ, tandem in Monasteriolo Laudunensis Diœcesis, Ordinis Cisterc. feliciter consummata.* Vide Manriquez tom. 3. Annal. Cisterc. ad ann. 1192. cap. 3. num. 3. & 4. Itaque scripsit Thomas noster, *Vitam, virtutesque eximias Sororis suæ Margaretæ Ierosolimitanæ, Monialis Cisterciensis, prosâ & carmine, doctè & venustè.*

Extat hæc vita M.S. In Monasterio de Fitero, in Nauarrâ, in monasterio Nucalensi, & in Claravalle, quam etiam angelus Manrique (ex codice, vt ait, Claræuallensi, pro magnâ parte inseruit Annalibus suis, suprà, partim ad annum 1187. cap. 8. partim annis aliquot sequentibus.

Scripsit prætereà, *Tractatum aliquem de contemptu mundi, ad memoratam Sororem suam*, qui M.S. as-

M.S. asseruatur etiam in Clarâvalle, teste Barnabâ de Montalbo.

Floruit Thomas circà annum 1170. tandemque, sanctissimo vitæ tramite absoluto, repositam abijt ad sanctorum laborum mercedem, vt loquitur Andreas du Saussay, in additionibus ad Martyrologium gallicanum, vltima Decembris. Quo die illum etiam Menologio suo adscripsit Henriquez, Sororem verò eius Margaretam, 28. eiusdem mensis.

Thomas Monzabal, vel Murzabal, Ferrariensis monasterij in Hispania religiosus, eiusdemque postmodum (ob vitæ meritum, & illustria sapientiæ & prudentiæ indicia) Abbas, scripsit insigne & eruditum quoddam opus, quod inscripsit: *Imaginem hominis felicis*, impressum Pampilonæ, in 4° apud Carolum Labayum, anno 1618. in quo opere Author graphicè demonstrat, in quo sit vera hominis felicitas, in hac vita. Henriquez in Phœnice. Scriptum est autem hoc opus lingua Hispanica.

Thomas de Persenia, scripsit *Opus singulare, decem libris digestum, de præparatione cordis*: quod prælo committens, dedicauit Roberto Rothomagensi Archiepiscopo. Scribunt etiam Morimundenses (in serie scriptorum suorum ad me missa) extare in Bibliotheca sua *Expositiones quasdam M. S. in Cantica Canticorum*, editas à Fratre Thoma de Persenia. Hinc suspicor hunc *Thomam de Persenia*, esse eundem cum *Thoma Cisterciensi*, quem supra diximus publicasse commentaria in Cantica Canticorum. Floruit Thomas de Persenia, anno 1211. vt refert Eximius & Reuerendus D. Chalemot Abbas de Columbâ, in serie scriptorum ad me missa 1647.

Thomas Rodelius, Igniacensis monachus, scripsit *Vitam B. Petri Monoculi*, *Abbatis Claravallensis*, præmisso iuramento, quod non nisi vera & certa scriberet. Publicauit hanc vitam Henriquez in Fasciculo.

Thomas Rubertius, cum Beato Walleno (Walthenum vocat Demsterus) Religionem ingressus, indiuiduus & comes ad finem vsque vitæ adhæsit. Scoti chronicon, & Continuator Iordani. Scripsit,

Decreta Synodalia lib. 1.

De Vita Sancti Waltheni. lib. 1.

De Miraculis eiusdem. lib. 1.

Floruit anno 1151. Demsterus, n. 1087.

Thomas Sandalius, Monachum Cisterciensem induit in Kentire, magnaque vitæ austeritate & continentia, celebratissimi illius cœnobij quod Sandal, seu, Sandalium dicitur, Abbas creatus, ita se gessit, vt neque doctiorem, neque moribus sanctiorem ætas illa tulerit. Eius multa opera extabant in Bibliothecâ Sanct-Andreanâ, vt ex indice apparet inter quæ fuerunt,

Super Magistrum Sententiarum determinationes Scholasticæ Libri 4.

De Baptismo, lib. 1. Inc. *Suscipio libens.* &c.

Quæstiones controuersiæ, lib. 1.

Viuebat anno 1257. Demsterus, n. 1068.

Thomas, religiosus B. Mariæ de Valcellis in Cameracesio scripsit

Expositionem super Cantica Canticorum. Quæ manuscripta seruatur in Sancto Amando. Sanderus in Elencho codicum M.S. Sancti Amandi, Ord. Sancti Benedicti solebat etiam seruari, Villarij, Camberonæ, in Rubro claustro, & apud Prædicatores Antuerpiæ, Coloniæ, Gandaui. Incipit autem sic: *Tria sunt Epithalamia.* Bunderius lit. T. n. 74.

Tharaldus, vel (vt alij) Thoratus, Anglus, cœnobij Rievallensis Religiosus, vir omni politiore doctrina apprimè eruditus, prudens in consultandis, felix in gerendis dexter, in excipiendis difficilioribus quibusque negotijs. Quo factum est, vt Mauritius Abbas Fontanensis, illi, vtpotè homini (vt loquitur Hugo Kirchostallensis) *in scripturis non mediocriter edocto, & in liberalibus*

artibus

artibus apprime erudito, dignitatem suam cum cura resignauerit.

Testatur Lelandus illum multa scripsisse, nihil tamen exprimit. Claruit circa annum Domini 1216 Pitsæus in Appendice, centuria 4. n. 71.

Thurstanus, *vid. Trustanus*

Tobias de Marmorarijs (quem in 1. editione huius operis, secutus Montalbum, vocaui, (Marmolium) Monachus fuit Cænobij de Septimo, propè Florentiam, insignis fuit Philosophus, Mathematicus & Astrologus. *De quibus scientijs, plura & rara scripsit opuscula*, quæ M.SS. in monasterio de Septimo, & alijs in locis reperiuntur, virorum doctissimorum oculis digna. Obijt Florentiæ, ann. 1568. Relatio doctissimi Vghelli. Gerardus Ioannes Bossius, lib. de Scientijs Mathematicis, anno 1650. Amstelredami impresso, cap. 65 §. 22. pag 397. huius mentionem faciens, ait: anno 1550. in pretio erat Tobias Marmorarius, Florentinus, Cisterc. Congregationis Cænobita, Vir Matheseos studijs egregiè excultus, qui *quotannis prognostica elaborabat, ad indicandas temporum successiones futurosque euentus*. Defunctus est inter Cistercienses suos, anno 1570. hæc Vossius.

Torphimi Episcopi vitam, vid. verbo VValterus.

Trasimundus, Bunderius, in indice, nu. 84. suprà, scribit se reperisse in Sancto Saluatore Traiecti, item in Septem fontibus, & apud minores Tornacenses. *Librum de arte dictandi, editum Authore Trasimundo Abbate Claravallensi.* Verum cum in serie Abbatum Claræuallensium nullus reperiatur Abbas istius nominis, meritò de Authore dubitari potest nisi fortè idem sit cum *Trasymundo*, qui monachus fuit Claræuallensis (& non Abbas) & circa annum 1180. *congregauit & edidit Epistolas Petri & Henrici Abbatum Claravallensium* pro vt mihi intimauit Exim. D. Abbas de Columba sæpè citatus.

Trustanus (iuxta Pitsæum) aut alios, *Thrustanus*, vel *Trustinus*, Vir sua ætate doctrina celeberrimus, ex Henrici Regis Angliæ Sacellano, post obitum Thomæ anno 1119. ad Eboracensem cathedram euectus, ordini nostro Cisterciensi addictissimus fuit, cui anno 1132. exstruxit Fontanense cœnobium, in quo ipse etiam tandem (postquam 26. annis sedisset) habitum monachalem induit, vt (cum alijs) refert Pitsæus, his verbis: *Senex archiepiscopatum resignauit, Cisterciensem ordinem intrauit, & in eo vsque ad mortem perseuerauit. &c.* Pauco tamen tempore superstes fuit, nam anno 1140 obijsse scribitur. Vide Iongelinum in Purpura Sancti Bernardi. Scripsit aliqua, ex quibus adhuc reperiuntur sequentia:

De origine cœnobij Fontanensis, lib. vnus.

De primatu Ecclesiæ suæ, ad Calixtum Papam 2. lib. 1.

Contra Anselmum Iuniorem, lib. 1.

Pitsæus de scriptoribus Angliæ, vbi scribit hunc fuisse virum grandis ingenij, & summum doctorum hominum fautorem. Harpsfeldius quidem in historia sua Anglicana. sæculo 12. cap. 40. in fine, dicit hunc Thurstanum professum esse vitam monasticam in Ponte fracto, cænobio Cluniacensis Ordinis, sed cum Pitsæo sentiunt communiter omnes alij Historici, & suadent, Fundatio Fontanensis cænobij. historia ab eo scripta, de Origine Fontanensis monasterij, &c.

S. Tynna, Monachum Melrosiæ induit, vbi à morum sanctitate, cognomentum, *Boni*, accepit. Fuit Sancti Walleni ibidem discipulus, & secretorum conscius, nec non & monasterij cellerarius, vt loquitur Scholi-chronicon. lib. 6. cap. 33.

Scripsit, *Acta Magistri sui VValleni, lib. 1.*

De Eleemosyna bono, lib. 1.

Sermones Quadragesimales, lib. 1.

Florebat anno 1164. Demsterus supra, n. 1133.

V.

VAlcellense monasterium antiquissimum in Cameracensi diœcesi situm est: huius monasterij, *anonymus quidam monachus, conscripsit appendicem ad Sygeberti Gemblacensis chronicon.* Prodijt Antuerpiæ anno 1608. in 4°. opera Auberti Miræi. Reperitur etiam M. S. in collegio Societatis Iesu, Antuerpiæ.

Extat & aliud *Chronicon Valcellensis monasterij,* à diuersis religiosis concinnatum, & ad hæc vsque tempora perductum, quo vsus legitur Arnoldus de Raisse in concinnando Auctario suo ad Molanum; quodque nouissimè nonnihil contractum, vulgauit Iongelinus, in notitijs Abbatiarum, anno 1640. Coloniæ editis.

Valentinus Ruling, Abbas meritissimus monasterij *Grissouiensis*, alias *domus gratiæ B. Mariæ Virginis*, in Silesia, vir solidè doctus scripsit *fundationes diuersorum monasteriorum ordinis Cisterc. in Ducatu Silesiæ, in quibus plura continentur, quæ ad prophanam Ducatus illius historiam pertinent.* Edidit eas Iongelinus, suprà. Viuit adhuc Valentinus, plura daturus, vbi optata per Germaniam stabilita fuerit pax.

Valerianus de Espinosa, natione Hispanus, professione cœnobita Nucalensis monasterij; vir eruditione exquisitâ præditus, nec non & morum integritate, omnique virtutum genere plurimum commendari solitus, quique specialiter humilitatem, & humanitatem monastica seueritate temperare nouit. Quorum omnium intuitu (cum etiam S. Theologiæ Doctorali laurea clareret eandemque scientiam magno auditorum concursu & plausu docuisset) varijs honorificis functionibus in ordine præfectus fuit, quas omnes tanta cum laude administrauit & expediuit, vt vniuersæ congregationis regimen ei commissum fuerit, in quo excellentius adhuc doctrinæ ac virtutum suarum specimen edidit.

Scripsit *Expositiones constitutionum Clementis VIII. Pontificis*, impressas in folio, Salmanticæ apud Anton. Ramirez, anno 1602.

Ducem religiosorum, siue

De conuersione, ad nouitios.

De perfectione, ad prouectos. Et

De animarum cura atque regimine, ad Prelatos, Vallisoleti apud Hieronymum Mucillum, anno 1623. in 4.

Florebat anno 1626. dum Phœnicem ederet Chrysostomus Henriquez. Vndè, si quid posteà scripserit, ad nos non peruenit.

Vallis Lucentis Prior, cognomine *Maillis*, anno 1647. scribebat *insignem historiam domus suæ*, quæ Campaniæ Gallicæ historiam non parum illustrabit.

Eximius D. Abbas de Columba, S. Th. Doctor, litteris suis ad me datis 15. Decembris eiusdem anni.

Valles Sernay, Diœcesis Parisiensis cœnobium est, cuius anonymus quidam religiosus, conscripsit prosa & carmine *Vitam Sancti Theobaldi, eiusdem monasterij Abbatis*, quæ M. S. extat in bibliotheca Sancti Victoris Parisijs, & alibi. Henriquez in Menologio 8. Iulij, & post finem ipsius Menologij iterum. Compendium huius vitæ producit Hugo Menardus in obseruationibus ad Martyrologium Benedictinum, 8. Iulij, desumptum ex exemplari Vallium Sarnay.

Veteris Montis, *monasterium*, aliàs *du Bergh*, vulgò, *Aldenbergh*, in Ducatu Montensi situm est; 3. circiter milliaribus Coloniæ distans, Mausolæis Ducum Iuliacensium & Montensium nobile. Huius monasterij religiosus anonymus, conscripsit carmine, *Tractatum quemdam de 12. gradibus humilitatis regulæ Sancti Benedicti*, quem M. S. apud me habeo, desumptum

tum ex antiquo manuscripto eiusdem monasterij.

Alius eiusdem monasterij religiosus, scripsit quoque carmine, *Vitam Beati Eurardi*, qui ex Comite de Altena, primum factus est conuersus, ac postea monachus in Morimundo & tandem fundator ac 1. Abbas *Montis Sancti Georgij*, in Thuringia. Vitam quoque hanc M.S. apud me habeo, descriptam ad antiquum exemplar Veteris Montis.

Veridicus, Vide *verbo*, *Monachus*, *suprà*.

Villariensis monasterij in Brabantia chronicon, primò scriptum per monachum anonymum eiusdem monasterij, qui vixit anno 1222. & continuatum per religiosos alios vsque ad nostra tempora, asseruatur ibidem M.S. vti etiam in monasterio de Consendoncq. quoad 1. partem. Liber est Brabantiæ historiographis vtilissimus, & etiam familiarissimus. Seruantur & in eodem Villariensi monasterio *Libri duo alij*, *conscripti pariter à religiosis anonymis*; quorum prior titulum præfert: *Gesta virorum illustrium monasterij Villariensis* Posterior verò:

De claris luminaribus Villariensis monasterij. Qui specialiter agit de conuersis, seu fratribus Laicis, qui in eodem monasterio sanctitate illustres floruerunt.

Extant etiam hi duo libri in cœnobio nostro de Dunis.

Item in eodem adhuc Villariensi monasterio, seruantur lucubrationes monachorum, sequentes:

Vita B. Goberti quondam Comitis Asperi Montis in Lotharingia, postea monachi Villariensis, 3. libris distincta. Qui obijt anno 1263.

Vita Beati Abundi monachi.

Vita Beati Franconis monachi, rythmicè

Vita Beatæ Iulianæ Cornelsiensis (quæ obijt 1247.) duobus libris distincta.

Liber inscriptus: *Narratio, de religione ordinis Cisterciensis*, in folio. Credo tamen hunc librum esse eundem cum *Exordio ordinis Cisterciensis*, de quo suprà egimus, verbo *Exordium*. Vitæ B. Caroli, Abbatis Villar. per anonymum eiusdem Cænobij conscripta, extat impressa, tom. 2. de vitis Sanctorum, 29. Ianuarij.

Vdardus, monachus Cuprensis, in Scotia, & posteà Episcopus Brechinensis, totam Scotiam (comitante Eustachio Abbirbrothi Abbate, & paucis Clericis) pedes, insigni deuotionis exemplo, perlustrauit, verbum Dei disseminando. Scripsit:

In Cantica Salomonis, lib. 1.

In omnes Diui Pauli Epistolas.

Homilias ad Populum Scoticum. lib. 1.

Epistolas ad diuersos lib. 1. Florebat anno 1214. secundum Hectorem Boëthium, lib. 13. historiæ Scotorum, vel, secundum Wion, lib. 1. ligni vitæ, anno 1190.

Demsterus lib. 19. sub finem.

Vincentius, cognomento *Cadlubeus*, natione Polonus, ob raras animi dotes, electus & consecratus Episcopus Cracouiensis; cum per decennium laudabiliter rexisset, nequidquam aduersante Principe, & dissuadente, canonicorum collegio) referente Bzouio ad annum 1219.) Episcopatu se abdicauit, & in Andreouiensi ordinis Cisterciensis cœnobio, monasticen professus, reliquos 5. vitæ suæ annos religiosè peregit; quibus nonnulla egregia exarauit opuscula, nominatim, *Chronicon, siue Annales Polonorum, vsque ad sua tempora.* Quod opus in Polonia magni solet fieri: vtpotè primum, quod completū gentis illius historiam continet. Obijt pijssimè anno 1224. Iongelinus in purpura Sancti Bernardi, Seguinus, in bibliotheca, ex Cromero lib. 7. de rebus Polonorum. Huius etiam meminerunt Ioannes Herbuitus de Fulstin, Regni Polonici Senator lib. 6. histor Polon. cap. 5. Et Vossius, de Scriptoribus Latinis.

Vulkinus, ex monacho Walckenredensi primus Abbas Sichemensis, in Thuringia, *Sermones edidit pios & doctos*, quos se legisse scribit Ionghelinus, in Notitia monasteriorum ordinis nostri.

Extat etiam adhuc eiusdem *perpetuus commentarius in 4. Euangelia*, teste Reuerendissimo Domino Ioanne Blanckenbergh, Abbate Veteris Montis, S.Theol. Doctore, in relatione M.S. ad me missa De sanctitate huius Vulkini, legendum Menologium 18. Septembris.

Volckmarus, vide *VVolckmarus*.

W.

VV*alkenredensis cœnobij* (in Thuringia) *chronicon*, cum catalogo Abbatum, qui ab anno Christi 1127. monasterio VValckenredæ huc vsque præfuerunt: in quo simul recensentur cœnobij istius fundatio, incrementa, decrementa restauratio &c. simulque aliquot Germaniæ Procerū maximè illustrium, Brunswigæ & Luneburgi Ducum, &c. atque Honsteinæ Comitum genealogiæ, & insignia; concinnatum fuit per religiosos anonymos eiusdem monasterij, nunc autem anno 1616. Helmstadij apud Iacobum Lucium impressum, operâ & studio cuiusdam Henrici Eckstormij.

B. VVallenus, natione Scotus, filius Simonis Comitis Hungtinthoniæ & Macolmi ac Guilielmi Regum Scotiæ auunculus; habitum Canonicorum regularium in iuuentute amplexus, postmodum arctioris vitæ desiderio inflammatus, & vt ait Author vitæ illius, Cisterciensis ordinis sanctitate illectus, monachum induit in Monasterio de wardona; vndè ad Rhieuallem translatus, demum in Abbatem Melrosensem electus fuit: vbi doctrina & sanctitate effulsit, vsque ad annum 1163. quo gloriosa morte consummatus fuit; varijs post obitum miraculis clarus. Plurima scripsit, (testibus Demstero, & alijs, apud Manriquez tomo 2 Annalium, ad annum 1160. cap. 4. n. 7.) inter quæ memoratur *Commentarius in librum qui inscribitur, Regula Ecclesiastica.* Item *Expositio in Genesim. lib. 1.* & *De Silentio Claustrali, lib. 1.* Demsterus, lib. 19. fol. 666. Huius walleni meminit Sanctus Bernardus, in vita Sancti Malachiæ, vbi vocat eum, *Virum nobilem secundum sæculum, quondam Priorem Regularium Fratrum in Kirkeam, postea verò monachorum Patrem in Mailros.* Vitam Walleni scripsit Ioscelinus monachus Furnesij in Anglia. B. Tyna, & alij eius discipuli.

VValterius de Muda, Religiosus B. Mariæ de Thosan, vulgò, Doest, in Flandria, circa annum Domini, 1284. Scripsit metricè, *Compendium Vitæ B. Torphimi Episcopi Hamariæ, in Norvvegiâ*, qui pro libertate Ecclesiæ in exilium missus, obijt in Monasterio Thosano, vbi sepultus fuit antè summum Altare. Compendium hoc in antiquo M.S. codice repertum, operæ pretium iudicaui, hic adscribere:

Spirat odore nimis Flos hic in Humo tumulatus,
Cuius sublimis status extitit, & decoratus,
Morosus gestus, viuens à crimine purus;
Nulli molestus, Alijs mitis, sibi durus.
Norma fuit Iuris; Lex vitæ, culmine dignus,
Peruigil in curis, prudens. Sermone benignus,
Pacificus, stabilis, Hilaris, largus, verecundus:
Nobilis, ac habilis, affabilis atque rotundus.
Totus deuotus, pilea quoque veste togatus;
Pane leui fotus, & in omni laude probatus.
Nam pius ad miseros, & compatiens ad egenos,
Iugiter ad Superos, gressus direxit amœnos.
Prouidus & rectus, humilis fuit inter honores.
Pneumate protectus, citò carnis vicit amores.
Candidus, electus ex millibus, & rubicundus;
Cui fuit affectus omnis virtutis abundus.
Torphimius dictus, Sedi Dominans Hamariensi,

Pro

Pro qua, conflictus cum Principe Norvvegienſi
Sumpſit, & intrepidus ſtans in facie dominantis,
Agnos non tepidus rapiens ex ore vorantis.
En Moy en alium, Deica plenum ratione,
Vt genus ipſe pium ducat de ſub Pharaone
Sed qui ſemper agit peruersè, callidus hoſtis,
Per Regem ſatagit Clerum ſubuertere. Poſt, his
Pulſus in exilium, quo naufragus & tribulatus,
Quærens auxilium, Papam petit; attenuatus,
Per mare, Caſtra, ſolum peragens fuit, irrequietus,
Scandens mente polum, tulit aduerſantia latus.
O. Præſul grate, veri tropus Opilionis;
Cuncta, tuos, tua, te, tibi tradita pro grege ponis.
Quærere vadis ouem ſolam, linquendo bidentes,
Nonaginta nouem deſerti vaſta colentes:
Sic vt honoriferis infirmam corde virili,
Imponas Humeris, & iungere poſsis ouili.
Huc tandem rediens vacuus pro turis amore,
Quò ſanus veniens, eſt omni cultus honore.
Poſt, febre depaſtus per ſabbata ter decimata,
Promeruit caſtus ſolari morte beata.
Anno vigeſimo quater, actis mille ducentis
Quarto, de limo petis Omnipotentis.
Terna credo die poſt feſtum Theophania.
O, quid Paſtores in iudicio facietis,
Qui neglectores Ouium non eſſe rubetis,
Vilibus aſt paſtum, vos legem tranſgredientes,
Turbine ſi quaſsum vel debile, deſpicientes.
Diligitis craſſum, perſonas accipientes
Plus Marka, Martha colitur, Salmo Salomone,
Eccleſijs arca, nutus quoque plus ratione:
Curia plus cura, ſcamno ſedes phalerata;
Dulcia quam dura magis aptant pompa plicata:
Plus quam clauſura delectant proſpera fata,
Aurea pictura, cibus altus, mollia ſtrata.
Non lex, nec iura dant hac, nec ſcripta beata,
En, perijt ſanctus & rectus, ſancte Michæa;
O, quantus planctus; Matrixat in Orbe Medaa.
Sic onus, imò decus, tibi Paſtor, ſumis inique,
Rex rege Chriſte pecus, ne Simon regnet vbique
Non ſic fecere Sancti, nec quiſque Propheta,
Vt noſtri verè Prælati, teſte Poëta:

Nec facile invenies in multis millibus vnum,
Virtutem pretium qui velit eſſe ſuum.

Hinc, quicunque vides, pro viribus hunc imitare,
Sit tibi ſana fides, & eum precibus venerare.
Cui ſi tu gratum laudibus dederis modulamen,
Scito quod optatum tibi conferet ipſe iuuamen.
Qui prece purgatum noſtrum faciat ſcelus, Amen.

Solebant olim hi verſus (dum adhuc Thoſanum ſtaret monaſterium) in tabella quadam iuxta ſepulchrum Venerabilis Epiſcopi ad parietem pendere, quos circa annum 1350. alius quidam eiuſdem Cænobij monachus, in libro quodam deſcribens, poſteritati tranſmiſit; adiungens & aliam breuem Hiſtoricam relationem proſaicam, ſtylo quidem ſimplici (prout illa ferebant tempora) attamen ſincero & verace; hoc tenore. Circa annum Domini 1284. Dominus Torphimus Epiſcopus ciuitatis Hamariæ in Norwegia, claruit hic, cum maleuolis non conſentire, nec eis iura Eccleſiæ concedere vellet, eum perſecuti ſunt, & vim facientes, violenter de terrâ extulerunt; qui cum aliam non inueniret viam euadendi ſaluâ conſcientiâ, ad mare venit, nauem intrauit, & diſceſſit. Deindè, poſt multas calamitates & pericula, poſt tempeſtates & frigora, tandem naufragium paſſus, vix ſaluâ vitâ euaſit, cum comitibus ſuis & rebus adiunctis. Poſt hæc, in tali inediâ & paupertate, veniens ad Monaſterium de *Capella Thoſan*, Tornacenſis Diæceſis, iuxta Oppidum de Brugis, petijt Hoſpitium pro Dei miſericordia.

Cum autem Monachi prædictum Reuerendum Virum in tali attenuatione viderunt, illi (vt dignum erat) condoluerunt, & amore Christi misericorditer susceperunt: Qui apud eos vt pius Pastor, & quasi consocius, deuotissimè per triginta septimanas vixit, omnibus exempla patientiæ, pænitentiæ, & totius bonitatis tribuendo. Datique fuerunt ei ministri de prædictis Fratribus, qui ei ministrabant: qui etiam signa eius sanctitatis, & cilicij quò vestiebatur, & alia, postea Fratribus & Monachis reuelabant. Delectabatur enim conuersationibus & collocutionibus deuotis Monachorum, & de ipsis ad mensam suam quasi semper inuitabat, & eis optimè & abundanter administrabat, sed ipse sibiipsi parcissimè viuebat. Tandem Domino disponente, Testamentum de ijs quæ habuit, fecit pulchrum, & coram Fratribus, & Canonicis suis & Capellanis ibidem secum commorantibus, in Domino quieuit, sexto Idus Ianuarij, & ibidem in Ecclesiâ antè magnum altare sepultus fuit. Hic etiam (vt audiui) nonnulla fecit miracula. Post eiusdem pij Pastoris corporis dissolutionem, *Nonnus VValterus de Muda*, prædicti Monasterij Monachus, qui eum vidit, nobis in his versibus aliqualiter eius vitam breuiter exarauit.

Sequuntur versus relati, quibus subiungitur:

De isto Dei electo, inter cætera quæ Deus dignatus est ad suam gloriam, & deuoti sui meritum declarandum manifestare, hoc nouum videtur in oculis nostris, scilicet, quod versus tenorem vitæ eius continentes, quos in folio conscriptos, asserique salicino conclauatos & suspensos in Ecclesiâ iuxta eius tumbam ad parietem lapideum videmus, per sexaginta sex annos virtus diuina intactos seruauit, & seruat, vt nec corrupti sint, nec folium salicinum (quod tamen genus ligni facillimè vermibus & corruptioni cedit) sit corruptum, sed sanum & integrum, ac si primâ die esset fabricatum. Sed hoc fortè Deus facit, vt non memoria eius deleatur, sed à quopiam posteà fideli scripto annotetur. *Hæc in memorato libro M. S.*

Testamenti verò, cuius hic mentio fit, extat adhuc apud nos antiquum & authenticum transcriptum in pergameno, quod (ne pereat) hic etiam adscribam.

Vniuersis præsentes litteras inspecturis, Ioannes Vpsalensis Ecclesiæ Archi-Diaconus; Ioannes, permissione diuina, Abbas de Eechoudt, Ægidius Decanus, Ioannes Cantor, Geruasius Scholasticus Ecclesiæ Beati Donatiani; Prior Fratrum Prædicatorum, Guardianus Fratrum Minorum, & Iacobus Decanus Christianitatis in Brugis, salutem in Domino sempiternam. Noueritis, quod nos Testamentum Venerabilis Patris, Domini Torfimij, bonæ memoriæ Hamariensis Episcopi, sanum & integrum, benè sigillatum, vidimus, tenuimus, legimus, & diligenter inspeximus, in hæc verba: In nomine Patris & Filij, & Spiritus Sancti. Amen. Ego Torfimius, diuinâ permissione Episcopus Hamariensis, condo & ordino testamentum meum, in hunc modum: Primò & principaliter ad honorem Domini mei Iesu Christi, pro remedio animæ meæ, lego in subsidium terræ sanctæ. X. Marchas sterlingorum. Item, ad fabricam capellæ Sanctæ Crucis apud Hospitale Hamariense, L. Marchas Noricanas, & Presbytero qui ibidem celebrabit, iij. Marchas annuatim, ex redditibus de terris illis, quas emebam in diocæsi Hamariensi, & mensam in curia Episcopali. Item ad præbendam Altaris defunctorum, Marcatam terræ quam tradidit Dominus Radulphus de Ringisale Capitulo Hamariensi; dimidiam Marcam terræ iuxta Vardal, quam assignaui eis Alantini in recessu meo,

meo, cum x. marchis Noricorum.

Ad Ecclesiam Sancti Antonij quinque marchas. Ad Ecclesiam de Vlmshof, Antiphonarium de tempore & de Sanctis, quod fecimus fieri, & iacet in choro, sine psalterio. Itē do, lego ad Tutam Insulam Throndennæ xx. Marchas Noricanas, Et ad Claustrum Sanctimonialium de Bachâ, xl. Marchas, Item ad sanctam Sedem Tueygiæ, Heldeland, terræ de Wallinstad, in Incradale, cum x. Marchis. Item trado, lego, ad structuram Ecclesiæ Sancti Clementis Nidrosiæ, xv. Marchas. Ad Altare B. Olavvi, Nidrosiæ, x Marchas, Et Capitulo Nidrosiensi x. Marchas. Item Cognatis meis indigentibus Throndennæ. xxx. Marchas, per Arnonem fratrem meum diuidendas. Et Thordoni Presbytero Sancti Olavvi, & Arnoni, Petro, & Ivvaro fratribus meis, cuilibet annulum, qui ponderat ij solidos, & vxoribus eorum cuilibet annulum qui ponderat dimidiam horam. Item Matri meæ, & Gudrunæ, & Ragnildæ, Sigridæ, Sororibus meis, cuilibet de bono panno rubeo, vel viridi, xiiii. vlnas. Item, do, lego, ad monasterium Sanctæ Mariæ de Tholan, ij. scyphos argenteos, Cappam de examero cum pelle, & ij. Equos, cum xx. libris Parisiensibus, & ibidem meam eligo sepulturam. Item Conuentui de Tholan xxx. libras Parisien. ses, ad annuos & perpetuos redditus comparandos, eidem Conuentui pro pitantiâ. in die anniuersarii mei annis singulis distribuendos. Ibidem ad portam l. solidos inter pauperes distribuendos. Item Prædicatoribus de Villâ Brugensi, xx. solidos Fratribus minoribus ibidem xx solidos Parisie. ses. Et Sacerdotibus in Ecclesiâ Parochiali de Lisscyveghe, xx. solidos. Item Magistro Vlando, decretales suas. Item lego Domino Iarundo vnam rosam argenteam, & Breuiarium, & vestes meas meliores. Domino Thostano Olavvi, vnam rosam argenteam. Domino Olavvo qui est Parisijs, Cappam meam choralem. Olavvo Presbytero de Ringebu, deciam Episcopalem de Frone, & vnum annulum. Item, do, lego, Thostano Gulsmid, xx solidos annonæ. Domino Michaëli, dicto VVulf, Ciui de Dam, ij. rotulas argenteas. Petro Coquo, famulo meo, mensam in Curia Episcopali, pro sito perpetuo, & xv. Marchas, & Cappam, & Tabardum meum. Item Arnoni, dicto Digreæ, mensam in Curiâ Episcopali, pro suo perpetuo. Huius Testamenti mei executores nomino, eligo, & constituo, Dominos, Iarundum, & Thostanum Olavvi, Canonicos meos, & horum omnium potentes Prouisores, dans eis potestatem in præmissis omnibus & singulis exequendis, vices suas cuicunque vel quibuscunque voluerint committere, quotiescunque & quandocunque viderint expedire. Hoc volo, & ordino. & inuiolabiliter obseruari percipio. Quod si mea prædicta dispositio vel ordinatio iure non valeat Testamenti, valeat saltem iure codicillorum seu alterius cuiuslibet vltimæ voluntatis. In cuius rei testimonium & munimen, sigillo nostro, vnà cum sigillo Domini Abbatis de Tholan, præsentes litteras duximus roborandas. Actum, & datum, apud Monasterium de Tholan, anno Domini M.CC.LXXXIV. in octaua Assumptionis B. Mariæ Virginis.

Nos vero, in testimonium inspectionis nostræ, præsentibus litteris, sigilla nostra duximus apponenda. Datum anno Domini Millesimo, Ducentesimo, Octogesimo quarto.

+ + + + + + + +

Loco Sigillorum.

Hæc sunt quæ in monumentis domus nostræ de Beato Torphimo repetire potui, nec plura vidit Chrysostomus Henriquez. Circa quæ, adnotanda sunt,

1. B. hunc virum, qui à Molano, & aliis Scriptoribus communiter vocatur Torphimus, & ab Antonio Sandero in Hagiologio Flandriæ, Torphinus, in antiquioribus M.SS. adeoque, in ipso Testamento, vocari Torkimium, vel Torphimium.

2. Ab Hugone Menardo, in Martyrologio Benedictino, & Henriquez in Menologio, vocari Beatum; Imò, à Guilhelmo Gazæo, in historiâ ecclesiastica Belgij, vti etiam in Martyrologio Gallo-belgico, & Ferrario, in generali Catalogo Sanctorum, *Sanctum Torphimum*. Vid. Ioann. Bollandum, tomo 1. de Actis Sanctorum, 8. Ianuarij, fol. 548.

3. Neminem mirari debere, dum leget à Venerabili hoc Torphimo, testamentum fuisse conditum anno 1284. in octauà Assumptionis B. Mariæ, & postea, illum obijsse eodem anno, 8. Ianuarij; quia tunc temporis stylus adhuc vigebat antiquus, secundum quem, per vniuersum Galliæ Regnum, annus inchoabatur à Paschate, adeoque menses qui apud nos sunt primi, tunc erant vltimi.

4. Monasterium Thosanum, in quo B. Torphimius obijt & sepultus fuit, esse illud, quod in Chronologijs Ordinis vocatur communiter *Capella Thosan*, vernaculè verò, *Doest*. Filia monasterij de Dunis; & fuisse olim (siue pietatem, siue diuitias, aut monachorum frequentiam spectes) longè celeberrimum, sesqui milliario à Ciuitate Brugensi situm, Slusam versus; at nunc funditus euersum, cuius bona partim ab Hollandis Hæreticis occupata sunt, partim (Authoritate Pontificiâ & Regiâ) mensæ Episcopali Brugensi attributa; partim deniq; monasterio nostro Dunensi vnita.

In ruderibus huius Thosani Cœnobij adhuc hodiè, (anno 1655.) delitescentes Reliquiæ B. Torphimi, hactenus reperiri nequiuerunt. At Reliquiæ Venerabilis Petri Roshildensis Episcopi, ibidem etiam sepulti iam à nobis translatæ requiescunt in Claustro nostro hic Brugis. Fuit autem hic Petrus, cognatus Regis Daniæ, qui dum cruce signatus ad terram Sanctam pergeret, & vi tempestatis in Flandriam eiectus esset, obijt in Thosano Cænobio, vbi sepultus fuit in choro monachorum, è regione summi Altaris, vbi sepulchrum eius reperimus, cum hac inscriptione: *Hic iacet Petrus Episcopus Roshildensis, cognatus Regis Daciæ, qui cruce signatus, in itineratione ad Domini sepulchrum, hoc in loco obiit.* Vide de hoc Viro, etiam Molanum in natalibus Sanctorum Belgii, 8. Ianuarii, vbi testatur sepulturam huius Petri esse antiquiorem sepultura Torphimi; annum tamen obitus non exprimit, nec nos in lapide sepulchrali inuenimus. in aliis tamen monumentis, reperi illum obiisse anno 1218. 19. Maii.

Ioannes quoque Bollandus, Societatis Iesu, in Actis Sanctorum, tom. 1. fol. 458. de hoc Petro agens, asserit illum in Martyrologio Gallo-Belgico vocari *Sanctum*, tametsi Brugis particularis ei cultus non habeatur. Et meritò, quia à Sancta Sede, Catalogo Sanctorum aut Beatorum nondum adscriptus est, vti nec etiam Torphimus, vndè non nisi ex vulgi opinione, dici possunt Sancti, aut Beati.

B. VVerrici, Prioris Alnensis monasterij vita, per eiusdem monasterii religiosum conscripta, seruatur ibidem, oratione soluta: vbi etiam Camberonæ, & Louanii in Sancto Martino. Extat in eodem Alnensi monasterio, *ipsius VVerrici vita metrice conscripta*. Vide etiam Hugonem Menardum in obseruationibus ad martyrologium Benedictinum. 13. Decembris & Ant. Sanderum in Bibliothecâ Belgicâ M.S.

VVibertus Villariensis in Brabantia monachus (aliis *Guibertus*,) vir sacrarum scripturarum intelligentia non minus, quam monasticæ disciplinæ rigore celebris, scripto reliquit *Insigne*

Cr

& prolixam epistolam ad Sanctam Hildegardem, Abbatissam Sancti Ruperti, iuxta Bingam Germaniæ, ordinis Sancti Benedicti, in qua 38. quæstiones satis subtiles, virgini soluendas proponit. Quas ipsa etiam (licet vtcunque obscurè) resoluit. Extant hæ quæstiones cum solutionibus suis, inter opera Sanctæ Hildegardis, impressæ.

Vvilhelmus, Abbas quidam Cisterciensis Ordinis valde antiquus, scripto reliquit *Sermonem mysticum, sine spiritualem satis insignem, de Assumptione B. Virginis*, quem in antiquissimo planè codice Cænobij S. Martini, Tornaci, repertum, tanquam aliquale monumentum antiquitatis, & pietatis, ipsius Authoris, posteritati transmittendum duxi. Sermo F. Wilhelmi Ordinis Cisterciensis in Assumptione BB. Virginis.

Multiplicatæ sunt aquæ, & eleuauerunt arcam in sublime à terra. Gen. 7. v. 17.

Domine Deus, audi clamorem Populi huius, & aperi eis thesaurum tuum, fontem aquæ viuæ, Num. 20. ad obtinendum diuinæ largitionis beneficium, sine quo nihil sumus, nec possumus.

Informamur ex verbis propositis quæ secundum sensum litteralem sunt Moysis & Aaron loquentium ad Deum pro aqua secundum autem sensum spiritualem, aqua ista est aqua sapientiæ salutaris, quæ fluit de fontibus Saluatoris, quæ debet precibus deuotis hauriri, quia Sancti aquam istam in oratione hauriunt, quã in prædicatione alijs effundunt, & ideò per modum deprecatiuum dicamus & nos: *Domine Deus*, &c. In quibus verbis tanguntur duo: 1. est, ex parte nostra congrua petitio; secundum est, ex parte Dei, necessaria largitio, quia suum est aperire. Primo dico, quod nostrum est clamare ad Dominum, non solum vocali voce, nec solum manuali voce in opere, de qua dicitur, *viua vox, vox operis*: sed & clamore mentali, de quo dicit Psalmus: *Clamaui in tota corde meo. &c. Psal.* 118. Secundo, dico quod Dei est audire & exaudire. & exaudiendo aperire fontem aquæ viuæ, id est, sapientiam abundanter dare Sapientia dicitur fons, quia ipsa est purissima & pretiosissima, quia est pretiosior cunctis opibus. Dico, quod est purissima, quod noto, per fontem, quia aqua in fonte clarior est quam in riuulo: & est efficacissima, quia dat vitam hominum. Si sic clamauerimus ad Dominum, aperiet nobis thesaurum suum, fontem aquæ viuæ.

Multiplicata sunt aquæ, &c. Gen. 7.

Secundum sensum litteralem, sicut scitis, in scriptura verba ista scripta sunt de Arca Noë, quæ paucos continuit & saluauit de filijs Adam; sed secundum sensum spiritualẽ, Beatæ Virgini Mariæ possunt adaptari, quantũ ad mysterium hodiernæ festiuitatis, quæ distribuitur in his verbis, quantũ ad tria, scilicet, *quantũ ad Assumptionis subiectũ, & quantum ad Assumptionis modũ, & quantum ad Assumptionis terminũ.* Si quæratur quid est quod eleuatur dicamus quod ipsum est. *Arca*, Si quæratur, quomodo, vel qua virtute dicamus, merito gratiarũ & virtutum: Si quæratur, vbi eleuatur, siue, ad quem locũ? Dicamus, quod eleuatur *in sublime à terra.* Dicit igitur, *multiplicatæ sunt aquæ*, vbi notantur tria, secundum tria prædicta: Primum est euidentia propriæ significationis, quantum ad Arcam; secundum est, euidentia gratuitæ perfectionis, quæ notatur per multitudinem aquarum: Tertium est, excellentia gloriosæ remunerationis, quod notatur ibi: *In sublime à terra.* Arca ista est Virgo Maria, quæ est Arca copiosa & ideo per arcam designatur Gazophilatium: 2. est arca gratiosa, & ideo per arcam testamenti designatur, 3. est arca virtuosa, & ideo per arcam diluuij designatur. Beata virgo est arca pretiosissima & ditissima gazophilatij, eleuata diuina illuminatione, & gratiosissima, & specie splendidissima, summa illustratione, & ideo est arca fœderis, & virtuosissima, & efficacissima, quia potestatiua, & ita-

& saluatiua generis humani. Primò dico, quod Maria potest designari per arcam gazophilatij, in qua Gazæ, id est, diuitiæ reponebantur, de qua dicitur in Paral. 2. Paralipom. 24. *Præcepit Rex, & fecerunt arcam, & ingressi intulerunt in arcam ita vt impleretur, &c.* Rex, id est, Christus, qui est Rex Regum, & Dominus Dominantium, qui fabricatus est cœlum & terram, fecit istam arcam, scilicet Mariam, & homo natus est in ea, de quo dicitur hymnus. *Mundum pugillo continens, ventris sub arca clausus est. Ingressi enim*, scilicet Pater & Filius & Spiritus Sanctus, per inhabitantē gratiam, *intulerunt* omnium bonorum abundantiam, miserunt scilicet Filium Dei per incarnationem; ita *vt impleretur* per Filij præsentiam, quantum ad animam & carnem, qui de ipsa sumpsit carnis substantiam. Vndè dicit Adam de Sancto Victore: *Salue Mater pietatis, & totius trinitatis nobile triclinium: Verbi Dei incarnati, speciale maiestati præparans hospitium.* Scitis, quod in arcâ ponuntur pretiosa, & arcana, & vestimenta: Sic arcana Dei ponebantur in arca ista, scilicet in Beatâ Virgine, quando verbum Dei continebatur intra viscera eius; & vestimenta Christi, id est, caro, siue humanitas, quæ est habitus Christi, continebatur in eâ. Hinc Apostolus: *Exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens, & habitu inuentus vt homo.* Philip. 2.

Et ideò potest dicere matri suæ: *Ossibus & neruis compegisti me, siue vestisti me.* Iob. 10. Auarus licet aurum & argentum in arcâ habeat, si Iustitiam Dei non habeat, diues non est, Maria non solum habuit Dominum in mente per gratiam, sed etiam habuit eum in utero per carnem assumptam: & ideò dicit Euangelium super hanc festiuitatem, *Intrauit Iesus in quoddam castellum.* Lucæ 10. O quam magna multitudo dulcedinis tunc erat in Virgine, in quam Spiritus sanctus superuenit, & virtus altissimi ei obumbrauit, quoniam de Spiritu sancto concepit. Quid est quod non habebat? & quid est quod non sapiebat, in cuius vtero sapientia iacebat, & corpus sibi adaptabat? scilicet *Christus*, qui vt ait Apostolus; *est Dei virtus & sapientia, & in quo omnes sapientiæ & scientiæ thesauri absconditi.* Coloss. 2. 3. Arcam istam quæ tenet thesaurum tantum, debemus retinere, ad Mariam inquam confugere, quia ipsa est thesauraria, & eleemosynaria, & in ipsa, & pro ipsa, & per ipsam fiunt omnia. Et ideò dicit *Bernardus: Agamus gratias omnium bonorum largitori, qui omnia posuit in Maria, nihil enim nos habere voluit, quod per manum eius non transiret.* Vndè de ipsa potest accipi illud Paralip. Supr. *refuit eam in loco suo.*

2. Beata Virgo est arca testamenti lucidissima, de qua potest accipi illud Exodi 25. quod *fecit Beseleel arcam de lignis Setim, & vestiuit eam auro intus & foris.* Ad Hebr. 9. 4. & in illa arca erant tria, scilicet Manna, Virga, & Tabulæ testamenti. Beseleel, qui interpretatur vmbra Dei, siue misericordia Dei, significat Christum, qui contra libidinis ardorem, facit vmbraculum & refugium; Ipse fecit *arcam*, id est Mariam, *de lignis Setim*, quantum ad materiam, quia sunt incorruptibilia, & significant carnem B. Virginis, quæ fuit incorruptibilis & imputribilis; *Auro vestita*, quantum ad animam rationalem, propter refulgentiam sapientiæ cælestis, & superadditionem diuini luminis: *Intus*, quantum ad honorem Dei, *foris*, quantum ad ædificationem proximi, fuit amicta auro: In qua manna, virga, & tabulæ fuerunt. In hac arca, Christus cuius virtus & gratia est nobis necessaria, posuit tabulas, per gratiam illuminantem intellectum, & manna, per gratiam reficientem affectum; & virgam, per gratiam sustentantem effectum. Primo, posuit ibi gratiam illuminantem intellectum contra ignorantiam quam incurrimus, & gratiam reficientem

entem contra concupiscentiam quam contraximus, & gratiam sustentantem contra miseriam in qua sumus. Ista arca dicitur, *Arca testamenti*, quia omnia illa quæ erant in arca testamenti, per eam & in eâ manifestantur, & etiam (vt dixi) Deo per eam reconciliamur.

Scitis, quando duo inimici debent firmiter reconciliari, contrahitur inter eos matrimonium, sic per arcam istam, Deo cuius fuimus inimici, sumus reconciliati quasi vinculo matrimoniali, quia Christus descendit in vterum Virginis, vt si Deus Pater aliquid amarum cogitaret contra nos, vt videret nos esse de eodem Patre (quia Deus est Pater Christi per naturam, & Pater noster per gratiam. & similiter, sic est Maria Mater Christi per naturam.) Videns igitur Deus Pater nos esse Fratres Christi, ratione huius matrimonij, retrahit manum [illegible] percussione nostra vnde rectè dicimus [illegible]: *Memento salutis Author, quod nostri quondam corporis ex illibata Virgine, nascendo formam sumpseris*. Vt pro[illegible] genus & naturam quam sumpsit de B. Virgine, misereatur nostri; quæ est arca fœderis, de qua dicitur in lib. Regum, quod *intulerunt Sacerdotes Domini arcam fœderis in locum suum, in oraculum intra Sancta Sanctorum, sub alis Cherubim*. 3. Reg. 8. Sacerdotes, id est, ministri Dei, scilicet Sancti & Angeli, qui hodiernæ processioni interfuerunt, quando B. Virgo est eleuata super cælos, *Arcam*, id est, Mariam, *in locum suum*, id est, qui non solum debetur Ancillæ & Amicæ, vel Filiæ, sed matri & Dominæ, & Reginæ cæli; quomodo benè adimpleuit Deus quod præceperat in Exodo 20. *Honora Patrem & matrem*. Quia venit Christus adimplere legem, & non soluere, ideò matrem suam posuit ad dexteram suam, in potioribus bonis suis, *In oraculum templi*, respectu illorum qui sunt in ecclesia militante, quia ipsa orat pro nobis qui sumus in statu viæ. *Intra Sancta Sanctorum*, id est, illorum qui sunt in ecclesia triumphante, in loco securissimo, vt nullus sit ei similis, vel æqualis: quia sicut sol est lucidior & altior lunâ, sic Maria est altior omnibus creaturis. Tamen, *sub alis Cherubim est*, id est, respectu Trinitatis increatæ, *Cherubim*, hic non intelligitur de Angelis qui dicuntur Cherubim. sed de Personis increatis. *Cherubim* interpretatur, scientiæ plenitudo. *Sub alis Cherubim est*, id est, sub Filio & Spiritu Sancto, procedentibus à Patre æterno, vt B. Virgo ab illis recipiat lumen sapientiæ, quod nobis communicet. Ad istam debemus nos retinere, quia ipsa habitat sub plenitudine sapientiæ & scientiæ. Scitis, quod in Arca conseruabantur Scripturæ; & quia dicitur in Luca, *Maria conseruabat omnia &c*. Lucæ 2. Ideo ipsa potest conuenienter Arca dici. Dicit etiam Alcuinus, quod optimè nouerat Maria scientiam Scripturarum, quia ipsa docuit Apostolos & Euangelistas, *Maria docuit Apostolos*, & spiritualiter Beatum Bernardum docuit. Vndè de ea dicit S. Augustinus, in quodam tractatu: *sicut inter omnes creaturas corporales nihil est Sole illuminatius; sic inter omnes creaturas spirituales, nihil est Virgine Maria sapientius, quia ipsum fontem Sapientiæ habuit in mente, Magistrum in vtero Filium; nihil igitur ipsa est sapientius, cuius est ipsa sapientia filius.*

3. Beata Virgo potest dici *Arca Diluuij*, quia sicut per arcam diluuij saluati sunt filij Adæ à submersione corporali, sic per Mariam sal[u]ati & liberati sunt à submersione spirituali. De hac arca dicitur in Genesi: *Fac tibi arcam de lignis leuigatis, & mansiunculas in ea fac, & bitumine lin[i]es eam intrinsecus & extrinsecus*. Gen. 6. Possunt esse verba Patris ad Filium, *Fac tibi Arcam*, id est, Mariam, *de lignis leuigatis*, vt sit in materia læuigata, & in forma bituminata, & in capacitate mansionata: *Mansiunculas*, vt & bicamerata, tricamerata. *Arcam*, id est Virginem *Mariam*, ad te con-

concipiendum, lactandum, nutriendum, portandum, ad tibi comparendum. *De lignis lauigatis* id est, de membris Virginis, à pondere peccati alienis. *Mansiunculas*, id est, potentias animæ in rectum ordinem disponas, vt sensualitas obediat rationi, & subiiciatur ratio Deo. *Bitumine*, scilicet charitatis & castitatis; charitatis intrinsecus, quoad dilectionem Dei, castitatis, quantum ad puritatem mentis & corporis, vt nullus tibi pateat aditus voluptati. Hæc est Arca salutis, de quâ dicit Apostolus: *Noë aptauit Arcam in salutem domus suæ.* Ad Hebræos 10. Noë, qui interpretatur requies, significat Christum, qui quieuit in *Maria*, & facit nos per ipsam quiescere, quia per ipsam saluamur. *Psalm.* 131. *Surge Domine in requiem tuam, tu & Arca sanctificationis tuæ.* Domine, prius surge tu, & arca posterius, tu, dico, surge in Ascensione, & arca tua in assumptione. *Sanctificationis*, quam tu sanctificasti, ipsam deducendo, introducendo, & amplexando. Deducendo, iuxta Psalm. 72. *Tenuisti manum dexteram meam*, introducendo in palatium. Cant. 2. *Introduxit me Rex in cellam vinariam*, amplexando. Cant. Ibidem. *dextera illius amplexabitur me in requiem*, non requiem Virginum, quia ipsa est illarum primitiua; non in requiem Apostolorum & Prædicatorum, quia illorum est Magistra, non in requiem Angelorum, quia ipsa est illorum Domina; sed, *in requiem tuam*, vt in qua es, & ipsa sit, vt dicatur de illa illud psalmi: Psal. 44. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Hæc est arca virtutis & sanctitatis, in qua Deus requieuit. Vnde dicitur: *In omnibus requiem quæsiui, & in hereditate Domini morabor &c.* Eccles. 24. Et magnam curialitatem fecit illi Dominus, quod sibi proponit requiem in hospitio eius. Vndè ipsa dicit: *qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo.* ibidem. Per istam arcam Dominus liberauit nos, & quiescere nos facit. Et ideò, si tempestas mundi tibi imminet, vel tempestas diaboli te exagitet, & conturbet, ad Beatam Virginem dirige oculum & aspectum tuum, & eius implora auxilium, quia nullum potest nocere periculum, vbi Mariæ præsidium fuerit fideliter inuocatum. Sic patet 1. membrum principale, scilicet, de assumptionis subiecto.

Secundum membrum est, de medio istius assumptionis, quod est, eminentia gratuitæ perfectionis, qua eleuabatur Arca. Vndè de ea potest dici: *Mulier gratiosa inueniet gloriam.* Istius assumptionis modus notatur cum dicitur: *Multiplicatæ sunt aquæ*, scilicet gratiæ mundificantis, fæcundantis, & redundantis. Isti sunt effectus aquæ, scilicet, quod est mundificatiua sordium, irrigatiua plantarum, & satiatiua appetituum: aquæ gratiæ, sunt purgatiuæ culpæ, fæcunditatiuæ integritatis virgineæ, & redundatiuæ salutis humanæ. Hanc abundantiam aquarum gratiæ, habuit Maria vt de ipsa possit dici: *Fontes abyssi rupti sunt, & cataractæ, cæli apertæ.* Gen. 7. ipsa habuit abundantiam aquarum mundificantium à sorde culpæ, & ideò ei conuenit illud Prophetæ: Ezech. 16. *Laui te aqua, & mundaui sanguinem tuum. Laui*, imprimis sanctificatione. Vndè dicit Bernardus: *Puto quod copiosior abundantia gratiæ in Mariam descendit, quia non solum eius animam, sed etiam vitam eius à peccato custodiuit in mundum. Emundauit sanguinem*, quia sanguis eius totaliter fuit mundus à fomite concupiscentiæ, quia non potuit peccare in vitæ statu, & hoc benè docuit, quia authorem munditiæ debebat concipere.

Vndè dicit Augustinus: *Decebat vt illius hominis conceptio fieret de Virgine, qui eam puritate vinceret, quâ maior nequit sub Deo inueniri.* Matth. 5. Et ideò, si beati mundo corde sunt in patriâ cælesti, ipsa erit suprà omnes creaturas eleuata, quia habuit istam aquam in plenitudine, in ablutionem peccatorum. Et ideò, nullus restat locus

locus desperationis, quia non est qui se abscondat à calore eius.

Secundo, habuit fœcunditatem aquæ gratiæ ad conceptionem integritatis virgineæ, quiâ inebriata fuit rore cælesti, non tantum in mente, sed etiam in carne. Hierem. 31. Vnde dicitur: Erit quasi hortus irriguus, cuius aquæ non deficient: fons, in corde & in vtero. Hinc Bernardus: *Bona est fœcunditas coniugalis, melior est castitas virginalis, sed optima est fœcunda virginitas.* Non fuit intelligibile, nec credibile, nec fuit aliqua quæ virginitate integra conciperet, nisi sola virgo Maria. Vnde iterum Bernardus: *Maria prima est, nec dabitur alteri, quia non auferetur ab ea.* Et ideo dicit Psal. *Multiplicasti locupletare eam*, Psal. 64. non solum in anima, sed etiam in ventre. Et ideò dicit iterum Psal. *Flumen Dei*, id est Maria, *repletum est aquis.* Ibidem. scilicet gratiarum & virtutum.

Tertio, habuit aquas gratiæ redundantis ad profectum aliorum. Vndè potest accipi illud Esther: *Fons paruus creuit in fluuium magnum, & in aquas plurimas redundauit* Esther 10. Paruus fons, id est Maria, quæ erat parua sua reputatione, creuit in fluuium, in Christi generatione. *redundauit*, quia mundus & cælum de eius plenitudine acceperunt. Vnde Bernardus: *Omnibus generationibus: vitam & gloriam peperisti, Angelis lætitiam, iustis gratiam, & Peccatori veniam.* Hinc ipsa dicit, *Transite ad me omnes qui diligitis me, & à generationibus meis implemini.* Ecclesi. 24. quasi dicat: Habeo gratiam non solum mihi sufficientem sed etiam pro alijs redundantem. Item, si timetis Patrem & filium, venite ad me, & ego assecurabo vos. *à generationibus*, quia ego generaui filium æternum. *ad me*, supra. honorandam & venerandam: quia *ego sum Mater pulchra dilectionis*, Leuit. 24. Deus qui ante Filij incarnationem dentem pro dente exigebat, iam misericors factus est, & parcit in adulterio deprehensæ, & Mariæ Magdalenæ, &c. Et hoc totum factum est per Mariam Virginem; quæ per abundantissimam gratiam suam nobis subuenit. Scitis, quod dies Dominicus est dies solennitatis & gloriæ, & dies Veneris est dies pœnitentiæ & miseriæ, & afflictionis & doloris, quæ significat statum viæ, in quâ nos sumus; Et dies Sabbathi dicitur dies requiei, quæ dicitur dicata in honorem B. Virginis, & sicut est impossibile, quod de die Veneris veniamus ad diem Dominicam, nisi per Sabbathum, ita impossibile est nos peruenire de istâ miseriâ ad æternam gloriam, nisi mediante Domina nostra; quæ est Virgo Maria, Mediatrix nostra, & Aduocata nostra, & ideo dicamus ei: Tuo filio nos reconcilia, tuo filio nos repræsenta, tuo filio nos recommendâ; Fac hoc, Benedicta, per gratiam quam inuenisti, per Vnigenitum quem peperisti, qui mediante te factus est particeps miseriæ nostræ te quoque mediante & intercedente, participes nos faciat gloriæ suæ, ad quam nos perducat, &c. Amen.

Finis.

Wilhelmus Alba Rippa Abbas, Scripsit *Librum Epistolarum ad diuersos, pro explicatione locorum nonnullorum Sacræ Scripturæ.* Inter quas Epistolas, quatuor datæ sunt ad Natalem Abbatem Theolocensem, cuius extant aliquot epistolæ interrogatoriæ ad Wilhelmum, nominatim, de nouissima tuba, seu, de extremo Iudicio. Porrò Wilhelmus ex his epistolis ad Natalem Theolocensem directis, duas etiam transmisit Henrico Abbati Claræuallensi, posteà S.R.E. Cardinali, eius correctioni contenta subijciens. Super quibus etiam Herberti Morensis Abbatis iudicium expetit. Vnam harum epistolarum ad Henricum Claræuallensem exhibet nobis Ferdin. Vghellus, Italiæ sacræ, tom. 1. fol. 295. Aliquot aliæ Epistolæ tractant *de verbo indisciplinato*, &c. Porrò, totum hoc epistolarum opus

seruatur in Bibliothecâ Sanctæ Crucis in Hierusalem, & etiam apud Vghellum, qui illud propediem publici iuris faciet. Scripsit & librum, *de Sacramentis Minorum*, qui extat apud Philippum l'Abbeum, Societ. Iesu, descriptus ad codicem Thuanum, 787. p. I. nouæ Bibliothecæ librorum M. SS.

Item, *Tractatum quendam Arithmeticum, de numeris*, qui M.SS. repetitur in Monasterio nostro de Dunis.

VVilhelmus de Benyne, Prior de Neubothle, & postea Abbas Cupri, in Scotiâ, Vir insigni pietate, nec minori litteraturâ, religiosi voti diligens obseruator, Scripsit, *De vita S. Ioannis Scoti, nati in Villa Podoen!. prope Leyam, in Anglia, deinde, Sancti Andreæ Episcopi electi, lib. 1.* teste Demstero, lib. 2. qui pariter asserit, librum illum in Scotichronico, lib. 6. cap. 40. vocari elegantem; &, *alia plura edidisse, quæ ad notitiam suam non peruenerunt*. Vixit anno 1188. Vide de hoc plura apud Manrique, tomo 3. Annalium, ad eundem annum, cap 5. n. 9.

VVilhelmus 3. Abbas Melrosensis ex Ordine Cisterciensi, postquam aliquot annos prudenter ac sanctè munus adimplenisset Abbatis, curam pastoralem humiliter dimisit (inquit Scoti-Chronicon, lib. 8. cap. 14) & ipso die, precibus ipsius, creatus est Ioscelinus. Scripsit

In Cantica Salomonis, lib. 1.

De Officio Monachi. lib. 1.

Ad Ioannem Cardinalem, Scotiæ & Hyberniæ legatum, lib. 1.

Scoti Chronicon, lib. 8. cap. 60. Curam autem regendi monasterij dimisit anno 1170. 10. Cal. Maij.

Demsterus, n. 1177.

Mr. VVilhelmus Smetius, de Basseuelde, in Flandriâ, Abbas 22. Monasterij de Capellâ Thosan, vernaculè, Ter Doest (de quo iam stasum suprà egimus) Sacræ Theologiæ Doctor subtilis, Scripsit *Summam Theologiæ Scholasticæ, 3. tomis distinctam*, quorum duo scilicet, 2. & 3 manuscripti seruantur in Monasterio nostro de Dunis, cui Thosanum Monasterium vnitum est. Cæterum, quia iam aliquoties huius Cœnobij mentionem fecimus, in gratiam Chronographorum & historicorum Ordinis nostri, adiungam hic integram historiam Fundationis ipsius, &c quam ex certissimis eius monumentis concinnaui, quæ modò apud nos asseruantur.

Fundatio Monasterij Thosani:

Ipso Fundationis loco Monasterij huius (in pago scilicet de Lisseuveghe, Franconatus Brugensis, iuxta viam publicam Brugensem) antiquum olim fuit Sacellum, à loci Toparchis erectum, quod vulgo, *Ter Doest*, proprio verò nomine, *Capella de Thosan* (quasi contracto nonnihil verbo Gallico, ad omnes Sanctos) vocabatur. Quod Sacellum Lambertus Lisseuveghe Toparchus anno 1106. fundis, aut terris quibusdam dotatum, ædificijsque habitationi aliquot Religiosorum congruentibus ornatum, in Prioratum provehi curauit, sub Patronatu Abbatis Sancti Richarij in Pontiuo, qui illud, dicto Prioratus titulo possedit, ad annum 1175. quo Euerardus Tornacensis Episcopus, & loci Diæcesanus, Prioratum hunc cum omnibus fundis & prouentibus, à Laurentio S. Richarij Abbate coëmit, & (auxilio Gerembaldi Schulteti de Lisseuvega, & filiorum eius, pluribus adhuc circumquaque latifundijs comparatis, nec non & amplioribus extructis ædificijs, Monachorum habitationi aptiorem redditum, Religiosis B. Mariæ de Dunis, (sanctissimæ conuersationis famâ per vniuersam Flandriam tunc celeberrimis) incolendum tradidit. Quam donationem ab Alexandro 3. Pontifice maximo confirmatam, Venerabilis Walterus, Dunensium Abbas 4. grataniter receptans, Conuentum 12. Religiosorum eò transmisit, quibus Abbatem præfecit,

præfecit, Dominum Haketum, vitæ exemplaris Monachum, & antè Religionis ingressum, Sancti Donatiani Brugis, Decanum, de quo plura diximus suprà suo loco, littera H. Verum Walterus ipse noui huius Monasterij dotem tenuem satis considerans, paterno affectu, eandem auxit, adiungendo illi terras suas omnes in Insulâ de Vooren, quas anteà Domini de Vooren Dunensibus contulerant, confirmatione Episcopi Traiectensis, teste Ægidio de Royâ (Dunensium Historiographo exactissimo) ad annum 1175. vbi consequenter addit, Alexandrum Pontificem hanc vltimam donationem etiam confirmasse; putatque ipse, esse 300. illas mensuras iacentes in Monsterhoedt, quas liberas dimiserunt Florentius & Guilhelmus Hollandiæ & Zelandiæ comites, vt ex Priuilegijs cõstat quæ terra posteà dicta est, terra Bõmea, à Bonneâ, in quâ Thosani centum adhuc mensuras dicauerunt, apud West-vooren in Zuydtbeuelandiâ. Vide Chronicon Royæ Francofurti editum. *Porrò, Hachetus*, creditam sibi Spartã ita ornauit, tantisq; spiritualibus & tẽporalibus incrementis ditauit, vt virtutũ eius fama longè latèque dispergeretur; intantũ, vt Venerabilis VValterus iam dictus Dunensium Abbas Regiminis pertæsus, & ad solitudinis quietem adspirans (de Subditorum suorum consensu) Prælaturâ se abdicauerit, eamque *Hacheto* resignauerit; postquam ille annis penè 6. Thosanis præfuisset. Cui in Thosano monasterio successiuè substituti fuerunt Abbates plurimi, doctrinâ & Religionis obseruantiâ præstantes, qui Cænobium hoc in vtroque statu, Spirituali & temporali non parum promouentes, tandem celeberrimum reddiderunt. Quorum memoria ne paulatim obliuione deleatur, Seriem illorum hic reddam exactam, prout in antiqua membrana ipsius Cænobij reperi, hoc tenore.

1. Anno millesimo, centesimo, septuagesimo quarto, (*alia monumenta nostra Dunensia, habent, 75.*) primus Abbas erat de Thozan, alias Doest.

Dompnus Hacketus, de Brugis. Obijt 2. Nouembris.

2. Dominus Ioannes de Brugis. Obijt 13. Nouembris.

3. Dominus Matthæus, de Gandauo, Obijt 5. Februarij.

4. D. Daniël, de Brugis. Obijt 16. Septembris.

5. D. VVilhelmus de Oostburgh. Obijt 13. Ianuarij.

6. D. Salõmon de Gandauo. 15. Maij Obijt Dunis, vbi fuerat Abbas decimus.

7. D. VVilhelmus de Tielt.

8. D. Christianus de Ipris. Obijt 11. Ianuarij.

9. D. VVilhelmus de Tielt, prædictus. Obijt 6. Nouembris.

10. D. Henricus de Craeyvvyck.

11. D. Ioannes Smedekin (*alibi, Sandelryn*) de Brugis, qui nouum templum construi fecit. Obijt 1255. 17. Septembris.

12. D. Nicolaus Cleyvvaert (*alibi Lanesvveert*) de Oost-kerke, Iurisprudentia clarus, qui Conuersorum extruxit dormitorium, infirmariam, & Aquæductum. Obijt 5. Octobris.

13. Anno 1274. D. Ioannes Stephaen (*alibi, Seruaes*) de Oostburgh qui diuersas officinas, & Cataractam perfecit.

14. Anno 1284. D. VVilhelmus de Hemme, ex Oostkercke, qui Refectorium, nouumque dormitorium erexit, templum reparauit, sicque quasi totum monasterium compleuit.

15. D. Arnulphus Neyhensys, qui murum circa Abbatiam, & domum Brugis composuit: Obijt 1. Iulij.

16. D. VVilhelmus Mostaert.

17. D. VVil-

17. D. VVilhelmus Cordevvaeghen. Obijt. 29. Decembris. Iabbche. Obijt 10. Martij.

18. D. Nicolaus de Lissevveghe, qui vsuras varias deposuit.

19. D. Henricus de Brabantia. Obijt vltimâ Iulij.

20. D. Petrus de Axella. Obijt 18. Decembris.

21. D. Michaël dictus Cæsar. Obijt 18. Martij.

22. D. Wilhelmus de Bassevelde, qui erat doctor in sacrâ paginâ, & vir bonæ vitæ. *His est VVilhelmus Smetius, siue, de Smidt, de quo iam egimus.* Huic etiam *debetur structura noui claustri. Iecerat etiam fundamenta Aulæ Abbatialis, sed morte preuentus perficiendam reliquit Successori suo.* Obijt 3. Octobris.

23. D. Ioannes de Hulst. *Hic ob singulares animi dotes, Flandriæ comiti percharus fuit.* Obijt 16. Augusti.

24 D. Thomas Vindegoedt, de Blanckenberghe. Obijt 10. Nouembris.

25. D. Iacobus Schaep, oriundus de Brugis. Obijt 27. Martij.

26. D. Laurentius Amici, de Biezelinghe, qui domum fieri fecit in Crabbendycke, & Monsterhoeck. Obijt 28 Iunij.

27. D. Henricus Keddekin, de VVesalia. Obijt 14. Martij.

28. Martinus VVeyts, de Brugis. *Doctrina & facundia eximius.* Obijt 27. Martij.

29. D. Adrianus Lanchals, Baccalareus formatus Parisiensis. *Generis, morumque, ac vitæ splendore ornatissimus.* Obijt 26. Augusti.

30. D. Ioannes alibi, Nettegraue Vettegraue, de Brugis, qui fecit fieri domum in Groda, & varias reparationes in Monasterio.

31. D. VVilhelmus Petri, de Saeftinghe, Professor Sacræ paginæ. Obijt 28. Septembris.

32. D. Iudocus Arendts, de Teneramunda, qui fecit fieri summum Altare, & Cameram Abbatialem Brugis. Obijt anno 1525. 17 Maij.

33. D. Ægidius vander Elst, Teneræmundanus, qui reparauit Cœnaculum & Dormitorium Brugis. Obijt 1536. 28. Maij.

34. D. Ioannes Huyssens, de Axella. 15. Septembris, 1537. Obijt.

35. D. Petrus vanden Drissche, de Saftelaere, qui fecit fieri culinam, & alias reparationes. Obijt 17. Nouembris, anno 1549.

36. D. Ioannes van Marissien, Teneræmundanus, qui construi fecit domum in Pilsbroecke. Obijt 1556. 7. Martij.

37. D. Antonius Brakele, Brugensis. Obijt. 9. Iunij 1559.

38. D. Vincentius Doens, Laurentianus, prope Ardenburgum. Cuius tempore erectis in Belgio nouis Episcopatibus, Abbatialis dignitas in Thosana Abbatia extincta fuit, eiusque prouentus Mensæ Episcopali Brugensi applicati, sub onere alendi Religiosos, & Monasterium conseruandi, vt statim dicemus, in relatione separationis eiusdem Monasterij ab Episcopatu. Obijt Abbas 30. Martij, anno 1569.

Contractus 1. super separatione Monasterij Thosani, ab Episcopatu Brugensi:

Cum in erectione Episcopatus Brugensis (vt iam diximus) anno 1561. eidem in partem dotis (Authoritate Pontificiâ & Regiâ) assignata fuisset Abbatia de Thosan, Ordinis Cisterciensis, in districtu dicti Episcopatus, post obitum scilicet Abbatis tunc viuentis, & sub expressa conditione, *quod propter huiusmodi vnionem, in eodem Monasterio diuinus cultus, ac solitus monachorum & ministrorum numerus non minueretur, quodque coniuncta omnia Conuentus onera congruè supportarentur, & de his quæ ad honestum Religiosorū vi[...]*

consuetas eleemosynas, diuinique cultus conseruationem & conuentus sustentationem pertinent, dicto Monasterio praeficeretur. Reuerendissimus Dominus Remigius Druitius II. Brugensium Episcopus (post obitum Domini Vincentij Doens, vltimi Abbatis) accepta possessione eiusdem Abbatiæ, videns eam oneri sibi esse, eo quod bona vniuersa vix sufficerent prædictis oneribus ferendis, præsertim ob inundationes maris, quibus sub idem tempus (scilicet anno 1570.) magna pars bonorum monasterij absorpta erat, tam in Zelandia, quam in agro Hulstano, (in loco dicto, de Grauvve, vbi monasterium magnam partem terrarum suarum habere solebat, non autem apud Clingam, vt perperam tomo 2. Flandriæ illustratæ dicitur) ad quas terras recuperandas, primo quinquennio administrationis suæ, idem Reuerendissimus ad xix.m i.c & Liiij. Florenos impendit; vocato ad se domina Abbate de Dunis, Patre Abbate Monasterij de Thosan, agere cum illo cœpit, de eadem Abbatia rursus ab Episcopatu suo separanda, & eò transferenda Dunensi Abbatia (cui ruinam minabantur, & de facto causabant, arenæ imminentium Dunarum) retenta pro Episcopatu suo exigua pensione, mille scilicet Florenorum aut circiter. Verum, supervenientibus Patriæ tumultibus, quorum initio, dictus Reuerendissimus Dominus Gandaui captiuus detinebatur, res successum nō habuit; sed, tempore hoc intermedio, à Statibus generalibus Patriæ, quidam Religiosus de Baudeloo, nomine, Cornelius van Houte, Thosanis in Abbatem obtrusus fuit, oppositionibus quibuscunque Religiosorum non obstantibus. Obijt tamen hic pseudo Abbas, durantibus adhuc turbis, relinquens Abbatiam summè grauatum ære alieno, tam antiquo, ob dictas inundationes contracto, quam nouo, quod ipse eo prætextu contraxerat, distractis insuper plurimis fundis. Quæ omnia magis adhuc monerunt Reuerendissimum Dñm, ad prosequendam separationē dictæ Abbatiæ ab Episcopatu suo: Quare, liberatus è captiuitate, eandem separationem iterum Tornaci Abbati Dunensi ibidem præsenti, proposuit, & fortius adhuc vrsit postmodum, Sedi suæ restitutus. At, quia dictus Abbas nimium tunc impediebatur rebus proprij monasterij, quæ bellorum tumultibus omninò etiam turbata erāt, tractatum hunc seriò resumere nequiuit, sed nec etiam ausus fuit, quod probè sciret, vniuersos prouentus Monasterij Thosani vix sufficere tenui Religiosorum sustentationi, qui adhuc magno numero superstites erant; multo minus Monasterio reædificando, quod iam ferè funditus euersum erat. Interim, Reuerendissimus Dominus, cum nihil emolumenti è bonis Monasterij perciperet, & insuper à Creditoribus obrueretur, illud (nulla retenta pensione) vltrò renunciauit; petens fidem, ab Aulā, de Administratore, & Episcopatui de alia dote prouideri. Constitutus itaque à Rege, Administrator bonorum Monasterij Thosani, Dominus Iacobus Moermans, eiusdem Monasterij Religiosus, & Sacerdos, illa duodecim ferè annis administrauit; intra quos, Reuerendissimus Dominus Druitius pluribus adiunctus est, anno scilicet 1594. Cui successit D. Matthias Lambrecht; qui videns Episcopatui non prouideri de alia dote, dictam Abbatiam rursum resumpsit. Verum, cum nec dirutum monasterium reædificaret, nec dispersos Religiosos congregaret, aut vllos ad habitum susciperet, cum tamen consuetus illorum numerus, plurimorum morte, notabiliter esset diminutus; Dominus Abbas Dunensis Monasterij Thosani (vt dictum est) Pater Abbas, considerans fidem totalem imminere desolationem & exitium, in graue Ordinis nostri, & præsertim Dunensis Monasterij præiudicium, ac contrà expressam

tam suæ sanctitatis, quam Regiæ Maiestatis piā intentionem (qui, vt dictum est, nolebant monasterium extingui, aut solitum ibidem Religiosorum numerum minui) vt muneri, & officij sui debito, quo Ordini suo, & nominatim monasterio huic sibi subiectō, tenebatur, satis faceret, accedente etiam stricto mandato R.mi Generalis Ordinis sui Cisterciensis; Reverendissimum Dominum Episcopum Lambrechtum, tam personaliter quam litteris aliquoties convenit, Monasterij restaurationem, ac Religiosorum convocationem requirens. Sed cum ille me dictum defectum opponeret, maximè, quia iam etiam Ordines Flandriæ omnes monasterij possessiones in Zelandia sitas, alienauerant; Abbas aliam ingressus viam, dictam monasterij separationē ab Episcopatu, varijs ursit rationibus, opportunas etiam proponens conditiones, quibus (sub beneplacito suæ Sanctitatis & suarum Celsitudinum, dictique R.mi Patris Generalis) separatio hæc congruè perfici posset. Addens, & docens, Abbatiam de Doest prædicto Episcopatui magis unitam fuisse, vt Episcopi Brugenses in eam, vt vicinam, devotionis ac quietis gratiā interdum secedere possent, quam vt dotem aut partem eius constitueret, quæ ob annexa onera, magnumque tunc temporis Religiosorum ac Ministrorum numerum, ex bonis desumi non poterat, vt eventus docuit. Ad quæ, cum R.mus Dominus respondisset, se (sub beneplacito, vt suprà, ac salvo consensu Venerabilium Dominorum, Decani, & Capituli Ecclesiæ suæ Cathedralis) paratum esse, ob rationes tunc dictas, & alias, animum eius moventes, non tantum consensum præbere sed insuper adiuvare, & quantum in se esset, procurare, vt monasterium Thosanum ab Episcopatu separaretur, ita vt deinceps proprium Prælatum habere posset, vt ante unionem cum Episcopatu habebat, qui Religiosos congregaret, & divinum ac monasticum cultum instauraret: aut, si ob mediorum tenuitatem, id præstari nequiret, Dunensi uniretur Abbatiæ, undè processit; reservata tamen Episcopatui suo ex bonis eiusdem monasterij, honesta aliqua dote; tandem oblationibus hinc indè factis, & examinatis, inter ipsos convenit, pactis & conditionibus sequentibus:

Contractus 2.dus.

Pacta & conditiones, quibus Abbatia de Doest dismembrabitur & separabitur ab Episcopatu Brugensi, & restituetur Ordini suo Cisterciensi sub beneplacito suæ Sanctitatis, Aulæ, ac Reverendorum Patrum Ordinis, concepta & conventa, inter R.mum Dominum Matthiam Lambrecht, Episcopum Brugensem, ac Reverendum Dominum Laurentium vanden Berghe, Abbatem Dunensem, Patrem Abbatem dictæ Abbatiæ de Doest.

Inprimis, communi opera & consilio R.mi Domini Episcopi, & R.di Domini Abbatis (sed solis expensis Domini Abbatis) impetrabitur à sua Sanctitate, & Aula, dicta separatio; ad quā, procurabit R.mus Dominus consensum & assensum Venerabilium Dominorum, Decani & Capituli Ecclesiæ suæ Cathedralis, ac aliorum, quorum pro sua parte interesse posset. Quâ separatione obtentâ, fruetur R.mus Dominus fundis, valoris mille florenorum annorum in agio francouatus, ex nunc assignandis, & Episcopatui in perpetuum incorporandis: quos fundos reliqua bona Abbatiæ prædictæ liberabunt ab omnibus redditibus annuis, quibus ij vel generali vel speciali hypothecā gravati erunt, exceptis Aquagijs, & exiguis canonibus aut redditibus, non ascendentibus vltra duos grossos ex singulis mensuris.

Similes fundi paris valoris, mille florenorum assignabuntur, & incorporabuntur Episcopatui ex reliquis bonis dictæ Abbatiæ, scilicet

tis in agro Hulstano, valoris trecentorum florenorum, in locatione annua; in agris Ardenburgensi & Maldeghemiensi, ad quadringentos florenos ex locatione, & ex bonis in Zelandia, ad valorem annuum trecentorum florenorum, etiam ex locatione annuâ, vt suprà.

Quas summas respectivè recipiet R.mus Dominus, cum dicti fundi articulo proximo mentionati, respectivè duplum eorum ex locatione annuâ, aut alio quocunque modo, reddent, deductis oneribus quibus gravati sunt, & gravabuntur adhuc vt à mari recuperatur, quo iam inundati sunt. Et si initio minus duplo reddant, dictus R.mus Dominus recipiet medium totius quod reddent, donec fructus ad duplum adscendent, & tamdiu locabuntur communi manu, & per utriusque deputatos. Et assignabuntur dicti fundi in præfatis agris & locis, ad prædictum valorem respectiuè, cum bonis in singulis agris uti & frui licebit, & à mari recuperata erunt, & ad duplum, ut dictum est ascendent: quâ assignatione sic semel ex arbitrio bonorum virorum facta foret quilibet casus fortuitos quibus subiacebunt fundi sic assignati.

Tametsi hic contractus utriusque partis consensu tunc conclusus fuerit, nihilominus, posteà (novis quibusdam difficultatibus subortis) effectum non habuit; ut etiam nec is.

(*Contractus 3.*)

Qui post annos aliquot initus fuit, inter R.mum Dominum Rodoanum, Episcopum Brugensem, & Dominum Adrianum Cancellier, Abbatem Dunensem: adeò ut Abbatia hæc Tholana manserit Episcopatui unita, usq; ad annum Domini 1624. quo, firmo & efficaci celebrato contractu, inter R.mum Dominum Dionysium Christophori, & Bernardũ Campmans Abbatem Dunensem, ab eodem Episcopatu separata fuit, sub sequentibus conditionibus & oneribus.

Contractus 4. & ultimus.

Conventio, inter R.mum Dominum Dionysium Episcopum Brugensem, ex una, & Rev. Adm. Dominum Bernardum Abbatem Dunensem, ex altera partibus, circa dismembrationem & separationem Abbatiæ Doestanæ, à mensa Episcopatus Brugensis, sub beneplacito Sedis Apostolicæ, & Catholicæ maiestatis:

Inprimis R.dus Dominus Abbas Dunensis relinquit Rev. Domino Episcopo Brugensi, eiusque Successoribus, ius ad omnia & quæcunque bona & iura spectantia ad Abbatiam Thozanam, sita in Zelandia, per Ordines huius Provinciæ quondam alienata, ac consequenter, ius ad reditum quatuor millium florenorum, quem præfati Ordines in compensationem dictæ alienationis, toto tempore præteritarum induciarum, Prædecessoribus R.mi Domini solverunt, eique de novo eiusdem solutionis continuationem promiserunt ad octennium, à 9. die Aprilis anni 1612. inchoandam.

Item, superaddet eidem Episcopo & successoribus, in perpetuum, redditum duorum millium, & quadringentorum florenorum annuè, solvendum in duobus terminis, mediatim videlicet in Nativitate Domini, & Nativitate Sancti Ioannis Baptistæ. Et quod si contingat solutionem suprà dictam quatuor millium florenorum non continuari, tunc Rev. Dominus Abbas solvet Rev. Domino Episcopo Brugensi, eiusque successoribus reditum quinque millium florenorum annuè, in duobus terminis, ut suprà, donec iterum dicta solutio quatuor millium florenorum reviviscat.

Item, si contingat supradicta bona in Zelandia constituta aliquando Episcopatui per pacem, Inducias, vel bellum, restitui, ita ut Episcopus ea pacifice possideat (quam tamen pos-

ſeſſionem non tenebitur ſuis ſumptibus proſequi, tunc Epiſcopus pro tempore exiſtens tenebitur illa reddere Abbati etiam pro tempore exiſtenti; dictuſque Abbas, eiuſque ſucceſſores tenebuntur in perpetuum ſolvere annuè Epiſcopis, reditum ſex millium quadringentorum florenorum, in duobus etiam terminis, ut ſuprà.

Pro quibus R.mus Dominus Epiſcopus viciſſim cedit Rev. Domino Abbati monaſteriũ præfatum, cum omnibus ſuis bonis, proventibus, iuribus, obventionibus, & præeminentijs quibuſcunque, exceptis ijs quæ ſuprà primo articulo compræhenduntur: ſub oneribus tamen eidem Abbatiæ incumbentibus, tam alendi Religioſos, reædificandi, vel reſtaurandi monaſterium Tholanum, vel aliud eius loco in hâc Civitate extruendi, & ſolvendi reditus paſſivos eiuſdem monaſterij, quam alijs quibuſcunque grauaminibus, nullis exceptis: à quibus omnibus per hanc Conventionem Rev. Dominus, eiuſque ſucceſſores de cætero omninò liberabuntur.

Prædicta autem omnia bona & iura dicto Domino Abbati per prædictũ R.mum Dominum ceſſa, manebunt in perpetuũ R.mo Domino Epiſcopo Brugenſi obligata tanquam Hypotheca, pro ſolutione annuâ ſupradictorum reddituum, ita vt defectu dictæ ſolutionis, poſſit Epiſcopus fructus dictorum bonorum, vel eorum partis apprehendere, & leuare, & in commodum ſui ſibi applicare, ſine alia ſolennitate iuris.

Quantum attinet ad terminum ſolutionis, conventum eſt in hunc qui ſequitur modum, ſcilicet, quod ſi contingat confirmationem Sedis Apoſtolicæ & Regiæ Maieſtatis impetrari ante Feſtum Sancti Bauonis anni 1625. meſſis eiuſdem anni cedet Domino Abbati, idemque ſolvet omnia onera ceſſura poſt Feſtum S. Ioannis Baptiſtæ, eiuſdem anni, quemadmodum & ſupradictum reditum duorum millium & quadringentorum florenorum: Sin autem, manebit eadem meſſis R.mo Domino Epiſcopo, cum oneribus; & ſic conſequenter, quotannis, donec eadem confirmatio fuerit impetrata, & plenè executa. Actum Brugis, 20. Novembris, Anno Domini 1624.

Dionyſius Epiſcopus Brugenſis.
Bernardus Abbas Dunenſis.

Anno Domini 1624. Menſis Novembris die 21. Domini Decanus & Capitulum Eccleſiæ Cathedralis Sancti Donatiani Brugenſis, capitulariter in Sacriſtiâ prædictæ Eccleſiæ congregati, lectâ præcedenti & ante ſcripta concordia & conventione, & mutua deſuper habita deliberatione, conſiderantes illam tendere in notabilem & evidentem utilitatem Eccleſiæ, & menſæ Epiſcopalis Brugenſis, eandem, quantum in eis eſt, atque ipſos tangit, approbandam duxerunt, & approbarunt, prout approbant per præſentes, Actum, menſe, die, & loco, ſuprà ſcriptis.

De mandato R.R. Decani, & Capituli præfatorum.
N. Andeians, Secretarius.

Nos, Prior & Religioſi Conventum B. Mariæ de Dunis conſtituentes, & repræſentantes, præſentium tenore notum facimus, nobis ad ſonitum campanæ, ritè & regulariter in ordinario monaſterij Capitulo convocatis & congregatis, exhibitum & communicatum fuiſſe ex parte Rev. in Chriſto Patris ac Domini, Bernardi Prælati noſtri, conventionem ſupra ſcriptam cum R.mo Domino Epiſcopo Brugenſi initam ſuper diſmembratione & ſeparatione Abbatiæ Tholanæ à menſa Epiſcopali Brugenſi, ſub beneplacito Sanctiſſimi Domini noſtri, & Regiæ Catholicæ Maieſtatis. Quam conventionem ſedulo maturèque conſiderantes, iudi-

iudicavimus cessuram in euidentem monasterij nostri præfati utilitatem, & totius Ordinis augmentum & decus. Quapropter, eam, quantum in nobis est, ratam firmamque habuimus, prout habemus per præsentes.

Datum Dunis, sub sigilli nostri maioris impressione, & Secretarij subscriptione, hac 3.
† Decembris. 1614.

F. H. Ghuyse Secretarius.

Nos quoque, qui in decrepitâ planè ætate, de vniuerso numero Religiosorum præfati monasterij Thosani soli superstites sumus, dictam conventionem nobis quam gratissimam amplectimur, & ratam habemus. In cuius rei fidem, has manu propria signauimus, & solito quondam sigillo domus communiuimus.

Datum in hospitio nostro Brugensi 10. mensis Decembris, anni 1624.

† F. Iacobus Moermans.
Loco sigilli. F. Anthonius Elchaerts.

Contractus huius confirmationibus impetratis, alijsque conditionibus necessarijs adimpletis; Rev. Prælatus noster anno 1627. 3. die mensis Maij, Conuentum nostrum Dunensem, ex Territorio Furnensi, Brugas transtulit, ad Thosani, quondam monasterij Refugium, ubi coëmptis aliquot ædibus & fundis vicinis, anno sequenti, id est, 1628. circa finem Aprilis, fundamenta iecit noui monasterij de Dunis, quod modo in dicto loco conspicitur amplissimum, & splendidissimum, completis omnibus prorsus regularibus locis, excepto Templo, cuius hactenus structuram impediuit Patriæ vastatio, per multorum iam annorum continuata ibidem bella inducta.

Wilhelmus, ex Abbate Villariensi, anno 1238. electus Abbas Claræuallis, vir (teste Cantipratano) multis miraculis clarus, scripto reliquit *Quasdam pias meditationes*, quas publicauit Henriquez in Fasciculo, lib. 2. dist. 26. Tabula Ecclesiæ Claræuallis asserit illum obijsse in carcere, in quo per triennium ab Imperatore detentus fuisset, captus cum Abbate Cistercij, dum à Gregorio IX. Pontifice ad Concilium generale vocati, eò proficiscerentur. Corpus posteà Claramuallem delatum, honorificè ibidem sepultum fuit. Vide etiam Henriquez suprà, lib. 1. dist. 29.

Wilhelmus, Vide *Guillielmus*.

Wolckmarus 5. Abbas Campi Principis, id est, Furstenfeld, in Bauariâ, historicus fuit sui temporis celeberrimus, in diuinis & sæcularibus eruditus, & Ducum aliquot Bauariæ Consiliarius (teste Eisegreinio.) Scripsit annales Bauariæ, ab irruptione Bauarorum in prouincias Romanas, id est, ab anno 508. vsque ad annum 1313 Qui etiamnum extant, vt scribit Iongelinus Eusserthalensis Abbas, in notitiâ suâ monasteriorum ordinis nostri, libro 3. Vide etiam Guilhelmum Eisegreinium, in catalogo scriptorum orthodoxorum. Obijt anno 1318.

Wolfgangus Marius, Abbas 33. Alderspacensis cœnobij in Bauariâ, conscripsit accuratè & eleganter *Vitas omnium Episcoporum Pataviensium*. Opus sanè rarum, & lectu dignissimum.

Annales quoque monasterij sui, à conditione ipsa, vsque ad annum 1544. (*quo vitâ cessit*) *prosecutus, multa de rebus Germanicis, ac præcipuè Bauaricis, diligenter inseruit; quæ vix alibi poterunt reperiri.* Huic pio ac florido studio iam assuetum animum, ad seueriorem agonem aduocauit effrænis Martini Lutheri temeritas, qui vt apostasiam suam protegeret, monachorum stabilitatem condemnabat. Descendit in arenam Wolfgangus, strenuus miles, strinxit calamum, *& duobus scriptis voluminibus, aggerem inundationi opposuit*: altero, religiosos ab insultibus aduersarij defendens; armans altero illi, *Tutoris* nomen, quod statum monasticum, & solemnis professionis vinculum propugnaret, huic, *Commen-*

mentariũ in regulam, quod vniuersæ Benedictinæ tabulas interpretatus, Cistercienses suos in professæ virtutis amore generoso succenderet.

Wolfgango huic successerunt alij aliquot eiusdem cœnobij religiosi, virtute & doctrinâ commendabiles, qui doctrinæ suæ varia monumenta reliquerunt: sed vltima Dei vocatione præuenti, operibus suis vltimam manum adhibere nequiuerunt. Eximius D. Caramuel, in epistola dedicatoria 1. partis suæ *Theologiæ Regularis*.


Y.

Y*Sembardus le Tellier*, Natione Normannus, patriâ Rothomagensis, Academiæ Parisiorum Doctor Theologus, & in gymnasio Sancti Bernardi sacrarum litterarum interpres fidelissimus. Is ob vitæ integritatem, & multiplicis generis doctrinæ quâ pollebat præstantiam, Reuerendo in Christo Patri Nicolao Marescalco, Loci Dei Antistiti dignissimo, ita charus extitit, vt hic dignitatem suam Abbatialem ei resignauerit. Reliquit *Scriptum quoddam in 5. prima capita Genesis*.

Edidit quoque *Sermones de tempore, & de Sanctis*, Clarebat apud Bernarditas Parisijs, anno 1509.

Philippus Seguinus in Bibliotheca Cisterciensi M.S. vbi tamen illum vocat *Xymbardum*.

Finis.



EPISTOLÆ

VENERABILIS PHILIPPI

ABBATIS DE ELEEMOSYNA,

Quondam (sub Sancto Patre Bernardo) Prioris Claræuallensis.

Ex antiquo M.S. codice Abbatiæ S. Amandi, in Belgio, nunc primum in lucem productæ.

Accesserunt Epistolæ 3. Eugenij Papæ III. ex eodem codice desumptæ.

Ad Lectorem.

QUis, & qualis fuerit hic Philippus Abbas Eleemosynæ, videre Lector poterit suprà in hac Bibliotheca, verbo, *Philippus Eleemosynæ Abbas*. Est autem Abbatia de Eleemosynâ, celebre Ordinis Cisterciensis monasterium, Diœcesis Carnotensis, anno 1121. à Theobaldo Campaniæ & Blesæ Comite fundatum, vt videre est apud Iongelinum, in Notitijs Abbatiarum Ordinis nostri, & Angelum Manrique, in annalibus Cisterc. ad eundem annum.

Porrò, Authorem sequentium epistolarum fuisse Abbatem huius Cænobij de Eleemosyna, & non, Bonæ Spei, Ordinis Præmonstratensis, clarè conuincitur ex ipsis epistolis: partim

rim ex ijs quæ annotauit in Censura. quam anno 1618 ijsdem præfixit, Eximius Sacræ Theol. Doctor & Duacensis Vniuersitatis decus, Franciscus Syluius; partim ex alijs quæ inferius adiungemus, præmissa eadem censura, prout ad verbum eam descripsi ex codice doctissimi viri Georgij Galopini, Relig. Sancti Gisleni, S. Theol. Professoris, &c. vbi propria ipsius Syluii manu scripta habetur:

Censura.

Istas sequentes viginti quinque Philippi epistolas, *multa eruditionis plenas*, non esse scriptas (saltem non omnes) ab Abbate Bonæ Spei, qui Philippus ab Eleemosyna nuncupatur, infrascriptis videbatur vero proximius, non tam ob diuersitatem styli (contingit enim vnum & eundem stylum variare etiam in epistolis quas diuersis ex causis scribit ad diuersos) quam ob sequentes rationes, quibus diligens Lector alias poterit annectere. Prima est, quod prædictarum epistolarum Scriptor ideo vocetur Philippus de Eleemosyna, quia erat minister Pauperum Christi de Eleemosyna, quomodo initio primæ epistolæ se nominat, siue quia præerat Conuentui dicto de Eleemosyna, vt ex epistola 25. potest innotescere: Abbatem verò Bonæ Spei, præfuisse Pauperibus de Eleemosyna, vel Conuentui sic vocato, non apparet; monasterium enim Bonæ Spei nunquam id nominis sortitum est, neque probari potest, illius monasterii Abbatem præfuisse alicui alteri Conuentui qui diceretur de Eleemosyna. Secunda ratio est: Quod hic Author, epistola 13. vocat se Philippum de Claravalle. Confer. & epistolam 18. Abbas autem Bonæ Spei non videtur posse dici, de Claravalle. Tertia ratio: Idem hic scriptor regimini pastorali sponte renunciauit, totumque suum Conventum de Eleemosyna dictum, in senectute absoluit à vinculo, quo, ratione professionis erat ei obstrictus. vid. epistolas, 24. & 25. Philippus autem Bonæ Spei Abbas, non inuenitur sponte & in senectute renunciasse gubernationi sui Conuentus. 4. ratio: Monasterium huius Philippi vel erat in Francia, vel in finibus Franciæ, nam epistola 24. Comiti Blesensium Franciæ Senescalco ita commendat iura totius sui monasterii, cuius administratione defungitur, vt non videatur iste Comes fuisse dissitus à monasterio, sed vicinus.

Actum Duaci 21. Martii, 1618.

Franciscus Syluius,
S.Th, Doctor & Professor.

His Syluii rationibus aliæ non minus efficaces, adiungi possunt; nimirum:

Ratio 5. Ex epistola 4. in qua scribit Author Abbas de Landesio, se in absentia ipsius, visitasse monasterium Landesiense, & reperisse quædam Ordini contraria, quæ nunc in virtute Ordinis, præcipit corrigi, scilicet, vt Prior à cura temporalium, aut à Prioratu amoueatur; Item, vt Subcellerarius omnino ab officio amoueatur. &c. Quæ omnia nullo modo convenire possunt Abbati Bonæ Spei, sed Abbati de Eleemosyna, Ordinis Cisterciensis; eo quod Landesium, Ordinis Cisterciensis sit Cænobium, Diœcesis Bituricensis, & Filia Cænobii de Eleemosyna, in quo proindè Abbas de Eleemosyna, tanquam Pater Abbas, ius habet visitandi, instituendi, destituendi, secundum Ordinis Cisterciensis consuetudinem. Vid. Iongelinum supra & Manriquez, ad an. ..145. quo anno fundatum est Landesium.

Ratio 6. Epistola 5. Author Abbatem Begarensis Cænobii absoluit à dignitate Abbatiali. Est autem Begarensis Abbatia, Ordinis Cisterc. sita in Britannia minore, filia quoque Cænobii de Eleemosyna; vt omnes quoque Historici & Catalogi nostri testantur.

Ratio 7. Epistola 3. Dicit Author se à quadam

dam sententia iniusta appellasse ad suum Metropolitanum, qui erat Archiepiscopus Senonensis, vt constat ex epistola 2. Id quod Abbati Bonæ Spei in Belgio convenire non potest.

Ratio 8. Epistola 10. petit Eleemosynam à Comite Palatino, pro Abbate Curiæ Dei. Est autem Curia Dei, vna ex primis Abbatijs Filiationis Cisterciensis in Diœcesi Aurelianensi sita cuius filiationis etiam est Eleemosynæ Cænobium.

Ratio 9. Epistola 19. Scribit Henrico Anglorum Regi, pro reædificatione Monasteriorum de Fordâ, & Stanleia, quæ monasteria sunt etiam Filiæ Cænobij de Eleemosyna, vt pariter videre est apud Manriquez, longelinum, & antiquissima quæque Ordinis nostri monumenta.

Ratio 10. Epistola 24. Commendat fratres omnes, & iura Cænobij quod resignauerat, Comiti Blesensi, tanquam nimirum fundatori; Comitem namque Blesensem fundasse monasterium de Eleemosyna, suprà diximus & apud Historicos Galliæ indubitatum est. Nihil autem huic Comiti Iuris fuit in Cænobiū Bonæ Spei, in Hannonia situm.

Ratio 11. Epistola 25. Conuentum de Eleemosyna absoluit à sua obedientia. Monasteriū autem Bonæ Spei nunquam vocatum fuit, monasterium de Eleemosyna.

Ex his omnibus, liquido constat, Authorem harum epistolarum esse Abbatem Cænobij de Eleemosyna, Ordinis Cisterciensis; esseque, re uera, *multa eruditionis plenas*; nunc vero, esse pariter ex antiquo M.S. Sancti Amandi fideliter descriptas, fidem facit Testimonium Collatoris, quod hic ad verbum etiam exhibeo, desumptum ex codice memorati Doctissimi Viri Georgij Galopini, vbi ipsum originale legitur:

Hæc descripta sunt ex M.S. libro monasterij Sancti Amandi, & habentur post epistolas Iuonis Carnotensis & per me diligenter ad exemplar collata.

Georgius Coluenerius Sacræ Theol. Doctor, & Professor Regius.

EPISTOLÆ PHILIPPI ABBATIS de Eleemosynâ.

Epistola I.

Ad Episcopos & Abbates Catholicos.

Qua Author declarat, Electionem Alexandri 3. Pontificis fuisse legitimam, Victoris autem Antipapa, illegitimam, & nullam.

ARchi-Episcopis, Episcopis, Abbatibus, Prælatis, & Vniuersis Ecclesiæ filijs, Henricus & Otto, Dei gratia S. Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & Philippus minister Pauperum Christi * de Eleemosyna, seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis.

Apud Sapientiæ filios, nec onerosa veritas, nec odiosa debet esse iustitia, quos erudit intellecta sinceritas, ne circumferantur in spiritu erroris, qui operatur in filios diffidentiæ. Circumscribi se gaudet honestas intra terminos æquitatis; & iniquitati quanto quisque fit proximior, tanto fit ab honestate remotior. Scitis Fratres Charissimi (scientibus enim legem loquor) non esse licitum transire terminos antiquos, terminos quos posuerunt Patres nostri, quos nec supra nec infra iustitiam nouimus collocatos. Qui enim via regia graditur, nec ad sinistram nec ad dexteram debet declinare Legis & Euangelij religiosa sanctione decernitur, nunquam licitum esse circumuenire in negotio fratrem suum; aduersus filium matris suæ ponere scandalum, loqui dolos aduersus proximum; Inter Fratres seminare discordias, Quan-

* *Pauperes Christi de Eleemosyna.*

quanto iniquius, quanto sceleſtius eſt vterum ſcindere à quo ſis genitus, diffundere viſcera Matris in terram, cubile Patris aſcendere, innocentiæ ſolium nocenter arripere, & pudoris etiã thalamum impudicis amplexibus incæſtare? Maledictus furor iſte, quia pertinax; & ambitionis indignatio, quia praua. De facto † Octauiani, imò de manifeſtà eius intruſione, dirigitur nobis non fide plena relatio, vt lateat veritas, & collecti aſcenſus in cochleam; ſed prophetali ſarculo ſodiatis parietem, & miniſtra lucis feneſtra capiatur in latere, & radio veritatis intrante, videbitis abominationes magnas; quas operantur Seniores Iſraël, thurificantes ante Idolum zeli quod in domo Dei ſtatutum eſt, ad prouocandam æmulationem, linientes parietes abſque temperamento, & picturas in pariete ſigmento multiplici deformantes.

Scribitur nobis, factum fuiſſe Concilium partium vocationem præceſſiſſe legitimam; perendinatam ſeptem diebus inter partes, cum multa diligentiâ veritatis indaginem; & in actione totâ, nihil canonici examinis, nihil legitimæ diſpoſitionis in parte defuiſſe aliquâ, allegatione multimoda legitis exaratum. Sincerior eſt ſanis vnda, quam riui, & opinionum fluentis veritatis hauſtus eſt purior nunquid poteſt Subditus in Prædeceſſorem formare iudicium, eum trahere in cauſam qui cauſis omnibus debet finem imponere? ſubijcere decretalibus edictis, cuius edicta colligant vniuerſos? & cuius arbitrio rapitur vniuerſalis eccleſia, eum in arbitrij ſui violentas rapere ſanctiones?

Magnus eſt Imperator, & magnifici miniſter Imperij, primus in militiâ, in poteſtate præcipuus, Nobilis Aduocatus Eccleſiæ, ſeruorum Chriſti defenſor, Cleri protector electus, Adiutor in opportunitatibus in tribulatione; ſed, quod Romanum debeat iudicare Pontificem, nec lege fori, nec lege poli legitur imperatum. Habet Imperator quod ſuum eſt, nihil illi de ſuo iure minuitur: Videat ipſe ſicut bonus Filius, ne matris ſuæ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ velit euacuare priuilegium, conculcare gloriam, deſtruere libertatem: ſciat ſecundum ſe eſſe, non primum, & Chriſti Vicarium iure omnibus præferri, ſicut Chriſtus habet in omnibus principatum. Quod ſi iudicanda eſſet aliquando Romana Eccleſia, in ea vtique Vrbe iudicari deberet quæ Orbis eſt Domina, quæ caput eſt fidei, & caput Imperij: quæ gentibus leges, regulas præſcribit eccleſijs. Iudicare deberent primò de eâ conprouinciales Epiſcopi, & communis Eccleſiæ ſolemne Concilium; nouiſſimus Imperatoris & Regum, & Principum ſuſciperetur aſſenſus: quos ſi priores ad eccleſiaſtica iudicia tractanda diſponimus, ordine præpoſtero minantur à plauſtro Boues, & in caudæ miniſterium capitis dignitas retorquetur. Poſſet Romæ facilius & liberius inquiri veritas, & audiri, & quid, qualiterue fuerit actitatum de electione Romani Pontificis, commodius aptiuſque cognoſci. Quod vidit quiſque & audiuit, & manus eius tractauerunt, referre debet in teſtimonium, in iuſtitia, & ſanctitate veritatis. Qui autẽ fauoribus ducitur, ſeducitur donis, timore diſtrahitur, ſi ad vocem teſtificationis erumpit, hunc ſignabit Deus, quia mendax eſt, & teſtimonium eius nemo accipit, quia de terra eſt, & de terra loquitur, vicarius eius qui in veritate non ſtetit, ſed mendax fuit ab initio, & pater mendacij. Archi-Preſbyteris & Clero Romano, Scrinarijs, & Iudicibus in electione Romani Pontificis (ſecundum quod vobis ſcribitur) aſſignatur authoritas; Decano B. Petri, & Capitulo poteſtas attribuitur: fiunt,

† *Octauianus, eſt. Antipapa, dictus. Victor.*

secundum illud, primi nouissimi, & primatus nouissimis proterue satis & pueriliter arrogatur. Sunt in Romanâ Ecclesiâ quibus Summi Pontificis incumbit electio, Cardinales Episcopi & Diaconi, de quorum omnium numerosa multitudine, tres tantum habet Octauianus in suâ factione participes. A sæculo non est auditum, quod tantâ tot electorum exclusa multitudine, tam paucis tantum cesserit tam audaci præsumptione negotium. Non est tractandum singulariter, quod communiter omnium esse dignoscitur; nec inter viros fideles debet pars ista vel potest dignior esse, vel fanior, nisi conuenientiâ communi, communis tribus authoritas tribuatur: quod in facto Octauiani nec constat fuisse, nec scribitur. Si Decano & Capitulo Sancti Petri locus in hac electione conceditur, Lateranensibus Canonicis, qui locus, sicut Apostolica sedes, inter omnia ciuitatis Romanæ loca dignior est; Clericis Sanctæ Mariæ maioris, Monachis Sancti Pauli, Sanctique Laurentij, eorumque Abbatibus, quæ omnes Patriarchales Ecclesiæ sunt, similis authoritas cur negatur? hoc in veritate dicimus, quod ex antiquæ institutionis priuilegio, nullus in Ecclesiâ Beati Petri Decanus est, sed in eâ Episcopus Portuensis Archipresbyteri vices exequitur, vel vnus de eiusdem ecclesiæ Cardinalibus, cui à Domino Papa fuerit assignatum: Qui tamen ab eis Decanus asseritur, Schismaticus est ab antiquo, & manus eius cum Petro Leonis in illa seditione damnosa: vnde, nec locum habet, nec vocem in Ecclesiâ Romanâ, sed pietatis intuitu, ei beneficium in Ecclesia Beati Petri ad subsidia necessitatis, indultum est. Videant ipsi quid dixerint, quid scripserint diligenter aduertant; nos consuetudinem talem non habemus, nec taliter eligi debere Summum Pontificem, in Scripturis veritatis expressum est. Præterea, in eadem charta quæ spiritu mendacij fabricata est, & quam dictauit iniquitas, capitulum vnum satis manifestâ falsitate infectum, ad probandum filium maledicti aliquam habuisse electionem, plus mendaciter quam subtiliter est insertum. Aiunt enim, † Rolandi sigillo bullata transmissa, & in Concilio recitata, mendacia manifestissima, ac detestabilia deprehendimus in hæc verba: Testamur Deum, quem nullum latet secretum, quod mendacium non fingimus, sed meram, sicut est, loquimur veritatem, quia duo tantum elegerunt Victorem, Ioannes de Sancto Martino, & Guido Cremensis, Cardinales, cæteri verò omnes in partem nostram conuenerunt. Sed ex generalibus litteris, quas (sicut asserunt) Dominus Papa in Orbem, & ad diuersas direxit Ecclesias, certissimè ostenditur, quòd mentita sit sibi iniquitas. Inuenitur siquidem in eis, non sicut mentiuntur ipsi, sed in veritate, sic exaratum: *Omnes Fratres quotquot fuerunt, tribus tantum exceptis, Octauiano scilicet, Ioanne de Sancto Martino, VVidone Cremensi (Deo teste, quia mendacium non fingimus, sed meram, sicut est, loquimur veritatem, concorditer & vnanimiter conuenerunt, & nos (assentiente Clero & populo) in Romanum Pontificem elegerunt duo verò, Ioannes scilicet & Guido Cremensis, tertium, Octauianum scilicet nominantes, ad eius electionem pertinaciter intendebant.* Ecce, quod non eum, electum scribitur Dominus Papa, sicut inimici veritatis conantur adstruere, sed nominatum. Nominatio verò, sicut vos melius nostis, neque secundum Canones, neque secundum consuetudinem Ecclesiarum facit electionem. Si electum dicunt Octauianum, si solenni-

† *Rolandus, ipse est, Alexander, Rom. Pontifex legitimus.*

solenniter immantatum, dicant à quibus, vel quomodo, nec limites veræ assertionis excedant, nullus exprimitur, nullus ex nomine designatur, qui vocem in illum electionis emiserit, qui mantum collo eius imposuerit: Ipse suus elector, ipse suus immantator fuisse dignoscitur. Non ambientem quærit hæc Cathedra, sed inuitum; non inuasorem, sed subditum, non quærentem suscipi, sed nolentem. Commendatur huius electionis assensus, in voce Sanctuarij, in excelso loco, sed resonabat vox ista, de loculo, & de gazophilacio Simonis: Cancellos Petri nouus Victor aggressus est. Prima eius electio, sicut dicitur, facta fuit, sed non est prima, quia nulla nec secunda dici debet, quam prima non præcessit. Qui enim vltrò se ingerit, repellendus est, nec qui se commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat: nec qui honorem sibi assumit, honore dignus est, sed qui vocatur à Domino, sicut Aaron. Vocatum à Deo, & à nobis vnanimiter electum summum Pontificem, & Petri Vicarium, confitemur & credimus, Alexandrum, virum approbatæ conuersationis, probabilis vitæ, laudabilis innocentiæ, mansuetudinis præcipuæ; quia quam sit humilis & modestus, docet administrationis huius recusata semper & euitata sublimitas. Huic obsequuntur, Lateranensis Ecclesiæ Collaterales Episcopi, huic Cardinales assistunt; huic ministerium piæ deuotionis exhibent Cardinales Diaconi: huic, exceptis tribus (qui Octauiano fauent) vniuersi Ecclesiæ Romanæ filij, ad quos electio & consecratio spectat Romani Pontificis, testimonium perhibent, quod Pater & Pastor est Ecclesiæ, quod Christi Vicarius, & Vniuersalis Pontifex, quod Successor Petri catholicus, quod Apostolicæ dignitatis assessor canonicam habens cathedram, propitiatorij cælestis ingressum, & sanctæ consecrationis oleo delibutus, per ministrorum manus, quos ad hoc officium deuota sublimauit antiquitas. Dicitur tamen. Dicitur tamen quod initia sua dedicat rapinis, quod ad Ecclesiarum dissipationem eius desudet intentio; sed nullos adhuc sicut Octauianus incarcerauit Episcopos, nullos destruxit Episcopatus, nulli per eum cæcati Clerici, nullus decoronatus innocens Monachus, nullus per eum sanguis effusus est, nullius per eum direpta patrimonia, & in tantæ necessitatis articulo, secura est opulentia Subditorum. Qui autem sub illo sunt, vbi potest, sentiunt manus eius graues, vbi non potest, minas contumaces, & maleficijs suis multiplicibus execrationis suæ primordia consecrat, & fidelium sanguinem inexpleto sitit & affectat ardore. Si de Alexandro aliquid in angulo iudicatum est, non est rationabile, nec sincerum, sed de rubigine speculi redundat in imaginem, quia operis digniter eum deuenustat intentio. Si eum trinis edictis citatum peremptoriè asserunt, nec venisse, si nos euocare s. legitimè, dicunt declinasse iudicium, & Concilij sui perhibent euitasse præsentiam; fuissé quidem nos, quod non diffitemur, absentes, sed sicut eis potestas nulla cesserat euocandi, sic nos ad occurrendum vocationi, nulla cogebat iustitia, nulla constitutio perurgebat. Nobis tamen qui ad exequenda negotia Domini Papæ, ad partes illas destinati eramus, cum huius rei gratia ad Imperatorem vellemus accedere, nec via commoda, nec securus patebat accessus: vbique minæ, vbique imago mortis, & latentes insidiæ, vbique timor, & vndique gladij, quia timebat infidelitas deprehendi, & in veritatis feruore timebat Octauianus de cucumerario suo tolli falsitatis vmbraculum. Parati enim sumus, si daretur optata securitas, Imperatoris adire præsentiam, non tamen ex parte Ecclesiæ subire iudicium, sed ad rei ordinem declarandum, ad ostendendum legitimè, totius seriem

veritatis. Sed, nouit Dominus, quia huius rei licentiam impetrare nulla ratione potuimus; imò, per litteras & Nuntios ea sæpè nobis prohibita sunt. Ea propter dilecti in Christo Patres & Fratres, accingimini virtute constantiæ, conculcare caput serpentis antiqui, & Gubertinæ maledictionis antiqua germina, quæ in Octauianum schismaticâ præsumptione repullulant, falce iustitiæ resecare.

Consecrate Domino manus vestras, & choros iniquæ multitudinis saltantes ante Idolum, vestra compescat authoritas, in spiritu iudicij, & spiritu ardoris. Reuiuiscat in vobis Antecessorum vestrorum laudabilis zelus, refloreat antiqua deuotio, fructificet in usum Matris suæ, cum ardore suauitatis, iucundum fructuosæ pietatis obsequium, & ab eius vnitate non discrepet, in quo dilexit semper, fouit & tenuit vnitatem: non vos moueant aut seducant inanibus verbis plena decipulis schismatica scripta, in quibus tot sunt mendacia, quot verba; si tamen verba dicenda sunt, quia benè non loquitur, qui verè non loquitur.

Epistola II.

Ad Abbatem de Pontilenio.

Pro decimis, iniustè Cœnobio suo ablatis, appellat ad Archiepiscopum Senonensem, Legatum Apostolicum.

IOanni Abbati de Pontilenio, Frater Philippus de Eleemosynâ. Circumvenire Fratres, vel in negotio supergredi, contra euangelicas sanctiones est. Contramandaui vobis diem causa nostræ, iustâ vrgente necessitate; vos accessistis ad diem, si legitimè, Deus nouit; & sicut voluistis, non vt debuistis, credimus, processistis in causam. Dabit nobis Deus in beneplacito suo, locum expostulandi.

Nos autem de circumventione ista, & iniusto processu, appellamus ad audientiam Domini Senonensis Archiepiscopi & Apostolicæ Sedis Legati, in inventione Sancti Stephani, sub eius protectione decimas nostras, & ipsum terraticum ponimus, à quorum vsurpatione, Vos eiusdem authoritate, omnimodis prohibemus. Habemus enim priuilegia Romanorum Pontificum, de decimis nostris, quæ violari noluimus.

Epistola III.

Ad Decanum Carnotensem, & Abbatem de Valeiâ.

Conqueritur supra dictas decimas iniustè ab ipso expeti, stante præsertim appellatione ad Sedem Apostolicam.

GIrardo Dei gratiâ Carnotensis Ecclesiæ Decano, & Fr. Abbati de Valeiâ, & Gualtero Dunensium Archidiacono, Fr. Philippus de Eleemosyna, de circumstantia veritatis formare iudicium. Dicit vir Deo plenus, *causam quam nesciebam, diligenter investigaui.* Et, *de vultu Dei debet prodire iudicium*, quod formare debet veritas, nõ extorquere acceptio Personarum. Si pauperes sumus & abscõditi, si grex pusillus in domo Domini, non tamen dignum est nos authoritate Pontilenensium conculcari, vel pro verbis eorum quę veritatis fundamento carent, priuationis ferre sententiam. Decisum dicitis & iudicatum, quod per appellationem ad Metropolin nostram perductum est, vbi lis contestata Iudicis manet examen. Pro hac eadem causa Pontilenienses Monachos, qui falsa vos delatione pulsarunt, & seruientes nostros quærebant occultis subreptionibus inbanniri, ad eandem Sedem iterarò appellauimus. Vos interim mandato vestro nos vrgetis, & reddi iubetis Pontileniensibus, quod nec ratione putamus descendere, nec iustitiæ conuenire. de Terratico, nondum decisum est. de laborum nostrorum decimis, relaxatio nobis data est, & Sedis Apostolicæ priuile-

gij confirmata: Ius nostrum alteri dare, beneficia infringere, nec possumus nec debemus. Excedit quicunque illi reuerentiam non impendit; nos in protectione illius, res nostras, locum nostrum, seruientes nostros, & omnia nostra deponimus, & ad ipsam appellamus, in Annuntiatione B. Mariæ respondere parati, si quis agere contra nos voluerit; vel agere instructi, si quis nos deinceps pro causa molestare voluerit. Quid de hinc acturi sitis, nescio, vnum scio, plus suo tempore seruiuit & profuit Carnotensi ecclesiæ Fr. Philippus, quam Pontilenienfis Abbas & Monachi sui, pro quorum nos delationibus taliter fatigatis. Mittite iam gladiũ, si placet, in vaginam, & agite comiter, nos ad tribunal Apostolicum stamus, & iustitiæ stabimus, & ibi nos oportet iudicari, nisi Patrem & Aduocatum adduxerit nobis Deus Omnipotens, quem reuerti velociter cum salute, & prospere conseruari, votis omnibus exoptamus. Valete.

EPISTOLA IV.

Ad Abbatem de Landesio.

Landesiense monasterium (vt suprà retulimus) filia est Cœnobii de Eleemosyna, quod Philippus noster visitans, in absentia Abbatis, scribit ei, se quadam reperisse corrigenda, & quænam illa sint, iudicat.

DIlecto dilectori, Fratri Hugoni, & Co-Abbati de Landesio. Frater Philippus de Eleemosyna, salutem & dilectionem in Domino. Vtinam, inuenissemus vos domi, tempore visitationis. Inuenimus ibi quædam Ordini contraria, quæ consilio vestro correcta, facilè quieuissent. Nunc autem loco absens corpore, tamen præsens spiritu, vobis in Ordinis virtute denuntio, vt ea sicut in capitulo dispofui, corrigatis.

Priorem ab exteriorum curâ, & à frequenti equitatione, vel Prioratus ordine amouete: † *Claustri Custos & Ordinis, non debet exterioribus insudare.* Subcellerarius vester monasterio, Fratribus onerosus, & manifestè superbus est, nimis frequenter equitat, & extra claustrum est, & extra officij sui metas curiosè nimis & inutiliter euagatur. Monemus, consulimus, & mandámus, vt eum remoueatis ab obedientiâ illâ, & arctiori studio curam illius habeatis. Sunt alia quæ præsenti sermone magis quam scripto, vobis explicanda sunt. Vigilate in omnibus & agite cautè, ne sub manu vestra virtus Ordinis emarcescat. Amor & virtus Ordinis hæc loquuntur, nihil amaritudo suggerit, aut simultas. Sed, si nos & Ordinem diligitis, expedit, vt quod piè denuntiamus, efficaciter impleatis. Fratres nostros plurimum charitati vestræ commendamus, Fratres vestros ore nostro, & spiritu nostro plurimum salutamus, nostros nominatim. Vale.

EPISTOLA V.

Ad Episcopum Trecorensem.

Abbatem Begarensis Cœnobij, in Britanniâ minore, tanquam inutilem, à dignitate Abbatiali absoluit, & Cœnobium commendat Episcopo Trecorensium.

REuerendo in Christo Patri & Domino Will. Dei gratiâ Trecorensium Episcopo, Frater Philippus de Eleemosynâ, seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Quod à curâ & administratione † Begarensis monasterij Fr. Chinerus se suspendit, dignum esse iustumque censemus. Et vtinam nunquam ad illud regimen ascendisset, per quem facta sunt domus illius peiora prioribus.

Nos autem secundum quod mandastis, ad consolationem & cõsilium domus illius accingimur, & prædictum Fratrem corde bono, & animo

† *Nota.* † *Begarense Cœnobium, Filia est Eleemosynæ.*

& animo volenti ab administratione monasterij clementer absoluimus, sicut Personæ & loco credimus expedire.

Non enim convenienter ægrotus medetur ægrotis, nec imbecillem congruè sustentat invalidus, nec commodè lapsus erigit corruentem. Vos igitur sicut virum Ordinis decet, sicut amico convenit, sicut oportet servum Christi, sicut Altaris ministro dignum est, omni tempore date operam, vt ædificentur muri domus Domini, & virtus Ordinis reparetur, in sanctitate & iustitia coram Deo: quia temporalia detrimenta poterunt facilè resarciri, si reformari contigerit Religionis honestatisque iacturam. In operibus siquidem nostris, si primum quæritur regnum Dei, iuxta ipsius sponsionem, boni temporalis adiectio non negatur. In breui igitur ad vos descendemus, domui miseræ consilium & auxilium, prout melius & aptius poterimus, impensuri.

Adsit labori nostro vestra sedulitas & amica prouidentia; non enim effectu bono carere posse credimus, ubi vnanimiter duorum pia vota occurrunt. Vale.

Epistola VI.

Ad Archiepisc. Senonensem.

Commendat quemdam Amicum, vt restituatur ei ab Archidiacono Aurelianensi, quod ipsi commodauerat.

Amantissimo in Christo Patri & Domino Wilhelmo, Venerabili (Dei gratia) Senonum Archiepiscopo, & Sedis Apostolicæ Legato, Fr. Philippus de Eleemosyna, plurimam in omnium Saluatore salutem.

Fidelis vester, & noster familiaris, Beneuentus de veteri vico, nostro interuentu, Hugoni Aurelianensi Archidiacono de rebus suis gratuito, sine viuris & augmento, commodauit: non debet ei respondere in damnum, quod benignè seminauit in gratiâ. Rogamus dilectam nobis in Christo Paternitatem vestram, vt fideli vestro prouideatis ne alienis fraudibus inuoluatur, & supplicium reportet pro beneficio. Mandate igitur Decanis vestris in quorum manibus cura eius est, vt veritate diligentius inquisita, tutum parent exitum pro beneficio laboranti: feliciter enim graditur causa, quam sincerè perspicit oculus æquitatis. Detrimentum autem eius, non sine vestrâ proueniet iniuriâ, cum ad hoc faciendum nostris precibus euictus accesserit. Bene valeat semper in Domino, vestra sublimitas.

Epistola VII.

Ad Ostiensem Episcopum.

Commendat Ostiensi Episcopo Nobilem quendam Anglum, vt Pater eius ad sepulturam ecclesiasticam admittatur.

Dilecto in Christo Patri & Domino, H. Ostiensi Episcopo, Fr. Philippus de Eleemosyna, salutem & obsequium. Vir quidam Nobilis de Anglia, & Amicus Ordinis nostri, aduersus Trecensem Episcopum & eius Ecclesiam deliquit, & excommunicatus est. Post aliquantùm temporis consideratione habita, & damnorum satisfactione promissa, satisfecit, & absolutus est.

Ante plenam verò ablatorum restitutionem ab inimicis interceptus, & interfectus est; & prohibitus à sepultura, pro his quæ nondum plenè reddiderat. Hæres eius ætate minor, nec sciuit satisfacere pro Patre, nec potuit. Nunc ad intelligibiles annos prouectus, ad omnem satisfactionem paratus est. Rogo igitur dilectam nobis in Christo Paternitatem vestrã, vt sepulturæ beneficium prec bus vestris obti

peati

neatis ei à Domino Papa. Iniustum enim videtur, vt volente filio satisfacere pro Patre, Pater ab ecclesiastico consortio districtius arceatur. Nam semper misericordia debet superexaltari iudicio Hoc testatur Dominus Wintoniensis, tunc Legatus, & ipse Episcopus Trecensis, qui modo est. Bene valete in Domino, Pater charissime.

Epistola VIII.

Ad Alexandrum 3. Pontificem Romanum.

Petit à Summo Pontifice, vt bona Archidiaconi Aurelianensis Religionem ingressi, dentur creditoribus vt ipse disposuerat.

AMantissimo in Christo Patri & Domino, Alexandro, Dei gratia, Summo Pontifici F. Philippus de Eleemosyna, salutem, & obedientiæ sinceritatem Opus fidele, cuius ordo naturalis assertor est & dignitatem prærogat cælestis authoritas, relatiuæ charitatis affectum Patris in filium, & filij in Parentem, & natura docet & lex spiritualis indicit. Si caput Ecclesiæ, & fidelium Patrem, imò, quia fidelium Patrem, & Ecclesiæ caput vos pietas diuina constituit, omnium grauamina filiorum misericorditer intueri, vel, vbi potest, efficaciter releuare Paternitatem vestram, docet ille à quo omnis paternitas in cælo & in terra nominatur. Filius vester Hugo, quondam Aurelianensis Archidiaconus, vt annos suos in amaritudine animæ suæ recogitet, elongauit fugiens, & permansit in solitudine, sub claustralis exercitio disciplinæ. Pro soluendis debitis suis, hæreditatis suæ reditus quos tenebat, quasi ex testamento solenniter assignauit, vt haberet votiuæ securitatis egressum. Dispositio tam sincera ab eius consanguineis impeditur, & violenter ab eorum manibus opus eripitur quibus fuerat de ...atum. Præcipiat ergo vestræ sinceritatis authoritas, vt integra & inconvulsa maneat filij vestri dispositio tam fidelis, vel in manus Prioris de *Caritate*, ad soluenda debita transeat hæreditas; quibus solutis, sicut iustum est, transeat ad hæredes. Quod si mandato Sedis Apostolicæ prædicti inuasores rebelles extiterint, sentiant Moysi manus graues, & seueritas puniat, quos pietas non emollit. Immite namque videtur & durum, vt Deo militare disponens, necessario iterum caulis sæcularibus implicetur. Apostolatum vestrum conseruet omnipotens Dominus Amen.

Epistola IX.

Ad Ludouicum Regem Galliæ.

Ludouici Francorum Regis protectionem implorat aduersus importunitatem Creditorum cuiusdam Clerici.

PIissimo Regi Francorum, Ludouico Fr. Philippus de Eleemosyna, regnare feliciter, & felicius mori. Corona Regis est, misericordia, & sicut nubes pluuiæ in tempore siccitatis, sic opus eius cum tempore prouenit opportuno. Opus habet misericordia & consideratione Regij moderaminis, quondam Clericus vester, nunc noua in Christo creatura quidquid est, totus vester in Domino, Hugo de Rua noua, ad vmbram Dominicæ protectionis fugiens, æstum grauem patitur à cognatis, & hæreditatis paternæ priuatur beneficio, qui solam diligit cælestem votis tenet, & opere amplexatur. Solutus à vinculis mundi, adhuc parte aliqua detinetur, & reuocatur à debitis, quæ iustè quidem, sed acriter exiguntur. Assignauerat hæreditatem suam conuenienter, vt credidit, vt omnia soluerentur, sed Nepos suus, H. intercurbat omnia, & solutionem impedit debitorum. Benignissimam igitur Regiæ sublimitatis clementiam

tiam prece quâ possumus imploramus humiliter, vt fideli vestro benignè & efficaciter assistatis, vt pauperem vestrum ab angore suo misericorditer liberetis. Iniustum namque videtur, & improbum, vt quod vitam debuit fulcire temporalem, pauperi vestro detrimentum vitæ pariat spiritualis. Opus Regium sicut misericordia coronat, sic iustitiæ cultus pingit, ornat, & erigit.

Personam vestram, & datum vobis à Deo hæredem, & Regni vestri statum conseruet & muniat omnipotens Dominus. Liberare pauperem vestrum, & saisinam quam dedistis, vestra reddat & conseruet authoritas, vsque aduentum vestrum.

Epistola X.

Ad Henricum Comitem Palatinum.

Petit Eleemosynam à Comite, pro Abbate Curiæ Dei, Ord. Cisterc. qui nouum exstruebat monasterium.

Illustri Domino, Henrico Palatino Comiti, F. Philippus de Eleemosyna salutem, & boni Principis opus, ac præmium.

Liberalis animus Vniuersitatis est iucunda possessio, & fructus huius odora suauitas: etenim, quos non reficit, afficit, & ad sui participium prouocat inexpertos. Hæc insignis pietas se omnibus æstimat natam, pariter omnibus in omnibus se diuidit, & suauis beneuolentiæ diffundit vbique commercium: non quærentibus occurrit, pulsantibus aperit, reprimit impudentes, verecundos hilarat, munerat obsequentes. Sic tibi viuitur, Princeps egregiè, & in talibus vita spiritus tui; nec discedit à generationibus istis, insignis animi generosa benignitas. Quam gloriosior est illa dispersio, quam non reuelat caro & sanguis, sed Pater noster qui est in cœlis, qui temporale beneficium stipendiis munerat sempiternis, sicut de viro iusto dicitur: dispersit, dedit pauperibus, Iustitia eius manet in sæculum sæculi. Qui sic dispergit, congregat in æternum, & gratiam sibi conciliat in dextræ, & reuelationis iusti iudicii Dei, cum surrexerit Dominus percutere terram virgâ oris sui, & in gladio eius deuorabitur omnis caro. Scimus quidem & compertum habemus, quia plerumque ad iustitiam seminat tua dapsilis manus & magnifica, & myrram primam distillant digiti tui, cum in vsum pauperum Christi dona tua laudabili subuentione dispensas. Paras tibi lumen in die nubis, & caliginis, operimentum in die tempestatis turbinis, salutare confugium in die tubæ & clangoris, in quo tibi gaudium felicitatis optamus, & refrigerium precamur æternum. *Abbas de Curia Dei* * habet opus præ manibus Princeps egregiè, quod facultatis & opere eius superat paruitatem. Præsumptionis argui deberet eius inceptio, nisi in cælestis misericordiæ thesauro spes eius quiesceret, cum sit ei breuis substantia, & incepti qualitas expensas exigat ampliores. Fundamenta monasterij noua iecit, angustiam loci, vetustatis iniuriam, ruinarum minas, & corruptionis molestiam non ferens, cum prioribus fundamentis super ædificatio non posset aptari, & augmentum familiæ Dei non satis commodè caperent angusta tiguria. Et quoniam omnium indigentium commune refugium est liberalitatis tuæ sinus egregius, rogamus per Christum, vt ad eum, vnde tam communis benefica stilli descendit, tuæ pietatis feratur irriguum. Vale.

Epi-

* *Curia Dei, Diœc. est Aurelianensis, Filiatione Cisterciensis.*

EPISTOLA XI.

Ad H. Rhemensem Archiepiscopum.

Gratias illi agit pro promotione alicuius Amici.

AMantissimo in Christo Patri & Domino, (a) H. Dei gratia Rhemorum Archi episcopo, Fr. Philippus, suus quod suus. Non capit animus, cogitatio non metitur, explicare lingua non sufficit, quo congratulationis, gratiarum, & laudis occursu, dignationis vestræ liberale prosequar ornamentum, quo dignanter à vobis nostra muneratur indignitas, suprà opinionem, meritumque, se subrigit munificus vestræ benignitatis accessus, tantò me deuotius obligans, & astringens arctius gratioso vestræ sereniratis respectui, quanto paruitati meæ sinceriorem clementiæ vestræ repræsentat imaginem. Quis enim ego, aut quæ domus Patris mei, vt de reliquijs generis nostri constituat in loco primitiarum vestra gratiosa dignatio, vt sedeat cum Principibus, & solium gloriæ teneat. Minor sum cunctis miserationibus vestris, sed inter omnia celebris excellentiæ vestræ beneficia, venustius hoc sinceriusque processit, quo nihil tale præmeditantem animum liberalitatis accensæ radio tetigistis. Humanæ siquidem mentis affectum nulla sic excitat gratia, nulla sic alligat aut ardentius afficit, sicut illa quæ inopinatè clementer offertur, dignanter occurrit, non quæsita liberaliter assignatur. Non est quid retribuam Domino meo, pro omnibus quæ retribuit mihi. Quia sicut vestra sublimitas seruituris nostræ pertunctione non indiget, nec subsidijs infirmioribus augmentatur; sic amoris mei fidelis oblatio, nullos in se recessus inuenit, nullos omninò sinus, nulla reclinatoria, in quę possit circà personam vestram suæ charitatis dilatare progressum: quia vasi pleno si quid infundis, effunditur; & perfectionis non habuit gratiam, cui potuit accedere quod minus habuerat. Meus autem amor sic ab initio circà excellentiam vestram totus incanduit, vt apud se non inueniat exedram quâ possit integritatis suæ plenitudinem dilatare. Cum ergò sit diues animus, mendica facultas, & magnificentia vestra vilibus non adiuuetur impendijs, cum non sit ad manum, quod sit est in retributionis obsequio, cælestis misericordiæ inferam thesauris, vestræ visitationis tam beneuolum gratumque beneficium, vt pro me retribuat vobis Dominus. Dominus misericordia mea in sæculum, & opus manuum vestrarum benignè respiciat, ego autem iuuabo semper, & obsequar, & quamdiù spiritus hos reget artus, à magnificentiæ pedibus non auellar. Rogo igitur excellentiam vestram, vt recurrente indiculo, me certificare dignemini, vbi & quandò vestra possit assignari præsentiæ, quem designastis ex nomine. Sinceritatem vestram conseruet semper & augeat diuina Clementia.

EPISTOLA XII.

Ad Abbatem S. Michaëlis.

Rogat, vt Fratrem Prioris Fusniacensis velit continuare in sua villicatione. (b)

DIlecto in Christo Patri, Amico, & Domino B. Dei gratiâ S. Michaelis Abbati, Fr. Philippus de Eleemosyna, salutem & sinceræ dilectionis obsequium. Ad suum referri debet vniuersũ principium, & originis suæ similitudinem conuenienter in omnibus exhibere. Pater est misericordiarum, & totius consolationis Deus,

(a) *Erat hic Archiepiscopus, Henricus, Claraeuallensis Monachus, Fr. Regis Galliæ.* (b) *Fusniacum, Ord. Cisterc. Abbatia est in Campania.*

Deus, qui nos ministerij sui facit esse participes, & miserationum suarum præbet imitabilem nobis, & vtilem prærogat abundantiam. Cui cum sit proprium misereri semper & parcere, nos qui vicem eius in terris obtinemus, misericordiam debemus superexaltare iudicio, & gratiam in his qui voluntariè se & sua misericordiæ vestræ subijcere non sunt aduersati. Sicut enim contumacibus vltio iure est inferenda, sic est humilibus gratia conferenda. Non est à sinu misericordiæ separandus, qui ad illum in spe remissionis piâ humilitate confugit. Indè est, quod beneuolentiæ vestræ supplicamus, vt pro amore Dei & vestro, *Fratrem Prioris Fusniacensis* piâ subuentione releuare dignemini, vt villicationis suæ statum quem in manu misericordiæ vestræ deposuit, assentiatis ei misericorditer reparare: Quem si apud vos rumor ex incertis collectus accusat, vel suspicio malitiæ comes inflammat, vel inuidiæ damnabilis zelus ardenter insimulat, debet tamen pietas excusare, & sapientia examinare consilia, & non citò ad falsa, facili credulitate delabi. Porrò, cum scriptum sit, quia *omnis controuersiæ finis est Sacramentum*, & ipse vobis illud offert ad innocentiæ signum, inter vestram & ipsius conscientiam, debet assidere medius radius charitatis, qui inter Prælatum & subditum nouum copulet gratiæ nodum, dum vos exonerat, & illum plenius obligat suscepta remissio. Cum enim Dominus dicat, *Sit sermo vester, est, est, non, non, quod autem abundantius est, à malo est*; non iurantis, sed non credentis argui videtur intentio: cum ille qui iuramentum parat, suam purgationem operetur; ille indignationem fouere, iræ satisfacere videatur. Honestius ergò est Vicario Christi, & vtilius, misericorditer indulgere, quam pertinaciter exigere Sacramentum, quia de indulgentiâ merces acquiritur, & de exactione transgressio. Rogamus igitur & obsecramus, humilitate quâ possumus, vt plenam ei indulgentiam faciatis, & de restitutione villicationis, & de indulgentiâ Sacramenti. Parati erimus cum gratiarum actione rependere vicem, si tempus occurrerit, & vestra nobis dignatio iniungere voluerit.

EPISTOLA XIII.

Ad Abbatem Lætiensem.

Scribit se in suâ Bibliothecâ reperisse plura opera S. Augustini, quæ Lætijs non habebantur, eaque copiandæ offert.

RArissimo Domino, & amico præcordiali, Dei gratiâ Lætiensi Abbati Fr. *Philippus de Claravalle*, (a) nouam in Christo creaturam, in nouitate Spiritus ambulare. Non paruum m[illegible] gaudium parat, quod audio & scio vos sa[illegible] litteris assuetum, & Sanctorum Patrum i[illegible]nia reuoluere, quos in authoritatis arce [illegible] Ecclesia reposuit & euexit. Cum autem in [illegible] sit vndè hauriamus à quibus audiamus, in [illegible]bus legamus sententiarum censoriam gra[illegible]tem, vernantis eloquij iucundissimum n[illegible]rem, auream morum venustatem; superex[illegible] (b) Pater Augustinus, sapientia singula[illegible]s, limis ingenio, verbis affluens, opere circu[illegible]ctus. Ipse est enim cælestis fistula, & fa[illegible] Sancti Spiritus organum, de cuius, & [illegible] pectore, Deus Maiestatis intonuit, ad [illegible]tandum Iudæos, ad refellendum Philos[illegible], ad hæreticos expellendum in manu fort[illegible] brachio extento. De operibus eius quæ vo[illegible] habetis, inuenimus apud nos, libros q[illegible], videlicet, *Annotationes in Iob*, *contra Felicem* [illegible]*chæum*, *contra Pelagium*, *& Cælestium*, *contra duas epistolas Pelagij*. Et quidem non fuit negligentia mea, sed commeantium raritas, quod hæc [illegible] dilectioni vestræ significare non potui, sed [illegible] hæc volumina de quibus scribo, magnorum voluminum

(a) *Vocat se, de Claravalle, quia ibidem professus, & Prior erat.* (b) *S. Augustini Encomium.*

lumina de quibus scribo, magnorum voluminum corporibus inserta sunt, ita vt disiungi non possint, nec vobis mitti: consilium autem nostrum est, vt si eos alibi recuperare non potestis, & omninò vultis habere, nobis Scriptorem & membranas transmittatis, vt fiat voluntas vestra. Ego autem vester sum, & vester ero quamdiu fuero, in visceribus Iesu Christi. Valete, & orate pro me.

Epistola XIV.

Ad Abbatem Elnonensem.

Excusat se ex incommoditate itineris & hyemis, quod tam citò ad eum venire non possit.

Dilecto in Christo Patri, I. Dei gratiâ venerando Elnonensis Monasterij Abbati, Fr. Philippus modicum id quod est. Non longè causa diffidet ab effectu, vbi & liberè voluntas imperat, & facultas obedienter obsequitur quod votum postulantis expectat. Ad obsequium vestrum, me & familiaris excitat fauor, quo personam vestram sincero complector affectu, & antiquæ dilectionis speciâlis gratia cohortatur, qua locum cui, Deo authore præsidetis, non quidem singulariter, sed præ cæteris diligo & veneror. Vnum indè est quod charitati vestræ significo, quod ad vestrum sum paratus arbitrium, si quod mandaris facere disponitis; sed cum perfectioni resistat brumalis asperitas, vtilius mihi videtur, & aptius, differre quod intenditis, donec hyemalis rigor adscendente Sole mitius intepescat, & dierum cursus productior sit, & commodior ad viandum. Ego autem iterum vbicunque expedire nouero, pro vobis ero solicitus. Si autem vobis aliter placet, recurrente Nuntio, perdocete quid facere me velitis, paratus sum enim sequi vestræ demandationis editum.

Epistola XV.

Ad eundem.

Antiquam renouat amicitiam, & obsequium addicit.

Torpentes affectus proposita mouet occasio, & iacentes erigit in profectum. Profectus est amicitiæ, manens inter amicos nexus indiuiduus animorum, & ministra iucunditatis, altrinsecus deuota memoria; deuotionis & obsequij vestri cura, Personam vestram vnit cordi meo, iugis aspectus & status vester, semper contubernalis meus est, & incola pectoris mei. Occasione igitur sumpta per præsentiam Latoris præsentium, scribere dignum duxi charitati vestræ, vt & continentia nostra vobis innotesceret, & si quid esset apud nos quod pro vobis nostrâ operâ indigeret, transmissæ relationis pateret indicio. Nos enim corde bono & animo dolenti, sicut decet & dignum est, ad obsequium vestrum parati sumus, & promptum voluntati vestræ spondemus officium. Dominum Priorem sanctumque conuentum ore vestro & spiritu nostro salutamus.

Epistola XVI.

Ad Thomam Cantuariensem Archiepiscopum. (a)

Commendat illi communem illorum Amicum, ob labores eximios pro ipso exantlatos.

Reuerendo in Christo Patri & Domino, Thomæ, Dei gratiâ, venerabili Cantuariensium Archi-episcopo, Fr. Philipus de eleemosynâ,

(a) *Author in Anglia notus, propter monasteria à se ibidem fundata vt in præfatione vidimus.*

mosynâ, & Fr. L. de Curiâ Dei, salutẽ, (a) & sinceræ dilectionis affectum. A nostris vtilitatibus non recedit, quod vtiliter accescit vsibus Amicorum. Hoc habet amicitia proprium, vt sit ei suauis & iucunda possessio, quidquid à suis possessoribus possidetur. In sinum gratiæ vestræ dilatato corde, & affectu prompto, Magistrum Girardum benignius collegistis; vicissitudinem quam potuit, retulit amicus, fidelis inuentus est, factus est strenuus propugnator iustitiæ vestræ, & operum vestrorum præconator eximius: nec sibi pepercit nec suis, vt vobis proficeret, & totum se vestris sic impendit vsibus, & gratiam rependit pro gratiâ, vt nihil sibi lætum proponeret, nisi quod honori vestro militaret & nomini. Si à fructu magno circa vos fidelem eius operam torrens iniquitatis absorbuit, non est minori dignus amplexu, si quod voluit implere, non valuit; quia quantum potuit vtilis esse non destitit. Nunc igitur, si in conspectu Principis illius, magnorum suffragantibus meritis, pacem potuit inuenire, esse non debet à cordis vestri conspectibus alienum, sed, vt credimus, in mente vestrâ debet florere cum gratiâ, si apud eum gratiam receperit, cum quo familiarius & fidelius, honoris & pacis vestræ possit inire commercium. Qui enim amicus est, omni tempore diligit, & amicitia certa nullâ vi, nullâ necessitate excluditur. Rogamus igitur dilectam nobis in Christo charitatem V.am & beneuola persuasione consulimus, vt fideli vestro nullius conditionis opponatur dura necessitas, quia sicut ait Ouidius: *Lenis alit flammas, grandior aura necat.* Et æterna sapientia quæ attingit à fine vsque ad finem fortiter, suauiter disponens omnia & cum magnâ reuerentiâ disponit nos. Benè valeat semper in Domino, vestra sinceritas.

(a) *Curia Dei, Ord. Cisterc. Abbatia, de qua suprà.*

EPISTOLA XVII.

Ad Consanguineum suum Dionysium.

Hortatur illum ad pietatem, & virtutes Parentum, & quorundam consanguineorum, nominatim, Abbatis Elnonensis, Auunculi sui.

Dilecto consanguineo suo Dionysio, Fr. Philippus de Eleemosynâ, salutem in eo qui salus est. Qui maiorum virtutem miratur & gloriam, non inutiliter gloriatur, si mores & vitam studeat imitari. Supervacuè quidem de suorum sibi splendore blanditur, qui defectus sui tenebras oculis ingerit aliorum. Paterna namque gloria nos reddit inglorios, cum ab eius vestigijs dissimilitudine resilimus. Habes domestica pietatis & virtutis exempla, quæ tibi peperit ordinis & sanguinis venusta complexio, quæ itineranti lumen, operanti formam, negotianti poterunt afferre salarium, negotium dico, non quod perambulat in tenebris, sed quo bona quæritur margarita, distractæ possessionis emenda commercio. Elnonensis Monasterij Pater Frater tuæ Matris, sanctus ille Absolon fuit, qui te à lacte Matris auulsum, primis extulit elementis, & regularis disciplinæ præparauit obsequijs. Hic tibi quotidianus institutor occurrat, actus ordinet, componat affectus, sermones condiat, opera moderetur, & ad omne quod agis, comes & monitor assideat. Non errabis, si conuersationis eius, & operum formam studeas fidelis Peripateticus imitari: si aliter incedis, excedis, & tanto Patri, generi nostro, & indoli tuæ facis iniuriam. Salutat te dilectus Filius noster, Fr. Albertus, consanguineus tuus.

EPISTO-

EPISTOLA XVIII.

Ad Stephanum Meldensem Episcopum.

Rogat conferri Beneficium Ecclesiasticum Fratri cuiusdam Monachi Claravallis.

Dilecto in Christo Patri & Domino, Stephano, Dei gratiâ Meldensi Episcopo, Fr. Philippus de Eleemosynâ, salutem & sincere dilectionis affectum. Quod stabilem possidet animus noster de vestrâ benignitate fiduciam, non est iactatio meriti, sed vestræ dignationis occursus, familiaritas prompta, iucunda serenitas, alloquium dulce, liberalitatis officiosæ comis oblatio, parabilis gratiæ signum præstat, & confidentiæ nutrimentum. Sic animus noster. Sic animus noster ad æstimationis suæ lineam, deuotionis suæ format affectus, & amoris figurat imaginem; vt qualem iudicat amicum, tali se sibi vinculo gaudeat alligari. De vestrâ igitur sinceritate præsumens, supplicatione quâ possum, preces vestræ porrigo charitati, vt cuiusdam Fratris nostri, (a) fratrem carnalem, bonæ indolis adolescentem, beneficio sublevetis ecclesiastico, & studium eius vberi misericordiâ subleuetis. Scire vultis quis ille est, Religiosi viri & honesti Fratris Huberti Claræuallensis Monachi Frater est, Adam vocatur, in Episcopatu vestro natus & renatus, bonarum artium & partium ciuis, dignus (vt credimus) qui piæ subuentionis gratiâ fulciatur. Ad manum est quod sat est Ecclesia Sanctæ Ciliniæ, & Ecclesia de Aciaco, in manu vestrâ sunt, absque Pastore; sufficeret vna pauperi vestro, si benevolentiæ vestræ pietas assentiret. Non illi metas ponimus, aut edictum, sed sicut benevolentiæ vestræ placuerit, petitioni nostræ precum gratiâ præstetur effectus. Quidquid illi pro amore Dei & nostro feceritis, nobis factum reputabimus, excellentiæ vestræ gratius & arctius obligati. Vale.

EPISTOLA XIX.

Ad Henricum Anglorum Regem.

Petit reædificationem duorum Monasteriorum Ordinis Cisterc. Forda, & Stanleia.

Illustri Domino, & in Christo plurimum dilecto, Henrico, Dei gratiâ, glorioso Anglorum Regi, Fr. Philippus de Eleemosynâ feliciter in præsenti, & in æternum regnare felicius. Regia constitutio virtutis debet esse stabile firmamentum. Quia nec sapientiæ potentia, nec leuitas congruit maiestati. De vestræ pietatis & maternæ deuotionis affectu, geminum lumen in Angliâ cæperat emicare, & duobus monasterijs statio congrua parabatur. Fraudis erugo & inuidiæ tinea demolitur, quod honestatis & iustitiæ laudanda produxit intentio, & in ecclypsim luminosa propositio demigrauit. (b) *Forda* dissipata est, *Stanleia* non proficit, & ex duobus factâ confusione, pietatem violat, gratiam non meretur. Solemnis binarius in tenebrosam Monadem commeauit; & vna ex duobus integris nata corruptio, nomini vestro non militat, vtilitatibus non inseruit, non proficit ad salutem. Combinatio hæc votum non implet, promissum non soluit, non auget meritum, non assidet æquitati, dissipat vnitatem. Combinatio hæc, dissensiones parit, disciplinam non redolet, dissentit ab Ordine, propositi vestri iacturam promouet, beneuolentiæ germinat detrimentum. Non habet hæc mixtura Myrræ & Aloës libras centum, sed cum vili passere venit dipondio, & in exteriores tenebras abijci promeretur. Qui mem-

(a) *Fratrem suum vocat Monachum Claravallensem.* (b) *Forda & Stanleia, Agliæ cænobia, Filiæ sunt Cænobij de Eleemosyna.*

membra Christi colligit, & fidelibus eius domicilia præparat vnitatis, eius militat sapientiæ, cuius in opere suo sortiri debet imaginem. Perfectionem de numero colligat, de speciebus condimentum teneat & odorem. Fidele opus quod meretur exemplum, quod præconio dignum est, quod fructu vbere consummatur. Deuotè Christum sepelit, qui taliter eius obsequio suam temperat actionem: qui autem secus operatur, offendit; Æstimatio pretium rebus affigit, & suis meritis vel accidentia placent, vel diffidentia reprobantur: naturalis autem appetitus semper ad vtiliora se subrigit, & minus appetitur, quod se minus vsui repræsentat. Probet proinde Sapientis intentio, quid sedeat felicius, vtiliusue respondeat, offensam de combinatio ne sortiri, vel de primæ constitutionis origine seruata, meritum reportare. Præter æquum & bonum contracta matrimonia dissoluuntur, contra leges publicas inita pactio non perducat, tenorem non obtinet ordinis, quod extraordinariè dispensatur; & in Ordine nostro sancitum est, ne petita obtineat, qui à quolibet contra Ordinem postularet. duobus inniti vestigijs, duobus regi luminibus humana corpora, natura disponit, si duo hæc confundantur in vnum, mutilitas & abusio Regnum naturalis ordinis occupabunt. Si gemina cæli luminaria in insolitam co nueniant vnionem, deformitatem suam tota rerum machina deplorabit, & dispositio temporum solita moderatione priuabitur.

(a) Duo cœperunt institui monasteria, sed fœcunditatem germinis, baratrum cupiditatis absorbuit. Quod cupiditas, & circumventio parturiuit, habebit cum gladio Salomonis exterminium, & quæ mater eius voluit esse quem non genuit, discet à Rege quem elegit Dominus, & in aliam messem non mittere falcem suã.

In gazophilacium pietatis, præsente Domino, multi multa iactauerunt, sed fidelis vidua plus omnibus misit, quæ duo minuta disposuit. Duo minuta sunt, fides & humilitas, in quibus sanctificationem recipit, quidquid in templi donarijs exhibetur duo minuta sint vobis duo loca prædicta, quæ à vobis Domino fideliter & humiliter offerantur. Quod fundamento caret, non placet Domino, nec proficit offerenti, maioris gloriæ fructus. Vberioris & vtilioris est operæ, duo cum pace fundare monasteria, q[illegible] vnum sine ordine & pace compingere. Dignius multò & commodius, & salubre quamp[illegible]mum, vt in duobus choris nomini diuino g[illegible]tiarum actio resonet, & vox laudis, & pro [illegible] vestro celebris intercessio persoluatur, q[illegible] si muneris huius in locum vnum contracta p[illegible]functio, nec diuinæ laudis, nec supplicati[illegible] dignæ pro vobis offerat holocaustum. No[illegible] enim inter discordes habitat Spiritus San[illegible], nec probat in obsequio fraudulentos. Qui [illegible]tem nos fraudauit, iudicium suum po[illegible] quicunque est ille. In qua fraude non [illegible] quam paruitas nostra, & læsa, & delusa [illegible] vestræ pia sedulitas, quæ etsi rectè obtul[illegible]r, [illegible] tamen rectè diuisit, quia & in damnum c[illegible]tatis inutiliter benè diuisa coniunxit. Co[illegible] errorem vestra sedulitas, delictum matris [illegible]leat, prouideat paci, dirigat Ordinis [illegible], Regius honor habeat ex vnctione gra[illegible], [illegible] gladio disciplinam, in corona sapientiam, [illegible] perfectionis circulata fastigio, attingit à fin[illegible] que ad finem fortiter, & disponit om[illegible] [illegible]ter. Benè valeat semper in domino vest[illegible] [illegible]limitas, quam sincero amplector a[illegible], [illegible] minus calet ignis occultus, quam fla[illegible] publicis æstibus euaporans qui aliter dixerit, mendax e[illegible].

EPISTO-

(a) *Forda, & Stanleia.*

EPISTOLA. XX.

Ad Comitem Lyceſtriæ.

Comitem laudat à varijs pietatis & charitatis operibus, eumque in ijs confirmat.

Illuſtri Domino & amico chariſſimo, R. Dei gratiâ, Lyceſtriæ Comiti, Fr. Philippus de Eleemoſynâ, collocari in ſalute cum Principibus populi Dei. Summo conuenit æternoque principio, qui cordis obtinet Principatum; nec eſt homini quidquam glorioſius, quam ad originis ſuæ reſpicere dignitatem, & ſinceritatis eius expreſſa ſimilitudine conſignari. Qui fræ nat iram, moderatur affectus, cupiditatibus imperat, temperat incentiua, vitijs principatur, ordinat cogitatus, ſermones diſponit in iudicio, iudicia format ad Regulam, qui bona prouidet non ſolum coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus; hunc meritò cordis Principem dixerim, hic inſignitur iure principis officio debet & nomine. Hic ab eius ſimilitudine non recedit, qui conſtitutus eſt Iudex viuorum & mortuorum, & Princeps Regum terræ. Rubiginoſum ſpeculum ſinceram non reddit imaginem; à radicis amaritudine dulcedo fructuum non procedit; lineæ rectitudo non curuatur ad angulum. Speculum mentis, opus eſt radice malitiæ tenebroſum, cuius delibatio ſancta erit in executione operis, ſi ſancta fuerit maſſa, in rectitudine intentionis, & in Azimis ſinceritatis, non in fermento malitiæ motus animi dedicatur. Præceptum enim domini lucidum, illuminans oculos, ſi mentis intrat habitaculum, tollit ignorantiæ tenebras, vt Iuſtitiæ Domini rectæ, lætificantes corda, currenti præparent rectitudinem ſemitarum, vt de vultu Domini iudiciū prodiat, & oculi eius videant æquitatem. Qui enim de fermento vult immolare laudem, & ædificat Sion in ſanguinibus, os in cælum ponens, & linguam in terram declinans, curuaturam facile molitur in lineâ, & à planitie tranſit in angulum, vt ad ſordes primæ originis reuoluatur, & capiatur cum Leuiathan hamo, & reus in fine, diſtrictione diuini examinis teneatur. Prætert quidem patientiæ blandimentum miſericors & miſerator dominus, vt ad pænitentiam pertrahat delinquentes, & itam diſſimulat in delictis, vt vaſa iræ apta in interitum, in vaſa electionis reformet, & clementi ſuſtinentia pænitudinis remedia præparet ſceleratis. Quæ ſi neglecta fuerint, theſaurizant iram tranſgreſſoribus in die reuelationis iuſti iudicij Dei, cuius acumine perforatur impius, & ligatur. Qui autem Princeps digna Principe cogitabit, ſedebit cum Principibus, & ſolium gloriæ tenebit, quod præparatur in conſcientia purâ, & fide non fictâ, his qui ſeruant teſtimonium Dei, & memores ſunt mandatorum ipſius, ad faciendum ea. Teſtimonium hoc clarè tibi reſonat, Sereniſſime Princeps, & laus tua hæc in Eccleſia Sanctorum, quam tibi (licet inuita) reddit inuidia, & laudationis manifeſtæ præconio celebrat, quem mordet occultè, quem proſequitur odijs, & amaro ſubſannat affectu. Quid tam ſimile Deo, qui bonorum noſtrorū non eget, quam ſine ſtipendio militare Iuſtitiæ? Commune hoc tibi ô Princeps optime, cum Principibus populi Dei, qui aſſiſtunt Dominatori vniuerſæ terræ, & Principi Principum coniunctiſſimi ſunt: qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & ſe omnibus vtilem reddit, miniſterium probat pietas, exhibet affectio, teſtatur effectus, nec retributio quæritur, cum vniuerſis obſequij gratia multiplex tribuatur. Notabiliter calcas auaritiam, dum excutis manus tuas ab omni munere; ſed gloriam calcare nobilius, quæ procedit de radice ſuperbiæ, & quos inceſſerit, facit ignobiles. Nihil enim eſt ignobilius, quam à Dei gratia ſeparari, qui ſuperbis

perbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Humilitatis profectò tu custos & assecla, certis probas inditijs, quod non altum sapis, sed times, & humiliaris sub potenti manu Dei; & cum & cælestis gratia non desit operibus, nec fauoris humani gloria tibi denegetur quam sic operantis aspicit animus, vt sequenti non hæreat, & à conscientiæ testimonio non recedat, & cum gloriatur, in Domino glorietur, & gloriam non quærat ab hominibus, qui gloriam sui Redemptoris expectat.

Gloriare igitur, serenissime Princeps, in Deo, forti in perpetuum, & in potentia virtutis eius, apud quem est misericordia, & copiosa apud eum redemptio, vt redimat de interitu vitam tuam, & coronet in misericordiâ & miserationibus: quia non redimit eos qui in virtute sua, & in multitudine diuitiarum suarum gloriantur. de reliquo, charissime domine, quod petistis, annuimus, qui tam dilecto, & tam sincerè diligenti, in sua petitione resistere non possumus, nec debemus; cui iure amicitiæ, quod possumus hoc debemus. Ore vestro, & spiritu nostro, dilectam nobis in Christo dominam comitissam plurimum salutate in Domino. Benè valeat in Christo semper vestra dilectio.

Epistola XXI.

Ad Lanselinum de Baugenciaco.

Post multas amicitiæ protestationes, commendat ei tres diuersos amicos suos.

AMantissimo in Christo amico, & Domino Lanselino de Baugenciaco, Fr Philippus, quidquid optari felicius, quidquid potest dulcius obtineri. Nouit ille perspicax diuinæ maiestatis intuitus, qui omnia nouit antequam fiant; quam dulciter in corde meo sedeat, status vestri reuerentia, quam dulcis sit apud me memoria nominis vestri, quam frequens vestræ familiaritatis occursus, quam solennis obsequiorum multiplex exhibitio, quam gratus amicitiæ sinus, quam feruens & singularis affectio; amoris magnitudinem sermonis exiguitas non metitur, & ardor animi non congruè pingitur atramento. Solus qui diligit, potest diligentis inuestigare secretum, & à similibus ad similia penetrare. Quid enim Amanti similius, quam alter Amans? & quid amore validius, qui duo corda glutinat, & compingit in vnum, & habitare facit vnius moris in domo? Hic, absentem corpore facit apud vos frequentius animo commorari, & fructus gratiæ degustare, quos amicitia parturit, alit memoria, benevolentia continet, reuerentia comitatur. Viuit, & conuiuet nostræ dilectionis huius integritas, & à corde meo vestra præsentia non recedet. Quod si ad tempus pro rerum mutatione, disiungimur, animorum nexus indissolubilis perseuerat; non marcescit amicitiæ fructus, qui mutuæ sedulitatis fouetur irriguo, & alternis intercurrentibus obsequijs Amicorum, vicaria sibi repræsentatur affectio. Beneuolam circà nos experimur diligentiam vestram, & gratam suscipimus voluntariæ gratitudinis obsequelam; fouetis amicos, inimicos repellitis, aduersantibus obstaculum, familiaribus præstatis auxilium, & in omnibus voluntatis indiuiduæ, & sinceræ dilectionis exhibetis indicium. In omnibus agimus gratias beneuolentiæ vestræ, & animum nostrum similitudinis huius conformamus accessui, gratiam referentes pro gratia, & amicitiæ legibus obligati. Obsecro igitur benignitatem vestram, vt in nepote meo gratiæ vestræ nitor appareat, & ad honorem vestrum, eum militiæ cingulo promoueatis. Præterea, famulum nostrum Bartholomæum attentius commendo benignitati vestræ, vt eum benigno foueatis consilio, & auxilio subleuetis, & de-

& de debito Euerardi, sicut ex parte nostrâ vobis dixerit, faciatis. Valete.

EPISTOLA XXII.

Ad Philippum Abbatem Præmonstratensem.

Commendat gratia ipsius, quendam communem illorum amicum.

AMantissimo in Christo Patri & Domino, Philippo Dei gratiâ, Præmonstratensis Ecclesiæ Abbati, Fr. Philippus, salutem & dilectionem. Amicorum negotia nostra sunt, & eorum negotijs fidelem debemus affectum. Lator præsentium, charissimus nobis est, & laborem eius nostrum reputamus. Rogamus itaque dilectionem vestram, de qua plurimum confidimus, vt petitionem eius, pro amore Dei & nostro, benignè exaudiatis. Superfluum videtur, ventri sua viscera commendare, & insinuare Paternis affectibus filium diligentem. Habet ordo naturalis hoc proprium, vt suis quisque necessitatibus applicetur, & sibi iunctis refundat prouidæ solicitudinis adiumentum. Tribularer si nescirem misericordiæ pondus, & excellentiæ gratiam quam præstitit Deus habitatoribus pilæ huius, qua grauis præstat vt proficiant, & paleas separat a frumentis. Hoc donum possidet & possedit ab initio munere singulari, vt semper misericordiam superexaltet iudicio, & gloriosius iudicet parcere quam punire, nisi vbi qualitas causæ districte tantum præbuit obsequelam. Prætereà, consulimus, vt petitionem Archiepiscopi pro eo non auertetur vestra benignitas, & quem petitionibus vestris vultis esse propitium, propitiationem alteri pro eius reuerentia dependatis. Rogat vos idem communis Frater noster Albertus, & plurimum salutat. Valete.

EPISTOLA XXIII.

Ad Abbatem Crispiniensem.

Commendat illi negotium quoddam, per præsentium latorem intimandum.

DIlecto in Christo Patri, & amico venerabili, Dei gratia, Crispiniensi Abbati, Fr. Philippus de Eleemosyna, modicum id quod est. Amicitiæ fructus vicissitudo signat obsequij, benigna sedulitas, consiliosus affectus. Sine præiacente merito, recepimus hæc duplicia de manu vestra, & secretario cordis nostri insidet, quod nobis in nostris fecit vestra sinceritas. Condita sunt apud me, & signata in beniuolentiæ thesauris, vt tempore opportuno vestrum germinet iuxta beneplacitum, operis gratiam, bonæ voluntatis occursus, & impetrandi gratiam, paris experta benignitas. Preces iteratas vestræ porrigo charitati, vt negotium pro quo petimus, sicut (a) Fr. Gislebertus vobis intimauerit, benignè & efficaciter adiuuetis. Benè valete semper in domino.

EPISTOLA XXIV.

Ad Theobaldum Blesensium comitem.

Commendat protectioni ipsius, Religiosos & iura Cœnobij de eleemosyna, quod iam resignauerat.

ILlustri Domino & amico, Theobaldo, Dei gratia, Blesensium Comiti, & Franciæ Senescalco, Fr. Philippus, salutem in vero salutari. Laboris & curarum pondere multiplici fatigatus, refugium desideratæ quietis elegi, vt qui mihi supersunt dies, multiplicentur in senecta vberi, & in pace nostra peregrinatio finiatur: Pastora-

(a) Hic monachus erat Cœnobij de eleemosyna, vt patet ex epistola 25.

Pastoralis officij solicitudinem coactus suscepi, voluntarius delero; ditior in paupertatis amplexu, quam in ampla possessione, & negotiorum occupatione, quibus in solicitudine regiminis opprimebar. Diuinæ igitur pietati, & excellentiæ vestræ, (a) Fratres nostros, & totius monasterij iura commendo, benevolentiam vestræ liberalitatis obtestans, vt protectionem & auxilium eis clementius impendatis; quia tota eorum vis emarcuit, nisi benignitatis vestræ foueatur irriguo. Præterea, laborem præsentium, qui strenuè mihi fideliterque seruiuit, benignitati vestræ commendo, vt gratiam apud vos inueniat, & in tempore necessitatis auxilium; nec patiamini eum de debitis quæ habet, in monasterio contra iustitiam fatigari. Benè valete semper in Domino.

Epistola XXV.

Ad conuentum cænobij de eleemosynâ.

Absoluit omnes à sua obedientia, hortaturque eos ad pacem, & electionem Abbatis idonei.

Dilectis in Christo Fratribus, Stephano Subpriori, & toto Conuentui de eleemosyna, Fr. Philippus, in pacis & gaudij plenitudine prosperari. Nemo potest alieni cordis arcana perstringere, nec quis hominis sensum, nisi Spiritus hominis qui in ipso est. Quam cum multipliciter angariatus sit spiritus meus in administratione domus huius, in amaritudine solicitudinis & laborum, in debitorum pondere, in necessarijs, varijsque discursibus, in eorum motu contrario qui promouere prospera debuissent, qui odium retulerunt pro dilectione mea, & & pro deuota solicitudine pressuram; nouit ille creator Spiritus, qui fecit omnem flatum, & omnem spiritum sua circuit & penetrat potestate. Sed hæc prima abierunt, & à cordis mei conspectibus omnis euanuit iniuria, nec in eius amaritudine moratur oculus meus, sed quod vobis in visceribus Iesu Christi cupio, studio promptæ alacritatis insumpsi. dulcis homini requies post laborem, post inediam iucunda refectio, post seruitutis ergastulum, pretiosa & speciosa est libertas. Liber igitur à curæ pastoralis officio, quam inuitus accepi & sustinui laboratus, & voluntarius desero, vos a vinculo vestræ professionis absoluo, bona imprecans, salutaria desiderans, prospera cupiens, & Vniuersitati vestræ pacis & gaudij manipulos affectu piæ charitatis exoptans. Siquid inter vos, vel vobis passus sum, diuinæ ad cribo iustitiæ, & peccatis meis imputo: illis à quibus passus [illegible] refero cum indulgentia gratiam, & munus [illegible] tionis exhibeo. Vnum pero à charitate ve[illegible] domui vestræ fideliter & strenuè prouide[illegible] ne talis ingrediatur, qui pondus potius a[illegible] quam leuamen, & pro gratiæ fructu, sem[illegible] ceat odiorum, & fiant nouissima mon[illegible] huius peiora prioribus. Valete.

Indulgete si quid aduersum vos minus [illegible] denter excessi, & orantem pro vobis, v[illegible] orationibus adiuuate. Hoc ipsum rogat Fr. Al[illegible] bertus, & plurimum salutat. Spiritus con[illegible] pacis sit cum omnibus vobis. Amen. Fratrem Gislebertum, socium nostrum vnanime[illegible] & sincerè dilectum in Christo, charitati vestræ commendo plurimum, & ipsum rogo sem[illegible] vobiscum vnitatem spiritus in vinculo pacis.

Finis Epistolarum Philippi Abbatis de Eleemosyna.

EPIS-

(a) Theobaldus Comes Blesensis Cœnobium Eleemosynæ fundauerat.

EPISTOLÆ III.

Eugenij huius nominis tertij, Romani Pontificis, ex memorato codice M.S. S. Amandi collectæ, & nunc primum in lucem productæ.

EPISTOLA I.

Ad Tornacenses.

De constitutione noui Episcopi Tornacensis, & separatione eiusdem Episcopatus, à Nouiomensi.

EVgenius Episcopus, seruus seruorum Dei, dilectissimis Filijs, Clero & populo Tornacensi salutem, & Apostolicam benedictionem. Tornacensis ecclesia in proprij Pastoris absentiâ à longis retrò temporibus plurimum laborauit, & sicut multorum Religiosorum, & discretorum Virorum attestatione cognouimus, tam animarum quam corporum damna plurima, & grauia detrimenta sustinuit. Audiuimus enim, multa millia hominum in eodem Episcopatu, qui Episcopum nunquam viderunt, sed quasi Episcopum nō habentes, absque vlla sacri chrismatis vnctione (quam fideles contra diaboli insidias pugnaturi per manus Episcoporum suscipiunt) de præsenti sæculo migrasse. Vndè nos officij nostri debito, & multorum Religiosorum de partibus vestris, crebris exhortationibus prouocati, & charitatis zelo succensi, tantis malis occurrere, domino Authore, decreuimus; atque Fratrum nostrorum communicato consilio, dilectum Filium nostrum, Anselmum Abbatem Sancti Vincentij Laudunensis (Spiritus Sancti gratia inuocata) vobis in Episcopum consecrauimus. Eundem itaque cum gratia Sedis Apostolicæ, & litterarum nostrarum prosecutione, ad vos remittentes, per Apostolica scripta Vniuersitatem vestram rogamus, monemus, atque præcipimus, quatenus ipsum reuerenter suscipiatis, diligatis, & honoretis, eique tanquam proprio Pastori, & animarum vestrarum Episcopo, obedientiam ac reuerentiam humiliter exhibeatis. Nos autem illos qui occasione Episcopatus Tornacensis, Fratri nostro, S. Nouiomensi Episcopo, sacramento vel fidelitate, seu obedientiâ adstricti sunt, ab eadem fidelitate, & iuramento, vel obedientiâ, Apostolicâ authoritate absoluimus: & vt præfato Fratri nostro Anselmo Episcopo, eadem fidelitate & obedientia teneantur, præcipimus. Si quis autem ei rebellis & inobediens esse præsumpserit, sententiam quam idem Frater noster Episcopus canonicè in eum promulgauerit, nos, authore domino, ratam habebimus. Data trans Tyberim, Idibus Martij.

EPISTOLA II.

Ad Ludouicum Regem Francorum, de eadem re.

EVgenius Episcopus, Seruus Seruorum Dei, charissimo in Christo Filio, Ludouico illustri Francorum Regi, salutem & Apostolicam benedictionem. Oportet nos pro his qui nostro Regimini, disponente domino, commissi sunt, solicitos esse, & de ipsorum salute, tanquam de nostra propria cogitare. In extremo namque examine, si circà illorum salutem negligētes fuerimus, reddituri sumus pro ipsis domino rationem. Tornacensis ecclesia, sicut te ignorare non credimus, à longis retrò temporibus, proprio Pastore caruisse dignoscitur. Vndè, sicut multorum Religiosorum, & discretorum Virorum veridica relatione cognouimus, præter alia detrimenta, multa millia hominum, absque vlla sacri chrismatis vnctione, quam fideles contra diaboli insidias pugnaturi, per manus Episcoporum suscipiunt, de præ-

ſenti ſæculo migrauerunt; & tam his quam alijs diuerſis modis, tam animarum quam corporum in eodem Epiſcopatu, propter proprij Paſtoris abſentiam, damna plurima prouenerunt.

Ideoque & nobis, & ipſis prouidere volentes, tantis malis occurrere, domino authore, decreuimus, atque dilectum Filium noſtrum Anſelmum Sancti Vincentij Laudunenſis Abbatem, Spiritus Sancti gratiâ inuocata, in Tornacenſem Epiſcopum conſecrauimus. Quod ad magnum Regni tibi à Deo commiſſi, & coronæ tuæ incrementum credimus prouenturum. Monemus itaque Nobilitatem tuam & exhortamur in Domino, vt nullius praua ſuggeſtio cor tuum ſuper hoc moueat, ſed quod pro tanta neceſſitate, & tot millium hominum ſalute factum eſt, hilari vultu, & læto animo ſuſcipias, & eundem Epiſcopum, pro Beati Petri, & noſtrâ reuerentiâ, magnitudinis tuæ conſilio, & auxilio iuuare, & manu tenere ſtudeas. Quidquid enim honoris & beneficij à tua liberalitate ſibi exhibitum fuerit, nobis adſcribemus. Data Tranſtyberim, Idibus Martij.

Epistola III.

Ad eundem Francorum Regem, & Principes Galliæ, pro expeditione in terram Sanctam.

EVgenius, Seruus Seruorum Dei, chariſſimo in Filio, Ludouico, illuſtri & glorioſo Francorũ Regi, & dilectis Principibus, Filijs, & Vniuerſis Dei Fidelibus per Galliam conſtitutis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quantum Prædeceſſores noſtri Romani Pontifices, pro liberatione Orientalis Eccleſiæ laborauerint antiqua relatione didicimus, & in geſtis eorum ſcriptum reperimus. Prædeceſſor etenim noſter felicis memoriæ Papa Vrbanus, tanquã tuba cæleſtis intonuit, & ad ipſius deliberationem, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Filios, de diuerſis mundi partibus ſollicitare curauit. Ad ipſius ſiquidem vocem, vltra montani, &, præcipuè Francorum Regni fortiſſimi & ſtrenui bellatores; & illi etiam de Italia charitatis ardore ſuccenſi, venerunt, & maximo congregato exercitu, non ſine magna proprij ſanguinis effuſione, diuino eos auxilio comitante, ciuitatem illam in qua Saluator noſter pro nobis pati voluit, & glorioſum ſepulchrum illius, quod paſſionis ſuæ nobis memoriale dimiſit; & quamplures alias Vrbes, quas, prolixitatem vitantes, memorare ſuperſedemus, à Paganorum ſpurcitiâ liberauerunt. Quæ per gratiam Dei, & Patrum noſtrorum ſtudium, qui per temporum interualla eas defendere, & Chriſtianum nomen in partibus illis dilatare pro viribus ſtuduerunt, vſque ad noſtra tempora à Chriſtianis detentæ ſunt, & aliæ Vrbes infidelium ab ipſis viriliter expugnatæ: nunc autem noſtris, & ipſius populi exigentibus peccatis (quod ſine magno dolore & gemitu proferre non poſſumus) Ediſſa ciuitas, quæ noſtrâ linguâ Roais dicitur, quæ etiam, vt fertur, cum quondam in Oriente tota terra à Paganis detineretur, ipſa ſola ſub Chriſtianorum poteſtate, domino ſeruiebat, ab inimicis crucis Chriſti capta eſt, & multa caſtella Chriſtianorum ab ipſis occupata: ipſius quoque ciuitatis Archiepiſcopus cum Clericis ſuis, & multi alij Chriſtiani ibidem interfecti ſunt, & Sanctorum Reliquiæ in infidelium conculcationem datæ ſunt, & diſpertæ. In quo, quantum Eccleſiæ Dei & toti Chriſtianitati periculum immineat, & nos cognoſcimus, & prudentiam veſtram latere non credimus. Maximum namque Nobilitatis & probitatis iudicium fore cognoſcitur, ſi ea quæ Patrum ſtrenuitas acquiſiuit, à nobis Filijs ſtrenuè defendantur. Verumtamen ſi, quod abſit, ſecus contigerit, Patrum fortitudo in Filijs immutata probatur. Vniuerſitatem itaque veſtrã

in

in Domino commonemus, rogamus, atque præcipimus, & in peccatorum remiſſionem iniungimus, vt qui Dei ſunt, & maximè potentiores & Nobiles, viriliter accingantur, vt infidelium multitudini, quæ ſe tempus victoriæ ſuper nos adeptam lætatur: ſi occurrere, & Eccleſiam orientalem tantâ Patrum Veſtrorum (vt prædiximus) ſanguinis effuſione, ab eorum tyrannide liberatam, ita defendere, & multa captiuorum millia Confratrum noſtrorum & veſtrorum, de ipſorum manibus eripere ſtudeatis, vt Chriſtiani nominis quæ per vniuerſum mundum laudatur, integra & illibata ſeruetur gloria. Sit vobis etiam in exemplum, bonus ille Vir Matathias, qui pro paternis legibus conſeruandis. ſeipſum cum Filijs & Parentibus ſuis morti exponere, & quidquid in mundo poſſidebat, relinquere nullatenus dubitauit: atque tandem diuino cooperante auxilio, per multos tamen labores, tam ipſe quam ſua progenies de inimicis viriliter triumphauit. Nos autem veſtræ quieti & eiuſdem Eccleſiæ reſtitutioni paternâ ſolicitudine prouidentes, illis qui tam ſanctum, tamque neceſſarium opus & laborem deuotionis inſtinctu ſuſcipere & perficere decreuerunt, illam peccatorum remiſſionem, quam præfatus Prædeceſſor noſter Papa Vrbanus instituit, authoritate nobis à Deo conceſſa, concedimus & confirmamus, atque Vxores & Filios eorum, bona quoque & poſſeſſiones, ſub noſtrâ & ſanctæ eccleſiæ, ac etiam aliorum Archi-epiſcoporum, & Prælatorum Eccleſiæ Dei protectione manere decreuimus. Authoritate etiam Apoſtolicâ prohibemus, vt de omnibus quæ, cum crucem acceperunt, quietè poſſederunt, nulla deinceps quæſtio moueatur, donec de ipſorum reditu, vel obitu certiſſimè cognoſcatur. Præterea, quoniam illi qui domino militant, nequaquam in veſtibus pretioſis, nec cultu formæ, nec canibus, vel accipitribus, vel alijs quæ portendant laſciuiam, debent intendere, prudentiam veſtram in domino commonemus, vt qui tam ſanctum opus incipere decreuerint, ad hoc non intendant, ſed in armis, equis, & cæteris quibus infideles expugnentur, totis viribus ſtudium & diligentiam ſuam adhibeant. Peccatorum remiſſionem, & abſolutionem, iuxta præfati Prædeceſſoris noſtri inſtitutionem, omnipotentis Dei, & Beati Petri Apoſtolorum Principis authoritate nobis à Deo conceſſa, talem concedimus, vt qui tam ſanctum iter deuotè inceperit, & perfecerit, ſiue ibidem mortuus fuerit, de omnibus peccatis ſuis, quibus corde contrito & humiliato confeſſionem ſuſceperit, abſolutionem obtineat, & ſempiternæ retributionis fructum, ab omnium bonorum remuneratore percipiat. Amen.

FINIS.

CHRONOLOGIA ANTIQVISSIMA MONASTERIORVM ORDINIS CISTERCIENSIS

A QVADRINGENTIS (ET QVOD EXCVRRIT) ANNIS CONCINNATA,

EX PERVETVSTO DVNENSIS BIBLIOTHECAE CODICE ERVTA,

ET

Certioribus aliarum aliquot Abbatiarum monumentis ſuppleta,

PER

R. D. CAROLVM DE VISCH,
Religioſum ac Priorem de Dunis.

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

PRÆMONITVM te velim (candide Lector) maximam esse discrepantiam inter scriptores ordinis, & diuersorum monasteriorum chronologias, siue manuscriptas tabulas, quoad annos fundationum monasteriorum ordinis, maximè aliquot immediatè sequentium Morimundum. Plures chronologiæ, inter quas etiam Cisterciensis (provt nuper edita est per Reuerendum admodum D. Gasparem Iongelinum) anno 1117, nullam Abbatiam fundatam referunt; sed anno 1118. 1. omnium ponunt Prulliacum, 2. Curiam Dei, 3. Bonam vallem, 4. Sauigniacum, 5. Abbatiam 3. Fontium & 6. Alia antiquior ordinis chronologia (quam in Annalibus suis annuatim producit Reuerendissimus Angelus Manriquez Pacis Augustæ Episcopus) Bonam-vallam reijciens in annum 1119. eidem anno integro præponit cæteras quatuor. Ipse Manriquez, Bonam-vallem scribit inceptam anno 1117. perfectam verò 1118. Quo anno etiam fundata putat, Prulliacum, Curiam Dei, Tres Fontes, & Fontanetum. Carpit autem chronologias & authores omnes, ad hunc annum etiam Sauigniacum referentes, nominatim (ad annum 1118. cap. 2. numeris 7. & 8.) acriter inuehitur in antiquam ordinis chronologiam, quam tot ferè dicit scatere erroribus, quot annos signat. Quæ censura tametsi æquo rigidior videatur, reuerà tamen negari non potest, eandem chronologiam in multis esse erroneam, provt etiam est illa, quam vulgauit Iongelinus, vt facillimè curiosus lector deprehendet. Specialiter autem quoad Sauigniacum immeritò reprehendi censeo illos, qui illud referunt ad annum 1117. aut saltem 1118. Quandoquidem vel ipso Manrique teste, tomo 2. Annalium, ad annum 1148. cap. 7. cum R. Serlo Sauigniacensis Abbas, coram Eugenio 3. Pontifice in capitulo generali Cistercij, monasterium suum cum tota filiatione ipsius (quæ triginta constabat monasterijs) Diuo Bernardo tradidisset; tantum à capitulo ipso generali, & Pontifice, grauitati congregationis huius delatum fuit vt Sauigniacum, Caput congregationis, præponeretur omnibus filiabus Claræuallis. Cætera quoque monasteria eiusdem filiationis, attenta antiquitate fundationis, eorumque celebritate, hinc indè permiscerentur alijs monasterijs ordinis; atque ita, secundum permixtionem tunc factam, imposterum singula monasteria fundata censerentur. His consonat N. Eximius Dominus Matthæus Pillaert, ex religioso Dunensi, & S. Theol. Doctore, Abbas Claræuallis 36. in Speculo suo ordinis Cisterc. lib. 2. cap. 22. Simile prælationis priuilegium alia quoque celebriora monasteria consecuta sunt, vt Carracetum in Hispania, Obazina, &c. Hinc cum monasterium 3. Fontium, 1. alias Claræuallis filia, fundatum sit ad minus anno 1118. aut etiam (secundum plurimos non paruæ authoritatis) anno 1117. prudenter in ordinis chronologijs ponitur Sauigniacum anno 1117. aut saltem 1118. Porrò quia chronologia nostra Dunensis Sauigniacum & 3. Fontes referens ad annum 1117. (vt notat etiam Henriquez in Menologio, 23. Aprilis) antiquissima est, vtpotè quæ scripta videtur antè annos quadringentos, & 40. aut 50. quandoquidem non agnoscat vllum monasterium post annum 1188 fundatum, indicauit ab illa non esse recedendum in tanta discrepantia, & confusione reliquarum chronologiarum, & scriptorum ordinis; præsertim cum nostræ etiam consentiat ipse Henriquez, sub finem Fasciculi sui, vbi

recensens

recensens filiationem Claravallis,*expreßis verbis dicit: monasterium 3. Fontium in Diœcesi* Cathalaunensi,*fundatur anno* 1117. *Accedit, non videri valde verisimile. Claram-vallem fuisse triennio sine generatione, cum tamen paßim posteriora monasteria, 2. aut etiam 1. fundationis suæ anno, filias produxerint, vt patet in* Bonavalle, *respectu* Mansiadæ *&c. Atque hæc de* Sauigniaco *&* 3. Fontibus. *Iam quoad* Prulliacum, *&* Curiam Dei, *omnes omninò chronologiæ quas hactenus vidimus, illa referunt ad annum* 1118. *licet* Iongelinus, *posterius hoc monasterium dicat fundatum pridie Kalendas Maij; prius verò solum* 15. *Kalendas Septembris eiusdem anni. Quod si verum esset, videretur* Curia Dei *præferenda* Prulliaco, *quod contra omnes esset authores. Fatetur tamen* Manriquez, Curiæ Dei *initia esse obscura. Nos anno* 1117. *vtrumque monasterium hic collocamus, vtpote antiquius* 3 Fontibus, *saltem ex communi scriptorum calculo, licet non desint chronologiæ quæ* 3. Fontes *præponant* Prulliaco.

Ad Bonam-vallem *quod attinet* Manriquez *suprà, mordicus sustinet referendam ad annum* 1118 *prout etiam refertur in* Chronologia Cisterciensi *apud* Iongelinum; *quibus etiam consentit chronologia nostra* Dunensis, *licet ipse* Iongelinus *in notitia sua abbatiarum, illam scribat fundatam solum anno* 1119. *conformiter antiquæ chronologiæ ordinis, apud* Manriquez *ad eundem annum cap.* 8. *Quoad alia quoque monasteria, hinc inde etiam satis magna est discrepantia Chronologiarum, in annis fundationum, in qua varietate adhærendum etiam duxi antiquissimo nostro exemplari, donec quispiam maiori claritate illud conuincat. Exsistimo autem discrepantiam hanc magna ex parte hinc contigisse,* 1. *quod quidam scriptores & chronologistæ monasteria quædam tunc fundata scripserunt, quando vel fundationes inchoatæ fuerunt, vel loca fundationum, aut etiam prius fundata monasteria, ordini oblata fuerunt; cum tamen alij dictas fundationes referendas iudicauerint ad annum & diem, quibus religiosi ad loca sibi oblata transmißi, eorum poßeßionem adierunt, quod sæpius contigit pluribus mensibus post oblationem.* 2. *potuit & discrepantia aliqua oriri ex insertione (de qua suprà) monasteriorum lineæ* Sauigniacensis, *dum non æquè certò alijs monasterijs innotuit, quo loco singula eorum essent inserenda.* 3. *quia plura reperiuntur monasteria eiusdem nominis, diuersis temporibus, & in diuersis regnis fundata, ex quibus chronologistæ vnum subinde pro alio posuerunt.* 4 *denique, (& forte præcipuè) quod antiquæ ordinis chronologiæ fundationes monasteriorum continentes annos incipiant à mense Aprili, aut circiter, adeò vt* 3. *menses qui apud nos priores sunt, scilicet* Ianuarius, Februarius *&* Martius, *ibidem sint vltimi: quo facto antiqui chronologistæ videntur hic signasse annos, incipiendo à* 1. *fundatione* Cistercij, *id est à* 21. *Martij, vel (cum ipsi essent* Galli*) morem* Gallorum *secuti sunt, qui communiter annos tunc incipiebant, vel à Paschatis die, vel ab Incarnatione Domini,* 25. *Martij, vt referunt* Covarruuias, *tom.* 2. *var. cap.* 12. *&* Bartholomæus Cassanæus. *in catalogo gloriæ mundi, parte* 12. *consid.* 37. *Plurimi autem aliarum prouinciarum scriptores, mensium legitimum ordinem volentes sequi, monasteria quæ in Ianuario, Februario, & Martio fundata legebant, præposuerunt ijs, quæ Aprili, Mayo &c. adscribebantur; cum tamen alij (& melius) illa reiecerint in annum sequentem.* Dunensis *nostra antiqua chronologia, morem communiter sequitur* Gallorum *iam dictum, quem nos proinde hic etiam sequemur.* Vale.

ANNO

ANNO AB INCARNATIONE DOMINI,

Millesimo nonagesimo octauo, 12. Calendas Aprilis, Fundata est Abbatia Cisterciensis, in Burgundia, in Diœcesi Cabilonensi, ex quâ prodierunt sequentia omnia monasteria.

Anni fundationum.	*Abbatia*	*Patria*	*Diœceses.*
ANno Domini 1113. Cal. Iulij.	Abbatia de Firmitate	In Burgundia	Diœc. Cabilonensis.
Anno 1114. prid. Cal. Iunij.	Pontigniacum	In Campaniâ	Antisiodorensis.
Anno 1115.	Claravallis	In Campaniâ	Lingonensis.
Eodem anno.	Morimundus	In Campaniâ	Lingonensis.
Anno 1117.	Prulliacum	In Bria	Senonensis.
Eodem anno	Curia Dei	In Gallia	Aurelianensis.
Eodem anno	Sauigniacum	In Normannia	Abrincensis.
Eodem anno	Abb. 3. Fontium.	In Gallia.	Cathalaunensis.
Anno 1118. 5. Idus Iulij.	Bonavallis	In Delphinatu	Viennensis.
Anno 1119. 5. Cal. Nouembris.	Bonus radius	In Gallia	Antisiodorensis.
4. Cal. Nouembris	Fontenetum	In Burgundia	Eduensis.
3. Idus Nouembris	Mansiada	In Aluernia	Viuariensis.
Eodem tempore	Caduinum	In Vasconia	Cadurcensis.
11. Cal. Aprilis.	Bellavallis	In Burgundia.	Bisuntinensis.
Anno 1120. 8. Cal. Maij	Dalona	In Gallia	Lemouicensis.
Calendis Maij	De Ciuitatulâ, aliâs, Tilietum	In Italia Insubria	Aquensis.
5. Cal. Iulij	De Eleemosynâ	In Gallia	Carnotensis.
Anno 1121.			

Anni fundationum.	*Abbatiæ*	*Patria*	*Diœceses.*
10. Cal. Maij.	De Crista	In Campania	Lingonensis.
5. Idus Iulij.	Fusniacum	In Gallia	Laudunensis.
Circa idem tempus.	Bonus locus	In Gallia	Lemouicensis.
8. Cal. Octobris.	De Oratorio	In Gallia	Andegauensis.
Anno 1122.			
Prid. Cal. Febr.	Vetus Campus	In Germania	Coloniensis.
Anno 1123.			
10. Cal. Maij	De Bullione	In Vasconia	Lectorensis.
12. Cal. Augusti	Locedium	In Italia	Vercellensis.
Eodem anno	De Gondonio	In Vasconia	Agennensis.
Anno 1124.			
8. Cal. Aprilis.	Lucella	In Germania	Basileensis.
3. Cal. Aprilis	Fons Ioannis	In Gallia	Senouensis.
19. Cal. Decembris	Iouiacum, siue, de Bosco.	In Gallia	Senonensis.
Eodem anno.	Bonavallis.	In Gallia	Pictauiensis.
Anno 1126.			
Idibus Aprilis.	Mons petrosus	In Aluernia	Claromontensis.
8. Cal. Augusti.	De Furneis, seu, Fornessia	In Anglia.	Eboracensis.
Anno 1127.			
Idibus Iulij	Ebracum	In Germania	Herbipolensis.
Eodem die	Igniacum	In Galliâ	Rhemensis.
15. Cal. Octobris	Carracetum	In Hispaniâ	Asturicensis.
Eodem anno	Castancola	In Italia	Parmensis.
Anno 1128.			
8. Idus Iulij	Caladia	In Campania	Virdunensis.
7. Idus Septembris	Rigniacum	In Gallia	Antisiodorensis.
Calendis Nouemb.	Bellus Beccus	In Normannia	Rothomagensis.
Eodem die	Valles Sernay	In Gallia.	Parisiensis.
8. Idus Februarij	Walkenreda	In Thuringia	Moguntinensis.
Anno 1129.			
8. Idus Maij	Locus Regius	In Gallia.	Bituricensis.

5. Cal.

Annus fundationum	*Abbatia*	*Patria*	*Diœceses.*
5. Cal. Octobris	Vallis lucens	In Gallia	Senonensis.
3. Cal. Octobris	Landesium	In Gallia	Bituricensis.
5. Cal. Nouembris	Wauerleya	In Anglia	Wintoniensis.
Eodem die	Chalocerium	In Gallia	Andegauensis.
3. Idus Decembris	Vrsi campus	In Gallia	Nouiomensis.
Anno 1130.	S. Angeli	In Italia	Ciuitatensis.
8. Cal. Augusti.	Fulcardi mons	In Normannia	Rothomagensis.
4. Idus Septembris	Pura Sylua, id est, Begardt	In Britannia	Trecarensis.
Idibus Septembris	Runa	In Styria	Saltzburgensis.
Eodem tempore	S. Marcelli	In Gallia	Cadurcensis.
8. Cal. Nouembris	Nethium	In Anglia	Landauensis.
Calendis Martij	S. Andreæ de Guffer.	In Normannia.	Sagiensis.
12. Cal Aprilis	Bageria.	In Burgundia.	Eduensis.
Eodem anno	Reuna	In Suetia.	Lincopensis.
Eodem anno	S. Pastoris	In Italia.	Reatinensis.
Anno 1131.			
5. Cal. Iulij	Carus locus	In Burgundia	Bisuntinensis.
Eodem die	Nouum Castrum	In Germania.	Argentinensis.
Idibus Iulij	Alnetum	In Normannia	Baiocensis.
8. Cal. Augusti	Eschalleium	In Gallia	Senonensis.
3. Cal. Augusti	Gerbentum, id est, Relec, seu Karler	In Britannia	Leonensis.
Eodem die	Buxeria	In Gallia	Andegauensis.
Nonis Nouembris	Miratorium	In Gallia	Lugdunensis.
Eodem die	S. Andreæ di Sesto	In Italia	Genuensis.
Eodem tempore	Bonus mons	In Sabaudia	Gebennensis.
Item	Tinterna Maior	In Wallia	Meneuensis.
8. Cal. Octobris	Volcoldirode	In Thuringia	Moguntinensis.
Eodem tempore	Cheriacum	In Gallia	Laudunensis.
3. Nonas Martij	Longus pons	In Galli.	Suessionensis.
Eodem die	Rieuallis	In Anglia	Eboracensis.
5. Idus Martij	Aureavallis	In Ducatu Luxemburgico	Treuirensis.
7. Cal. Aprilis	Theolocus, seu Thulleium	In Burgundia	Lingonensis.

Anni fundationum.	*Abbatiæ*	*Patriæ*	*Diœceses.*
Eodem anno	Morerola	In Hispania	Zamortensis.
Anno 1132.			
9.Cal.Maij	De Porta	In Saxonia	Naumburgensis.
Eodem die	S. Ioannis de Tarauca	In Portugallia	Lamacensis.
Eodem die	S.Sulpicij	In Sabaudia	Bellicensis.
5.Cal Maij	Quaretia	In Anglia	Wintoniensis.
6.Cal.Iunij	Sancti Benedicti	In Vepria	Metensis.
4.Nonas Iunij	Clarus Fons	In Burgundia	Bisuntinensis.
6.Cal.Augusti	De Vascellis	In Cameracesio	Cameracensis.
15.Cal.Nouemb.	Sanctus locus.i. Septem Fontium	In Borbonia	Edunensis.
5.Idus Nouembris	De Macerijs	In Burgundia	Cabilonensis.
4.Idus Nouembris	Fontanæ albæ	In Gallia	Turonensis.
3.Cal.Decembris	De Roserijs	In Burgundia	Bisuntinensis.
8.Idus Decembris	De Vallibus	In Ornesio	Tullensis.
7.Cal.Ianuarij	De Fontibus	In Anglia	Eboracensis.
Calendis Ianuarij.	De Villari.	In Lotharingia	Metensis.
Anno 1134.			
7.Idus Maij	De Bergis, seu, Vetus Mons	In Germania	Treuirensis.
Eodem tempore	Claustrum, aliàs	In Sabaudia	Tharentasiensis.
Eodem mense	Hemmenrode	In Languedocia	Castrensis.
3.Cal.Augusti.	Stamedium Ardorellum	In Ducatu Montensi	Coloniensis.
Calendis Augusti	Lancheymium	In Germania	Bambergensis.
4.Idus Septembris	Sanctæ Crucis	In Austria	Viennensis.
5.Cal.Nouembris	Geroldonia	In Anglia	Conuentrensis, & Lichifeldensis.
7.Idus Decembris	De Charitate	In Burgundia	Bisuntinensis.
7.Cal.Ianuarij	Quintiacum	In Gallia	Lingonensis.
Eodem die	Halesbrum	In Bauaria	Eystetensis.
4.Nonas.Ianuarij	Fons Salutis	In Franconia	Bambergensis.
Eodem anno	Camber Mara	In Anglia	Conuentrensis.
Item	Basenwerth		
Anno 1134.			

Anni fundationum.	Abbatia	Patria	Diœceses.
5. Cal. Maij	Bethania	In Burgundia	Bisuntinensis.
11. Cal. Iunij	Pons Octrani	In Gallia	Andegauensis.
Eodem die	Willersheym	In Germania	
Eodem die	Vallis clara	In Gallia	Laudunensis.
3. Cal. Octobris	Morimundus Coronatus	In Lumbardia	Mediolanensis.
Eodem die	Cæsarea, id est, Keysersheym	In Germania	Augustanensis.
Eodem anno	Aqua bella	In Prouincia	Tricastrinensis.
Eodem tempore	Waldsassum	In Baioria	Ratisponensis.
3. Idus Nouembris	Locus Dei	In Gallia	Rutenensis.
Eodem tempore	Bullium, id est, Billion	In Burgundia	Bisuntinensis.
Eodem anno	Locus S. Mariæ	In Anglia	
temp.	Bellum pratum	In Lotharingia	Tullensis.
3. Cal. Decembris.	Locus crescens, Abbatia 3. Regum	In Burgundia	Bisuntinensis.
3. Idus Ianuarij	Caldra	In Anglia	Lincolniensis.
Calendis Febr.	Swinshed, id est, Hoylandia	In Anglia	Lincolniensis.
Eodem anno	De Manna		
Anno 1135.			
8. Cal. Aprilis	Signiacum	In Campania	Rhemensis.
Eodem die	Longum Villare	In Picardia	Olim Morinensis nunc Boloniensis.
Eodem die	De Tela	In Sabaudia	Lausannensis.
Cal Aprilis	Melrosa	In Scotia	S. Andreæ.
5. Nonas Maij	Forda	In Anglia	Herefordensis.
16. Cal. Iunij	Buzeium	In Britannia	Mannetensis.
18. Cal Iunii	Alta-cumba	In Sabaudia	Gebennensis.
Mense Iulio	Sitichium	In Carniola	Labacensis.
11. Cal. Augusti	Claravallis	In Lumbardia	Mediolanensis.
8. Cal. Augusti	Stafarda	In Pedemontio.	Taurinensis.
6. Idus Augusti	Bildewasium	In Anglia	Conuentrensis.
12. Cal. Septembris.	Bellum pratum.	In Gallia	Belluacensis.
Eodem tempore	Stratefordia	In Anglia	Londinensis.
Item	Fons Amelongi, i. Amelongesborne.	In Westphalia.	Hildeshemiensis.

Anni fundationum.	Abbatia	Patria	Diœcesis.
Mense Octobri	Fossa noua	In Regno Neapolitano	Tarracinensis.
3. Cal. Decembris	De Prato	In Gallia	Belluacensis.
Eodem anno	Bella aqua	In Gallia	Claromontanæ.
Item	Gratia Dei	In Gallia	Xantonensis.
Idibus Febr.	Ebirbacum, seu Apribacum	In Germania.	Moguntinensis.
Anno 1136.			
Mense Aprili	Sylua melonis i. Cœtinelonium	In Britannia	Corizopitensis.
18. Cal. Maij	Acinctum, seu Aceyum	In Burgundia	Bisuntinensis.
5. Cal. Maij	Bone fasta	In Anglia	Exoniensis.
5. 9as. Maij	De Columba	In Lombardia	Placentinensis.
4. Cal. Iunij	De Alpibus	In Sabaudia	Gebennensis.
Eodem tempore	Cerrettum	In Lombardia	Laudensis.
Prid. Cal. Iunij	Balerna	In Burgundia	Lisuntinensis.
Eodem die	Floreya	In Wasconia	Antitanensis.
12. Cal. Iunij	Longonetum	In Britannia	Corizopitensis.
8. Cal. Iulij	Altus fons	In Campania	Cathalaunensis.
Eodem die	Brolium	In Normannia	Ebroicensis.
Item	S. Maria de Iubino	In Italia	Genuensis.
4. 9as. Augusti	Lanchetin		
17. Cal. Septembris	Vallis S. Mariæ	In Francia	Parisiensis.
6. Cal. Nouembris	De domo Dei, i. Niger lacus	In Gallia	Bituricensis.
Calend. Nouembris	Mortuum Mare	In Normannia	Rhotomagensis.
17. Cal. Decembris	Vallis S. Mariæ	In Normannia	Baiocensis.
7. Idus Decembris	De Sartis, id est, Wardonia	In Anglia	Lincolniensis.
5. Idus Decemb.	Boquiniacum	In Britannia	Trecorensis.
5. Idus Ianuarij	Caroli locus	In Gallia	Syluanectensis.
Prid. 9as. Februarij	Alba ripa	In Campania	Lingonensis.
Nonis Februarij	De Rupibus	In Gallia	Antisiodorensis.
Anno 1137.			
11 Cal Augusti	Tamæa	In Anglia.	Lincolniensis.
Calendis Septembris	De Liuncellis	In Delphinatu	Valentinensis.

Prid

Anni fundationum.	*Abbatiæ*	*Patria*	*Diœceses,*
Prid. Idus Octobris	Scala Dei	In Vasconia	Tarbiensis.
11. Cal. Nouembris	Bitteldenum	In Anglia	Lincolniensis.
6. Cal. Nouembris	Berdonarium	In Vasconia	Anxitanensis.
4. Idus Nouembris	Bonus Fons	In Campania	Rhemensis.
Calendis Decembris	Alnetum, aliàs, Lanoyum, & Briostellum	In Gallia	Belluacensis.
Nonis Ianuarij	Nouum monasterium	In Anglia	Carleolensis.
Prid. 9as. Februarij	S. Albini	In Britannia	Briocensis.
5. Cal. Martij	Alta ripa	In Sabaudia	Lausannensis.
17. Cal. Aprilis	Bardella	In Gallia	Bituricensis.
Eodem anno	De Aphne	In ditione Venet	Venetensis.
Anno 1138.			
Idibus Maij	De Aurora. i. Frietberg	In Sueuia	Constantiensis.
Eodem tempore	Salem	In Sueuia.	Constantiensis.
Prid. Cal. Iunij	De Dunis	In Flandria	Olim Morinensis, nunc Brugensis.
4. Cal. Iulij	Molbrunum	In Ducatu Wittenbergensi.	Spirensis.
Eodem die	Calonium, seu, Calinoyum	In Gallia	Bituricensis.
Mense eodem	De Lauancijs.	In Britannia	Venetensis.
3. Cal. Octobris	Benedictio Dei	In Gallia	Lugdunensis.
10. Cal. Decembris	Syluaia	In Ruthinio	Vabrensis.
Eodem die	Bordesleya	In Anglia	In Buchingamia.
10. Cal. Ianuarij	Bella lauda	In Anglia	Eboracensis.
Eodem tempore	Pons Trebiæ, aliàs Quarticiola	In Ducatu Placentino	Placentinensis.
Eodem anno	Claravallis, aliàs Zwettel	In Austria	Patauiensis.
Item	De Paris.	In Teutoniâ	Basileensis.
Prid. Cal. Ianuarij	Suctela	In Bohemiâ	Pragensis.
4. 9as. Februarij	Kirchenstadium.	In Anglia	Lincolniensis.
Eodem die	Clara Sylua	In Dania	Lundensis.
Eodem anno	Albiniacum.	In Gallia	Bituricensis.
Anno 1139.			

Nonis

Anni fundationum.	*Abbatia*	*Patria*	*Diœceses.*
Nonis Maij	Sichem	In Thuringia	Moguntinensis.
4. Cal. Septembris	De Boherijs	In Gallia.	Laudunensis.
7. Cal. Nouemb.	De Pinu	In Gallia	Pictauiensis.
Eodem die	Mons S. Georgij	In Thuringia	Moguntinensis.
Eodem die	Fons viuus	In Lumbardia	Parmensis.
Eodem tempore	Bonus locus	In Gallia	Burdegalensis.
4. Cal. Nouembris	Carus campus	In Arthesia	Ambianensis.
Eodem tempore	Pipa bella	in Anglia	Petroburgensis.
3. Idus Nouembris.	Clarus Campus, seu locus		
3. Cal. Decembris	De Cliente	In Lumbardia	Laudensis.
7. Idus Ianuarij	De Recluso	In Campania	Trecensis.
3. Calendis Febr.	Nouum Castrum monachorum	In Saxonia	Magdeburgensis.
Anno 1142.			
Idibus Martij	Alta Crista	In Sabaudia	Lausannensis.
Prid. 9as. Maij	Sobrado	In Galetia	Compostellanæ.
Eodem die	Mons pomerius.	In Austria	Patauiensis.
8. Cal. Iunij	Hardenhuy, seu Hertswitenhausen.	In westphalia	Padebornensis.
Eodem die	Melonia	In Galetia	Tudensis.
Circa idem tempus.	Melereyum	In Britannia	Nannetensis.
Eodem anno	Cikador	In Hungaria	Quinqecclesiensis.
Item	De Bonitate Dei.		
Anno 1143.	Gordonium	In Gallia	Cadurcensis.
5. Cal. Maij	Sturzelbrunna	In Lotharingia	Metensis.
Eodem die	S. Laurentij	In Galetia	Lucensis.
Cal. Iunij	Meyra	In Galetia	Lucensis.
Mense Iunio	Alnastrum	In Suetia	Vpsalensis.
Mense eodem	Noua vallis	In Godlandia	Lincopensis.
3. Cal. Iulij	De Spina	In Castella	Palentinensis.
Eodem die	Salzeda	In Portugallia	Lamacensis.
Eodem tempore	Luca	In Saxonia inferiore.	Mindensis.
Item	Nona villa	In Britannia	Mannetensis.
11. Cal. Augusti	Chemerium, i. Cumhir	In Anglia.	Bangorensis.

Anni fundationum.	Abbatiæ	Patria	Diœceses.
5. Cal. Augusti	Aqua frigida	In Italia	Cumanæ diœcesis.
5. Idus Augusti	Vallis S. Mariæ	In Saxonia	Halberstatensis.
Eodem tempore	Valleta.i. Waleca	in Aluernia	Tutellensis.
Eodem anno	Bona aqua	in Gallia	Lemouicensis.
Eodem anno	Falera	in Italia	Castellensis
Item	Walrebachium	in Bauaria	Ratisponensis.
Anno 1144.			
11. Cal. Iunij	Schonaugia	in Germania	VVormatiensis.
Eodem die	Gemundium	in Vasconia	Anxitanensis.
Eodem die	Strata	in Normannia	Ebroicensis.
Circa idem tempus.	Victoria	in Carinthia	Marcicanensis.
3. Cal. Iunij	Monasterium in Argona	In Gallia	Cathalaunensis.
Mense Iulio	Francæ valles.	In Gallia	Nemausensis.
Eodem tempore	Bellus locus	in Ruthinio	Ruthinensis.
4. Idus Octob.	Heriuadum	in Dacia	Lundensis.
6. Cal. Nouembris.	Grandisylua	in Vasconia	Tholosanensis.
Eodem anno	Noa	in Normannia	Ebroicensis.
Item	Escureyum	in Lotharingia	Tullensis.
14. Cal. Februarij	De Olíueto.	in Gallia	Bituricensis.
Eodem anna	Vallis bona	in Hispania	Vallisoletanæ.
Item	Sylua lata	in Vasconia	Lascurrensis.
Anno 1145.			
8. Cal. Aprilis	Otterburgum	in Palatinatu	Moguntinensis.
Eodem die	Plassum.	in Bohemia	Pragensis.
5. Cal. Iunij	Mormosolium siue, Morinosolium.	in Regno Neapolitano	Terracinensis.
6. Cal. Iulij	Persennia.	in Gallia	Cenomanensis.
Eodem die	Nepomungum	in Bohemia	Pragensis.
3. Cal. Iulij	Riddagshausen, vulgo, Riddershausen	in Saxonia	Halberstadiensis.
Eodem die	Trisagium.	in Pictauia	Lucinonensis.
Eodem tempore:	De Stella.	in Gallia	Pictauiensis.
5. Cal. Augusti	Machlinia	in Scotia	S. Andreæ.
Eodem die	Fons frigidus	in Gallia	Narbonensis.
Eodem tempore:	De Grimagio		
5. 9as. Martij	Woburna.	In Anglia	Lincolniensis.

Eode=

Anni fundationum.	*Abbatiæ*	*Patriæ*	*Diœceses.*
Eodem anno	Cella S. Mariæ. i. Vetus cella	In Misnia	Misnensis.
Eodem anno	Sancti Petri de Aquilis	In Portugallia	Lamacensis.
Item	Zinna B. Mariæ.	In Saxonia	Magdeburgensis.
Anno 1146.			
8. Cal. Iunij	Hereswich, seu Helmerith, aliàs Cisunuth	Fortè eadem cum hertswitenhausen,	suprà, 1142.
3. Cal. Iunij	Sana vallis siue, de Folina	Apud Venetos	Venetensis.
Calendis Iunij	De Villari	In Brabantia	Namurcensis.
Eodem die	Altresbach	In Bauaria	Salisburgensis.
5. Cal. Iulij	De Columna	In Gallia	Bituricensis.
7. Idus Iulij	Lysa	In Norvvegia	Bergensis.
7. Cal. Augusti	S. Iusti	In Italia	Anglonensis.
Prid. Cal. Augusti	Castaneola	In Pedemontio	Senogaliensis.
Eodem die	Zedelith	In Bohemia	Pragensis.
Eodem die	Lapis S. Michaëlis	In Brunsvviga	Halberstadiensis.
Eodem tempore	Syluanesia	In Languedocia	Vabrensis.
Eodem tempore	Holimæa	In Northumbria	Carleolensis.
Item	Pomariũ. i. Bomgard.	In Alsatia	Argentinensis.
3. Cal. Octobris	Hilaria	In Austria	Patauiensis.
5. Cal. Nouembris	Boxelia	In Anglia.	Cantuariensis.
Mense Decembri	Pratea	In Gallia.	Bituricensis.
Eodem anno	Verola S. Iusti	In Aragonia	Cæsar Augustanæ.
Eodem anno.	S. Mauricij aliàs	In Galetia	Compostellanæ.
Eodem anno	Carnoetum	In Britannia	Corizopitensis.
Item	Lauda seu, de Laude	In Polonia	Gnesnensis.
Anno 1147.			
6. Cal. Maij	Vallis dore	in Anglia	Herefordensis.
10. Cal. Iunij	Vallis Dei	in Anglia	Lincolniensis.
4. Cal. Iunij.	Kirchestaul	in Anglia	Eboracensis.
Eodem tempore	Fons wilhelmi	in Vasconia	Vasatensis.
8. Cal. Iulij	De Morgan	in Anglia	Londinensis.
Eodem die	De Bullione	in Hybernia	Elphinensis.

Baio-

Anni fundationum.	Abbatia	Patria	Diœceses.
Eodem die	Vallis Richerij	in Normannia	Baiocensis.
6. Idus Iulij	Brueria	In Anglia	Oxoniensis.
3. Idus Iulij	Ruffordia	In Anglia	Eboracensis.
3. Cal. Augusti.	De Rupe	in Gallia	Antisiodorensis.
Eodem tempore	Raitenhassachium	In Bauaria	Salisburgensis.
5. Cal. Nouembris	Calertium	In Vasconia	Riuensis.
3. 9as. Decembris	De Alna	In Patria Leodiensi	Leodiensis.
Eodem anno	Clariana	In Rossilione	Elnensis.
Eodem anno	Bonavallis	in Gallia	Rutenensis.
Item	Faezia, siue Faya	in Gallia	Burdegalensis.
Eodem anno	Riuus siccus	in Hispania	Burgensis.
Calendis Ian.	Salleya	In Anglia	Eboracensis.
Idibus Martij	Sylua Cana	In Prouincia	Aquensis.
Eodem die	Alba Dominorum	in Germania	Spirensis.
Eodem anno	Houedoa	In Norwegia	Assoensis.
Anno 1148.			
8. Cal. Maij	De Varennis	in Gallia	Bituricensis.
6. Idus Maij	De Gardo	In Picardia	Ambianensis.
Eodem tempore	Beatitudo	In Hybernia	Midensis.
Calendis Augusti	Ellantium	In Campania	Rhemensis.
Eodem die	Sine aqua	In Prouincia	Cauellicensis.
Eodem die	Camberona	In Hannonia	Cameracensis.
Circa idem tempus	Miravallis	In Anglia	Wigornensis.
3. Cal. Martij,	S. Prudentij aliàs, Rutensis Abb.	In Hispania	Calagurritanæ.
Eodem tempore	S. Vrbani	In Heluetia	Constantiensis.
Eodem anno	Magium, id est, Nenay	In Hybernia	Limiricensis.
Eodem anno	Surium	In Hybernia	Lismorensis.
Item	Vallis Salutis, aliàs, Baltinglas	In Hybernia	Leghliniensis.
Eodem anno	Alcobacia	In Portogallia	Vlissiponensis.
Eodem anno	Vrerina vallis	In Germania	Spirensis.
Eodem anno	Frenada	In Gallia	Xantonensis.
Eodem anno	Varuhemium aliàs, Beruheim.	In Suetia	Scarensis.
Eodem anno	Sigilleriæ	In Gallia	Trecensis.

Anno

Anni fundationum.	*Abbatia*	*Patria*	*Diœceses,*
Anno 1149.			
Mense Aprili	Fons Mauriniacus.	In Gallia	Bituricensis.
Mense eodem	Tyronellum	In Gallia	Cenomanensis.
Eodem tempore	Vallis Regis	In Campania	Rhemensis.
15. Cal. Maij.	Sibbetonium	In Anglia	Norwicensis.
8. Cal. Maij	De Albis Petris	In Gallia	Lemouicensis.
4. Idus Iunij	De Petris.	In Gallia	Bituricensis.
Eodem die	Longum vadum	In Campania	Lingonensis.
19. Cal. Ianuarij	De Laude	In Flandria	Fornacensis.
4. 9as. Martij	Bullencuria	In Campania	Trecensis.
3. 9as. Martij	Abb. Capitis Aquæ.	In Sardina	Turritanæ.
Eodem anno	Andreouia	In Polonia	Craconiensis.
Eodem anno	Oliua	In Nauarra	Pampilonensis.
Anno 1150.			
4. Cal. Iulij	Bolbona	In Languedocia	Mirapicensis.
Eodem die	Casanoua	In Pedemontio	Taurinensis.
Eodem tempore	S. Stephani de Bosco	In Calabria	Squilacensis.
6. Idus Iulij.	Cumba	In Anglia	Oxoniensis.
Eodem tempore	Abbatia noua	In Bulgaria	Tripolitanæ.
Item	S. Martini de Monte	in Italia	Viterbiensis.
4. Idus Septembris	Porta gloriæ, alibi, Glonij	In Vasconia	Lectorensis.
Eodem die	Ennaus, seu Ennax, vel Gunas.		
11. Cal. Decemb.	De Custodia	in Gallia	Caturcensis.
Eodem anno	Mella	In Anglia	Eboracensis.
Eodem anno	Marta plana	in Castella	Palentinensis.
Eodem anno	Fiterium	in Nauarra	Tirazonensis.
Idibus Ianuarij	Vallis magna	in Gallia	Agathensis.
8. Idus Martij	Ioravallis	in Anglia	Eboracensis.
Eodem anno	Benedictio Dei, i. Athlone	In Hybernia	Midensis.
Eodem anno	Casanoua	in Hungaria	Strigoniensis.
Eodem anno	Insula S. Mariæ	in Gallia	Cathalaunensis.
Eodem anno	S. Maria Dublinensis.	in Hybernia	Dublinensis.

Anni fundationum.	*Abbatia*	*Patria*	*Diœceses.*
Anno 1151.			
Calendis Maij	Insula Barri Ducis	In Ducatu Barrensi	Tullensis.
8. Idus Maij	Clarus locus	In Lotharingia	Tullensis.
Eodem die	Pons altus	In Vasconia	Adurensis.
Prid. 9as. Augusti	Cella Florum. i. kilflos	In Scotia	Moraniensis.
Eodem tempore	Hortus B. Mariæ	In Hispania	Seguntinensis.
11. Cal. Octobris.	Blanca lauda	In Wallia	Meneuensis.
5. Cal. Octobris	Misericordia Dei	In Gallia	Pictauiensis.
Prid. Cal. Octobris	Flageleya	In Anglia	Glocestrensis.
15. Cal. Decembris	Campania	In Gallia	Cenomanensis.
Calendis Ianuarij	Parigniacum	In Vasconia	Agennensis.
Eodem anno	Holcotran	In Scotia	Carleolensis.
Eodem anno	Villa longa	In Vasconia	Carcossonensis.
Anno 1152.			
16. Cal. Iunij	Clarus mons	In Gallia	Cenomanensis.
Eodem tempore	Bellus fons	In Hungaria	Vespriniensis.
Eodem tempore	Cardinalium	In Languedocia	Albinensis.
Eodem die	Cambonium	In Prouincia	Viuariensis.
6. Cal. Augusti	Bella branca	In Gallia	Cenomanensis.
4. Cal. Septembris	Gratia Dei	In Burgundia	Bisuntinensis.
Eodem anno	De SS. Crucibus	In Catalonia	Tarraconensis.
14. Cal. Iulij			
Eodem anno	Rota Ossariensis aliàs, Iuncharia	In Aragonia	Cæsaraugustanæ.
Idibus Febr.	Thileteya	In Anglia.	Londinensis.
Anno 1153.			
Calendis Aprilis	Mons ramorum olim, mons Tauri	In Galetia	Auriensis.
Eodem tempore	Populetum	In Catalonia	Tarraconensis.
6. Cal. Augusti	De Moris	In Campania	Lingonensis.
Idibus Augusti	Petrosa	In Vasconia	Petragoricensis.
7. Idus Septembris	De Castellione	In Lotharingia	Virdunensis.
Eodem anno	De Ambolis		
Eodem anno	Esromium	In Dacia	Roskildensis.
Eodem anno	De Morolijs.	In Gallia	Nallacensis.
Item	Viride lignum	In Hybernia	Dunelmensis.

Anno

Anni fundationum.	*Abbatia*	*Patria*	*Diœceses,*
Anno 1154.			
13. Cal. Maij	Kyrie eleyson vulgo, Odorney	In Hybernia	Ardfordensis.
Eodem tempore	Castellariæ	In Gallia	Pictauiensis.
13. Cal. Iulij	De Voto	In Normannia	Rothomagensis
Eodem tempore	Bonus Fons	In Vasconia	Conuenensis.
Calendis Iulij	Stanleya	In Anglia	Wigornensis.
Anno 1155.			
	De Felicitate		
Eodem anno	Brunbachium	In Germania	Herbipolensis.
Anno 1156.			
Mense Mayo	Rea, siue, de Re	In Pictauia	Xantonensis.
Eodem anno	De Lauro	In Græcia	Constantinopolitanæ.
Anno 1157.			
4. Idus Maij	Sambuccina	In Calabria	Anglonensis.
Eodem die	De Saluatione	Vltra Mare	In Syria.
4. Cal. Iunij	Speciosa vallis	In Germania	Herbipolensis.
6. Idus Septembris	Pulrona, aliàs Dieulacreutium	In Anglia	Conuentrensis.
3. Idus Octob.	Macenaria	In Portagallia	Visensis.
Eodem anno	Sacer locus, vel campus	In Bohemiâ	Pragensis.
Idibus Februarij	Bildthausen	In Germania	Herbipolensis.
Eodem die	Bellus mons	Vltra Mare	In Cypro
Eodem anno	Valacia.	In Normannia	Rothomagensis.
Anno 1158.			
Nonis Aprilis.	Vitæ Schola	In Dacia	Lundensis.
Eodem anno	Porta cœli, vulgo Tennenbach	In Sueuia	Constantiensis.
Anno 1160.			
	Neuhamium	In Anglia	VVigorniensis.
Eodem anno	Saba, aliàs Iulira.	In Suecia	Strengennensis.
Eodem anno	Rupes	In Anglia	Eboracensis.
Item	Hadinghtonium	In Scotia.	S. Andreæ.

Anno

Anni fundationum.	*Abbatiæ*	*Patria*	*Diœces.*
Eodem anno	Aqua frigida		
Eodem anno	Saltus noualis	In Hispania	Legionensis.
Eodem anno	De Casali		
Anno 1168.			
4. Cal. Augusti	Vallis Dulcis	In Gallia	Lingonensis.
Eodem anno	Sancti Leonardi De Ferrarijs	In Pictauia	Xantonensis.
Anno 1169.	Iuncharia de Espadannedo.	In Galetia	Auriensis.
Calendis Aprilis	Casalis Galonis, alijs, Casa Gegaleonis	In Lombardia	Comensis.
Eodem tempore	S. Crucis	In Hibernia	Cassellensis.
Eodem tempore	Vallis viridis	In Hispania	Legionensis.
Eodem tempore	S. Ioannis in nemore	In Cypro	Famagustanæ.
Eodem anno	Abb. Fuliensis	In Vasconia	Riuensis.
Eodem anno	De Burio	In Portugallia	Bracarensis.
Eodem anno	Vallis honesta	In Aluernia	Claromontanæ.
Calendis Martij.	Dobranum	In Meckelenburgo.	Zwerinensis.
Anno 1170.	Hilda	In Comitatu Oldenburgico.	Bremensis.
Eodem anno	Castrum Dei	In Hybernia	Cluanensis.
Eodem anno	Werneri Villerium	In Germania.	Argentinensis.
Eodem anno	Azebeyrum (Peleis	In Galetia	Compostellanæ.
Eodem anno	Vallis Paradisi olim de	In Hispania	Zamorrensis.
Eodem anno	S. Helenæ	In Slauonia	
Calendis Februarij	Oliuetum		
Eodem tempore	Rosa, seu, Roth		
Eodem anno	Torrigniacum	In Gallia	Baiocensis.
Anno 1171.	Viuus fons	In Hybernia	Rossensis.
6. Idus Maij	S. Maria de Ferraria	In Hispania	Burgensis.
6. Cal. Iulij	Mons Oliueti	In Hungaria	
Eodem tempore	S. Sebastiani in Catacumbis.	Prope Vrbem Romam	Romanæ.
Eodem tempore	Nucaria	In Sicilia	Messanensis.
Eodem anno	S. Saluatoris de Leyra	In Nauarra	Pampilonensis.

Anni fundationum.	*Abbatia.*	*Patria*	*Diœceses.*
18. Cal. Decembris.	Bellus locus.	In Gallia	Lingonensis.
Eodem anno,	Insula Dei	In Pictauia.	Lucionensis.
Item,	Insula Dei	In Dania.	Ottoniensis.
Anno 1172.			
8. Cal. Iunij,	Bona requies	In Britannia.	Corizopitensis.
Eodem die	Mons S. Mariæ.	In Burgundia.	Bisuntinensis.
Eodem die	D. Baliezes.		
Eodem anno,	Bugetum	In Castella.	Burgensis.
8. Cal. Iulij,	De Bangezeio.	In Gallia.	Turonensis.
6. Cal. Iulij,	Phionia, vel Fyonia	In Dania	
3. Idus, Nouembris,	Sancti Bartholomæi	In Italia, in Vrbe Ferraria	Ferrariensis.
Mense Martio,	Tamaranium.	In Lusitania.	Vlissiponensis.
Eodem anno,	Locus S. Bened. aliàs, locus benedictus		
Anno 1173.			
9. Cal. Iulij,	S. Spiritus.	In Sicilia	Panormitanæ.
6. Idus Iulij,	Gradis	In Morauia.	Olomucensis.
Eodem die.	Pola, aliàs Strata Marcelli.	In Anglia.	Asaphensis.
11. Cal. Septembris.	Curatium.	In Calabria.	Rhegiensis.
Eodem die	Vlmetum,	in Gallia	Tricastriensis.
Eodem anno,	Locus Dei.	In Dania.	Rypensis.
Eodem anno.	Sylua Regia.		
Anno 1174.			
Eodem tempore.	S. Laurentij	In Italia.	
4. Nonas Februarij,	Colbar, id est, Meræ vallis	In Dania.	Lundensis.
Eodem anno,	Irancium, vel Iracia	In Nauarra.	Pampilonensis.
Eodem anno,	De Egulo, id est, Irancia		
Item,	S. Iacobi.	In Hungaria.	In Insula Danubij.
Anno 1175.	Lubens,	In Silesia.	Wratislauiensis.

Anni fundationum.	*Abbatiæ*	*Patria*	*Diœceses.*
Calendis Nouemb.	Capella Thosan, id est, Doest	In Flandria	Olim Tornacensis, nunc Brugensis.
Eodem anno	Oliua	In Prussia	Wratislauiensis.
Calendis Ianuarij	Pons Roberti	in Anglia	Cicestrensis.
Eodem anno	De Murello		
Anno 1167.			
4. Cal. Aprilis	Gradizium	In Norwegia	Hamariensis.
Eodem die	De Barberio	In Normannia	Baiocensis.
Idibus Aprilis	Longavallis		
Eodem tempore	Rupes Amatoris	In Gallia.	Narbonensis.
Eodem anno	Rosa vana		
Cal. Augusti	Moach		
Anno 1177.			
Calendis Maij	Vallis Ecclesiarum	In Hispania	Toletanensis.
Eodem tempore	Suleouium	In Polonia	Gnesnensis.
Mense eodem	Ashroë, id est, Sametria	In Hybernia	Rapotensis.
Anno 1178.			
14. Cal. Iunij.	Vallis S. Mariæ	In Suetia	
Eodem anno	Rosea vallis. i. Rosglas	In Hybernia	Kildariensis.
Eodem anno	Strata florida	In Wallia	Meneuensis.
Anno 1179.			
11. Cal. Augusti	Ripa alta	In Apulia	Tarentinensis.
Eodem tempore	Matina	In Calabria	Marciensis.
Eodem anno	De Camino	In Polonia	
Eodem anno	Ferraria	In Regno Neap.	Neapolitanæ.
Anno 1180.	Scarpium	In Catalonia	Ilerdensis.
Eodem anno	Chorus S. Benedicti	In Hybernia	Clonensis.
Eodem anno	Vallis Crucis	In Anglia	Asaphensis.
Eodem anno	Vallis Dei	In Ducatu Lymburgensi	Leodiensis.
Eodem anno	Ieripons	In Hybernia	Ossoriensis.
Eodem anno	Sancti Galgani.	In Italia	Volateranensis.

 Eodem

Anni fundationum.	Abbatiæ.	Patriæ.	Diœceses.
Eodem anno.	Vallis Sancta.	In Delphinatu.	Valentinæ.
Eodem anno.	Bochium	In Misnia	Misnensis.
Anno 1182.			
Idibus Octobris.	Sacra Cella	In Gallia	Senonensis.
Eodem anno.	Vanchoscum	In Polonia	Cracouiensis.
Anno 1182.			
Mense Martio	S. Mariæ de Portu.i. Donbrothy.	In Hybernia	Fernensis.
Anno 1183.			
Nonis Aprilis.	Lenyn.	In Marchia	Brandeburgensis.
Anno 1184.			
.Cal.Iunij	Aulesburgh, aliàs heghena, & heyna.	In Hassia.	Moguntinensis.
Eodem anno.	Lex Dei.	In Hybernia	Laghnensis.
Eodem tempore.	Aruicampus	In Hybernia	Cassellensis.
Eodem anno.	Benedictio Dei.	In Gallia.	Lugdunensis.
Eodem anno	S. Godehardi.	In Hungaria	Iauarinensis.
9is. Octobris.	Oya.	In Hispania	Tudensis.
7. Idus Decembris.	Vallis Benedicta. aliàs, Benedictio Dei.	In Vasconia.	Conuenensis.
Eodem anno.	Pelisium.	In Hungaria.	Vesprinicnsis.
Anno 1185.	Capella	In Heluetia	Constantiensis.
Eodem anno.	Campus S. Mariæ.	In Westphalia.	Monasteriensis.
Eodem anno.	SS. Trinitatis	In Calabria	Rhegiensis
Eodem anno.	Coprunitzium.	In Polonia.	Cracouiensis.
Anno 1186.			
5. Idus Iunij	Bocconium.	In Hungaria.	Vesprinensis.
Eodem die	Mons Regis	In Gallia	Belluacensis.
4. Cal. Augusti.	SS. Trinitatis	In Cypro	Famagustanæ.
Eodem anno.	Oliua, in Gadis	In Hispania	Siguntinæ.
Anno 1187.	Vallis S. Petri, vulgò, heisterbach.	Iuxta Bonam Bonnam.	Coloniensis.
Cal. Iunij	De Leynas.		

Eodem

Anni fundationum.	Abbatia.	Patria.	Diœceses.
Eodem anno	De Iuges		
Eodem anno	Riuetum.	In Vasconia	Vasatensis.
Anno 1188.	Insula Inis	In Hybernia	Dunelmensis.
Eodem anno	Insula calueti	in Gallia	Lucionensis.
Eodem anno	Nemus S. Mariæ	In Dania	Lundensis.
Eodem anno	Vallis crescens	In Delphinatu	Valentinæ.
Eodem anno	Felij	in Hybernia	Dunelmensis.

Hic desinit antiqua Chronologia Dunensis.

Anno 1189.	Barona	In Lombardia	Mediolanensis.
5. Cal. Nouembris	Bebenhausen	In Ducatu Wirtenbergensi	Constantiensis.
Eodem anno	De Sala	In Tuscia.	Senensis.
Eodem anno	Albarona		
Anno 1190.	Boscandum.	in Gallia.	Ebredunensis.
Calendis Nouembris	Purus Campus	In Germania	Lubecensis.
Eodem anno	Collis Victoriæ.	In Hybernia	Tuamensis.
Eodem anno	Bonus portus	In Normannia	Ebroicensis.
Eodem anno	Vallis lucis. i. Glenluce:	In Scotia	Candidæ Casæ.
Eodem anno	Pelplinum	In Prussia	Vladislauiensis.
Eodem anno	De Pastro	in Hungaria	Agriensis.
Eodem anno	De Lucentia. i. Vallis lucida.	In Hungaria	Colocensis.
Anno 1191.	Gratia S. Mariæ.	in Gallia	Xantonensis.
Eodem anno	Floridus campus. i. Vetus monasterium	In Frisia	Grœninganæ.
Eodem anno	De Saydia	in Hispania	Oertusanæ.
Eodem anno	De domo Dei		

Anni fundationum.	*Abbatia*	*Patria*	*Diœceses.*
Eodem anno	De Stagi		
Item	Huleneſta		
Anno 1192.			
Prid. Cal. Maij.	Rus regium	In Dania	Sleſwicenſis.
Eodem anno	S. Bernardi	In Auſtria	
Eodem anno	Vallis S. Georgij, olim, pons frigidus	In Lotharingia	Metenſis.
Eodem anno	Vangrowecum	In Polonia	Gneſnenſis.
Eodem anno	Guldenholm	In Dania	Visboienſis.
Eodem anno	De hunc		
Anno 1193.			
Calendis Septemb.	Iugum Dei	In Hybernia	Dunelmenſis.
Eodem anno	Berga	In Rugia	Zwerinenſis.
Anno 1194.			
Calendis Maij	Azylum	In Dania	Lundenſis.
Eodem anno	Killfothuit	In Hybernia	Rapotenſis.
Anno 1195.			
3. Idus Maij	Petra	In Aragonia	Turiaſonenſis.
Eodem anno	Caſa noua	In Calabria	Pennenſis.
Eodem anno	De Galeſo	In Apulia	Tarentinenſis.
Eodem anno	Ouila	In Hiſpania	Seguntinenſis.
Eodem anno	S. Ægidij		
Eodem anno	Ceica	In Luſitania	Conimbricenſis.
Anno 1196.			
7. Cal. Maij	witteſdaele		
Calendis Iulij	Bredelaria	In Weſtphalia	Colonienſis.
Anno 1197.	Petrafertilis id eſt, Corcomro	In Hybernia	Fernenſis.
Eodem anno	Caſtrum Aquilæ id eſt, Arnsburg.	In Wedderauia	Moguntinenſis.
Eodem anno	Mons S. Mariæ	In Hungaria	Quinqeccleſienſis.
Eodem anno	Aqua formoſa	In Apulia	Caſanenſis.
8. Cal. Aprilis	Bochetum, aliàs vallis lucida	In Gallia	Claromontanæ.

Eodem

Anni fundationum.	*Abbatia*	*Patria*	*Diœceses,*
Eodem anno	Semrocea Amatoris	In Siciliâ	Messanensis.
Anno 1198.	Vallis Florida		
Eodem anno	Flumen Dei	In Hybernia	Midensis.
Eodem anno	Vallis Dei	in Hispania	Ouetensis.
Eodem anno	Kilsona	In Hybernia	Tuamensis.
Eodem anno.	Circensis Abb. vulgo, Zirck.	In Hungaria	Vesprimensis.
Anno 1199.	Hildaria	In Dania	Lundensis.
Eodem anno.	Comererium	In Hybernia	Dunelmensis.
Eodem anno.	S. Mariæ de Laniano	In Apulia	Archeruntinæ.
Eodem anno.	S. Angeli	In Germania	Constantiensis.
Eodem anno.	Semeritzium	In Polonia	Cracouiensis.
Eodem anno.	Ramens.	In Bohemia	Pragensis.
Anno 1120.	Bona Vallis Pr.	In Hispania.	Toletanæ.
	Alberconnuuium	In Anglia	Asaphensis.
Eodem anno.	Hero Insula, id est, Insula Arearum.	In Prouincia;	Tolonensis.
Eodem anno.	Sancti Stephani de Cornu.	in Gallia.	Laudunensis.
Eodem anno.	Vallis Crucis.	In Hungaria	Quinqecclesiensis.
Eodem anno.	Hospitale	Apud Venetos.	Venetensis.
Eodem anno.	Tinterna Minor, aliàs, Votum.	In Hybernia.	Dubliniensis.
Eodem anno.	Egres.	In Hungaria.	Chanadiensis.
Eodem anno.	S. Claudij	In Galetia	Auriensis.
Eodem anno.	Sancti dogmaëlis	In Anglia	Meneuensis.
Eodem anno	Balmuren, id est, Abermeronochton.	In Scotia.	S. Andreæ.
Eodem anno.	Bena vides.	In Hispania.	Palentinensis.
Eodem anno	Vallis Charitatis	In Hybernia.	Clonensis.
Eodem anno.	SS. Trinitatis	In Sicilia	Messanensis.
Anno 1201.	Brollium Grolandij	in Gallia	Lucionensis.
Eodem anno.	Villa noua	In Britannia.	Mannetensis.
Eodem anno.	Mons ferus	In Galetia.	Compostellanæ.
Eodem anno.	Dunkeswella.	In Anglia.	Exoniensis.

Anni fundationum.	Abbatia	Patria	Diœceses.
Anno 1202.			
8.Cal Aprilis	Villa noua de Oscos.	In Castella	Ouetensis.
Mense Mayo	Vallis Sācti Lamberti.	In Patria Leodiensi	Leodiensis.
Eodem anno	Campus Liliorum	In Austria	Pataniensis.
Eodem anno	De Sagittario	In Calabria	Anglonensis.
Anno 1203.			
5.Cal.Martij	Aqua longa	In Italia	Mediolanensis.
Anno 1204.			
8.Cal.Iulij	Bellus locus Regis	In Anglia	Wintoniensis.
Eodem anno	Sancti Saluatoris, vulgo Duyske	In Hybernia	Lechliniensis.
Eodem anno	Fons Danielis	In Gallia	Cenomanensis.
Anno 1205.			
5.Cal.Octobris	De Padulis	In Sardinia	Turritanæ.
Eodem anno	Welleranium	In Morauia	Olomucensis.
Eodem anno	Woneyum	In Hybernia	Limiricensis.
Anno 1206.	Abb.S.Thomæ	In ditione Venetorum	Torcellensis.
Eodem anno	S.Remigij	In Patria Leodiensi	Leodiensis.
Eodem anno	Griffouia, vel, Griffacum	In Polonia	Vratislauiensis.
Eodem anno	Rosa matura		
Eodem anno	Lapedo	In Hispania	Ouetensis. Hæc posteà dicta fuit Bellus mons, de quo, 1215.
Anno 1207.	Tuta Insula	In Norwegia	Nidrosiensis.
Eodem anno	Osseçum	In Bohemia	Pragensis.
Anno 1208.	De Arcu	In Sicilia	Messanensis.
Eodem anno	Toplica	In Sclauonia	Zagabriensis.
Aodem anno	Ara bona	In Italia	Theatinæ.
Anno 1209.	S Maria de Charitate	In Apulia	Tarentinensis.
Anno 1210.	Sardona		

Eodem

Anni fundationum.	*Abbatia.*	*Patria*	*Diœceses.*
Eodem anno	De Dargon	In Meckelenburgo	Zvverinensis.
Eodem anno	Meldechan		
Eodem anno	S. Bernardi in Aldwert	In Frisia occidentali	Groeninganæ.
Anno 1211. 8. Cal. Aprilis	Grenard', aliàs Larha	In Hybernia	Ardmacensis.
Anno 1212. 13. Cal. Iulij	Mons acutus	In Lombardia	Laudensis.
Eodem anno	De Saltibus albis	In Hispania	Legionensis.
Anno 1214.	S. Maria de cruciato		
Eodem anno	S. Georgij de Iubino	In Italia	Genuensis.
Anno 1215.	Locus S. Mariæ	In Germania.	Coloniensis.
Eodem anno	Bellusmons	In Hispania	Ouetensis.
Anno 1216. 8. Cal. Martij	S. Seruatij	In Hybernia	
Eodem anno	De Candelis, i. Chaunick	In Hungaria	Strigoniensis.
Anno 1217.	Schola Dei	In Frisia occ.	Grœninganæ.
Anno 1218.	De Re	in Hybernia	
Eodem anno	Moycosquinum	In Hybernia	Derensis.
Eodem anno	Clara tumba, aliàs Mogila	In Polonia	Cracouiensis.
Anno 1219. Calendis Martij	Derina, idest, de Der	In Scotia	Aberdonensis.
Eodem anno	S. Matthæi	Prope Reate	Reatinensis.
Eodem anno	De Zam, aliàs Nam	In Hungaria	Vesprimiensis.
Eodem anno	Sagadach		
Eodem anno	S. Benedicti in Minterna	In Frisia Occ.	Grœninganæ.

Anni fundationum.	*Abbatiæ*	*Patria*	*Diœceses.*
6. Idus Iulij	Maris Stella. i. Wettinghen	In Ergonia	Constantiensis.
Eodem anno	De Brondalo	Iuxta Mare Venetum	Cjusinensis.
Eodem anno	Sancti Spiritus de Valle	In Apulia	Tarentinensis.
Eodem anno	S. Saluatoris de monte Amiato.	In Italia	Clusinensis.
Anno 1230.	Regalis Mons	In Gallia.	Belluacensis.
Eodem anno	Pietas Dei	In Gallia	Cenomanensis.
Eodem anno	Regale Cœnobium	In Maiorica	Maioricensis.
Eodem anno	De Plano (Landstras		
Eodem anno	Fons B. Mariæ in	In Carniola	Gurcensis.
Eodem anno	Noua Cella	In Lusatia	Misnensis.
Eodem anno	S. Nicolai	In Sardina	Turritanæ.
Anno 12;1.			
9is. Augusti	Grande pratum	In Belgio	Namurcensis.
3. Idus Augusti	De Cana	In Lombardia	Cremonensis.
Eodem anno	De Valencia	In Gallia	Pictauiensis.
Anno 12;2.			
6. Cal. Septembris	Chorin	In Germania	Brandenburgensis.
Eodem die	S. Mariæ de Cornu	In Lombardia	Laudensis.
Eodem anno	Trium fontium de Beel	In Hungaria	Agriensis.
Eodem anno	Vallis honesta	In Hungaria	Vesprimiensis.
Anno 1233.	Fons S. Mariæ	In Italia	Aquilegiensis.
Eodem anno	S. Panthaleonis	In Italia	Lukensis.
Eodem anno	Campus Solis	In Meckelenburgo	Megapolitanensis.
Eodem anno	Galesium	In Italia	Tarentinæ
Anno 1234.	Zarrauium, aliàs Fons S. Mariæ in Zar	In Morauia	Olomucensis.
Eodem anno	De Paciola, aliàs Guastaciola	In Romania	Placentinensis.
Idibus Febr.	Nouus Campus. i. Clooftercamp	In Pomerania	Zwerinensis.
Anno 1235.			
Idibus Nouemb.	S. Augustini		
Eodem anno	Benefesanum	In Aragonia	Dertusanæ.

Anno

Anni fundationum.	*Abbatia*	*Patria.*	*Diæcesis.*
Anno 1236.	S. Saluatoris de Septimo	In Italia	Florentinæ,
Eodem anno	Portus S. Nicolai	In Liuonia	Rigensis.
Eodem anno	De Porno, id est, Bernaw (melheym	In Hungaria	Vesprimiensis.
Eodem anno	Grunheym, seu Gri-	In Silesia	Wratislauiensis.
Eodem anno	Scirium	In Polonia	Cracouiensis.
Anno 1237.	S. Vincentij	In Hispania	Valentinæ.
20. Augusti	Locus S. Bernardi	In Brabantia	Antuerpiensis.
Eodem anno	Paradysus	In Polonia	Posnauiensis.
Eodem anno	Bellus locus.	In Cypro	Famagustanæ.
9. Cal. Ianuarij.	S. Sergij	In Italia	Bibliensis.
	De Palatiolis.	In Italia.	Albanensis.
Anno 1238.	S. Petri de aqua orta	In Italia	Vrbeuetanensis.
Anno 1239.	Kiers, siue Kors	In Hungaria	Varadinensis.
Eodem anno	Canonica S. Petri de Almasia	In Hispania	
Anno 1240.	Collegium Cisterc.	Parisijs	Parisiensis.
8. Cal. Aprilis	Obbrensis Abb. i. Oboza	In Polonia	
Eodem anno.	Aqua longa	In Italia	Mediolanensis.
Eodem anno	Gerka	In Frisia Occid.	Leovvardiensis.
Eodem anno	S. Saluatoris	In Hybernia	Fernensis.
Anno 1241.			
Prid. Cal. Aprilis.	Ludemena		
Eodem anno	De Claritate Dei	In Gallia	Turonensis.
Anno 1242.	Riuus S. Mariæ	In Holsatia	Slesvvicensis.
Eodem anno.	Vallis bona.	In Hispania	Palentinensis.
Anno 1243.	Scherenbeke, alibi, Schardenbourgh.	In Anglia	
Eodem anno.	De hayles.	In Anglia	Glocestrensis.
Anno 1244.	Nouale S. Mariæ, i. Mariæroda, olim Ilsenbaghe.	In Saxonia inferiore	Hildesemensis.

Anno

Anni fundationum.	*Abbatiæ*	*Patria*	*Diœceses,*
Anno 1245.	S. Maria Verdensis. i. Marievveert	In Meckelenburgo	Megapolitanensis.
Anno 1246.	S. Angeli de frigido, aliàs frigillo	In Italia	Sauonensis.
Eodem anno	Insula Pontiana	In Sabaudia	Gebennensis.
Eodem anno	S. Maria de Spatio		
Eodem anno	Abb. de Ierusalem	In Frisia	Monasteriensis.
Eodem anno	S. Mariæ & Marthæ		
Eodem anno	De Precibus	In Britanniæ	Venetensis.
Anno 1247.	Sancti Viti	In Sicilia	Messanensis.
Eodem anno	Karlionum	In Anglia	Landauensis.
Eodem anno	Colstrea	In Scotia	Glascuensis.
Eodem anno	S. Gaudentij	In Italia	Fesulanæ.
Eodem anno	S. Seueri	In Italia	Rauennatensis.
Eodem anno	Stagnum S. Mariæ		
Eodem anno	De Fanali, vel Faciali	~	
Anno 1248.	De mirteto		
Eodem anno	De Stapeto		
Eodem anno	Buchonia	In Pomerania	Zwerinensis.
Anno 1249.	De Vrticaria, alias, S. Hermetis	In Italia	Pisanæ.
Eodem tempore	S. Michaëlis in Veruia seu de Verrucâ	In Italia	Pisanæ.
Eodem anno	Abb. S. Coronæ	In Bohemia	Pragensis.
Eodem anno	Altum Vadum	In Bohemia	Pragensis.
Eodem anno	De Sceptro		
Eodem anno	Padisium. i. Padis	In Liuonia	Reualiensis.
Anno 1250.	Elcho	In Scotia	Cathanesiensis.
Eodem anno	Norbertvvickium	In Scotia	S. Andreæ.
Eodem anno	Sitichenbachium	In Saxonia inferiore	Verdensis.
Eodem anno	Ripa S. Petri		
Anno 1251.	Samburia		
Eodem anno	De Rupe	In Hybernia	Cassclensis.
Eodem anno	Stampium	In Comit. Tirol.	Brixinensis.

An. fundationum.	*Abbatia*	*Patriæ*	*Diœceses.*
Anno 1252.	Rauda	In Silesia	Wratislauiensis.
Anno 1256. Eodem anno Eodem anno Eodem anno	Cæliporta Sandallum Anguli Cœnobium Campus Principis i. Furstenfeld.	In Germania In Scotia In Sueuia In Bauaria	Brandenburgensis. Cathanesiensis. Constantiensis. Frisingensis.
Eodem anno	Aqua Orta	In Italia	Vrbeuetanæ.
Anno 125[illegible].	Egles	In Scotia	Glascuensis.
Anno 1259. Cisterciensibus tradita est	Abb. S. Disibodi.	In Palatinatu inferiori	Moguntinensis.
Anno 1260.	Ramerudum	In Gallia	Trecensis.
Anno 1263.	Bellus locus	In Scotia	Rossensis.
Anno 1270.	Abram, seu, Abraham	In Hungaria	Colocensis.
Anno 1274.	Cella Principum. i. Fursten cell.	In Bauaria	Patauiensis.
Anno 1275.	Dulce Cor. i. Suethart	In Scotia	Candidæ casæ.
Anno 1280.	Giemelnicum	In Silesia	Wratislauiensis.
Anno 1282.	S. Mariæ in regali loco	In Hungaria	
Anno 1286.	Cella Dei	In Bauaria	Ratisponensis.
Anno 1292. Eodem anno	Vallis digna Grissonia	In Hispania In Silesia	Valentinæ. Wratislauiensis.
Anno 1293.	Angelorum Cella	In Bauaria	Patauiensis.
Anno 1296. Eodem anno	Walheya Apemma	In Anglia In Orcadibus.	In Lancastria. Sodorensis.
[illegible] 98.	Vallis serena, alias Martius de Bossis	In Italia	Parmensis.
[illegible]	Freistorsium	In Lotharingia	Metensis.

Eodem

Anni fundationum.	*Abbatia*	*Patria*	*Diœceses.*
Eodem anno	S. Michaelis	In Hungaria	Iuxta Budam in Insulâ.
Anno 1302.	Fons Regius	In Ducatu Wictenbergico	Constantiensis.
Anno 1303.	Hiddenzea	In Rugia Insula	Zwerinensis.
Anno 1304.	Aula Regis	In Bohemia	Pragensis,
Anno 1307.	Altus fons, seu Parcum	In Sicilia	Montis regalis.
Anno 1320.	Waldshausen	In Austria	Viennensis.
Anno 1320.	S. Bartholomei de bono solario.	In Italia	Florentinæ.
Anno 1317. 25. Octobris	S. Michaelis de quarto	In Italia.	Senensis.
Anno 1325.	S. Mariæ Magdalenæ di Cistello	In Vrbe Florentina	Florentinensis.
Anno 1327.	Nouus mons. i. Closternienberg	In Styria	Patauiensis.
Anno 1335.	Vallis Regalis	In Anglia	Cicestrensis.
Anno 1342.	Mons Dominæ nostræ in Iselsteyn.	In ditione Vltraiectina	Vltraiectensis.
Anno 1345.	Vallis Dei. i. Seisenstain	In Austria	Patauiensis.
Anno 1357.	Scalitzium	In Bohemia	Pragensis.
Anno 1359.	Abbatia Noua	In Anglia	Londinensis.
Anno 1381.	S. Bernardi	In Hispania	Valentinensis.
Anno 1382.	Corona B. Virg. Prioratus	In Brabantia	Syluæducensis.
Anno 1388.	De Angelis	In Sicilia	Panormitanæ.
Anno 1400.	Portus Dominæ nostræ, in Waermunda	Prioratus, in Hollandia	Vltraiectensis.

Anno

Anni fundationum.	Abbatia	Patria	Diœceses.
Anno 1403.	Warmbrun Præpositura	In Silesia	Iuxta Hirschberg.
Anno 1405.	Galilæa Maior, id est, Zibekeloo	In Transysulania	Dauentriensis.
Anno 1414.	Abb. Molinensis	In Belgio	Namurcensis.
Anno 1425.	Mons Sion	In Castella	Toletanæ.
Anno 1430.	Iardineium	In Belgio	Namurcensis.
Anno 1433.	Donca. Prioratus	In Belgio	Syluæducensis.
Anno 1446.	Curia B. Mariæ in Waerschot	In Flandria, Prioratus.	Gandensis.
Eodem anno	S. Saluatoris vulgo, Petri Pots	Prioratus in Ciuitate Antuerpiensi.	Antuerpiensis.
Anno 1448. Eodem anno, ad Cistercienses transierunt Guillielmitæ.	Bottenbroich, Prioratus Horti S. Mariæ. i. maioris Burloo & Vineæ S. Mariæ. i. minoris Burloo	In Ducatu Iuliacensi Prioratus duo, in Westphalia	Coloniunsis. Monasteriensis diœcesis.
Anno 1450.	Abb. Nizellensis.	In Brabantia	Namurcensis.
Anno 1458.	Porta Cæli in Heemstede.	Prioratus in Hollandia	Harlemensis.
Anno 1461.	Boneffia Abb.	In Comitatu Namurcensi.	Namurcensis.
Anno 1465.	Galilæa minor, vulgo Monikendam	Prioratus in Hollandia	Vltraiectensis.
Anno 1470.	Aula B. Mariæ Priorat.	In Zelandia, Zirixzeæ	Middelburgensis.
Anno 1480.	Sylua B. Mariæ Prioratus,	In Ducatu Iuliacensi	Coloniensis.
Eodem anno	B. Mariæ Lauretanæ. Collegium	In Castella	Salmanticensis.

Anno

Anni fundationum.	Abbatia	Patria	Diœcises
Anno 1485.	Bethlehem, Prioratus	In Hollandia In Wateringia	Vltraiectensis
Anno 1486.	Abbatia & Collegium Complutense	In Castella	Toletanæ.
Anno 1489.	Lucelburgum. i. Battenkirch	In Ducatu Wirtenbergensi	Spirensis.
Anno 1563. Cisterciensibus tradita est,	Abb. S. Crucis in Ierusalem	In Vrbe Roma.	Romanæ.
Anno 1590.	S. Annæ	In Castella	Toletanæ
Anno 1620.	Schlietbacum	In Austria	Patauiensis.
Anno 1628. Ad Cistercienses transierunt Guillelmitæ	In Greuenbroich. i. Palude Comitis	In Ducatu Iuliacensi	Coloniensis.

Anno 1651. Monasterium Dernebritus Diœcesis Hildesiensis in Germania conuersum est in abbatiam virorum authoritate. Capituli Generalis ad instantiam R. D. Ioannis Abbatis vete: Montis Vicarij Generalis.

SEQVVNTVR ALIQVOT MONASTERIA
Quorum fundationis annum hactenus reperire nequiui:

Abbatia	Patria	Diœceses.
S. Cerbonij	In Italia	Lucanæ.
S. Ambrosij maioris	Mediolani.	In ipsa vrbe
S. Syluestri de Nonantula	In Italia	Mutinensis.
S. Petri de Paliano.	In Italia	Prænestinæ.
Plaga	In Italia	Venetensis.
S. Bernardi.	In Italia	Cremensis.

	Abbatia	*Patria*	*Diœceses.*
	Saxum viuum	In Italia	Fulginatensis.
	S. Mariæ de Poncio	In Regno Neapolitano	Caietanæ.
	Vallis Paradysi filia Azebeyri	In Lusitania	Lamacensis.
	Frades.i. Abbat. fratrũ	In Lusitania	Bracharensis.
	S. Mariæ in Exilio	In Lusitania	Vlissiponensis.
	Mons S. Walburgis	In Germannia	Coloniensis.
	Auff dem Grunẽbergh	In Bohemia	Pragensis.
	Vnder dẽ Grunẽbergh	In Bohemia	Pragensis.
	Berense cœnobium Prioratus	In superiori Alsatia	Basileensis.
	S. Abundi	In Italia	Comensis.
	Strada	In Italia	Bononiensis.
	De Stella S. Lazari Prioratus	In Gallia In Gallia, in suburbijs firmitatis milonis	Cænomanensis. Suessionensis.
Ann. 1394	Collegium Heydelbergense	In Palatinatu Electorali	Wormatiensis.
	S. Facundi Prioratus	In Galetia	
	Castrum Regis, Prioratus	In Galetia	
	S. Adriani Prioratus.	In Galetia	
	Misericordia	In Italia	Mutinensis.
	Collegium	Perusij in Italia	
	Collegium	Bonaniense, datum est	Oliuetanis.

INDEX

INDEX ALPHABETICVS MONASTERIORVM ORDINIS CISTERCIENSIS SVPRA RELATORVM: ADIVNCTIS ANNIS FVNDATIONVM

A.

Berga.

C.

Florida

G.

H.

Halesbrum.

Mons

Rosa

Vallis

Vallis Ecclesiarum.	1177.
Vallis Florida.	1198.
Vallis Florida.	1164.
Vallis S. Georgij.	1192.
Vallis honesta.	1169.
Vallis honesta.	1232.
Vallis S. Lamberti.	1202.
Vallis lucens.	1129.
Vallis lucida.	1190.
Vallis lucida.	1197.
Vallis lucis.	1190.
Vallis magna.	1150.
Vallis B. Mariæ.	1136.
Vallis B. Mariæ.	1136.
Vallis S. Mariæ.	1143.
Vallis S. Mariæ.	1178.
Vallis Paradysi.	1170.
Vallis Paradysi. In Appendice.	
Vallis S. Petri.	1187.
Vallis regalis.	1335.
Vallis Regis.	1149.
Vallis Richarij.	1147.
Vallis Salutis.	1148.
Vallis Sancta.	1180.
Vallis serena.	1298.
Vallis Sernaij.	1128.
Vallis Viridis.	1169.
Vallolium.	1138.
Vancboscum.	1181.
Vangrovvecum.	1192.
De Varennis.	1148.
Varnhemium.	1148.
Vega S. Mariæ.	1221.
S. Maria Verdensis.	1245.
Vernia.	1349.
Verola.	1146.
Vetus campus.	1122.
Vetus cella.	1145.
Vetus monasterium.	1191.
Vetus Mons.	1133.
Vetus Villa.	1140.
Victoria.	1144.
Villarium.	1132.
Villarium.	1146.
Villa longa.	1151.
Villa noua.	1201.
Villa noua.	1202.
Vinea B. Mariæ.	1449.
S. Vincentij.	1257.
Viride lignum.	1153.
Vita Schola.	1158.
S. Viti.	1247.
Viuus fons.	1141.
Vlmetum.	1173.
Volcoldirode.	1131.
De Voto.	1154.
Votum.	1200.
S. Vrbani.	1148.
Vrsaria.	1140.
Vrsi campus.	1129.
Vvicaria.	1249.
Vterina Vallis.	1148.
De Vulturno.	1221.


W.

VVaermunda.	1400.
VVaerschot.	1446.
VValdshausen.	1520.
VValdsassum.	1134.
VValeca.	1143.
VValbeya.	1296.
VValkena.	1228.
VValkenreda.	1128.
VValrebachium.	1143.
VVardonia.	1136.
VVarmbrun.	1403.
VVauerleya.	1129.
VVelleranium.	1205.

VVernerij

APPENDIX

Continens Scriptores & Scripta quædam ſerius ad me miſſa, quam vt in Bibliotheca, ſuis locis adſcribi poſſent.



Ntonius le VVaitte, Abbas Molinenſis in Belgio, vir multis titulis mihi colendus (cuius ſuprà mentionem fecimus) præterea quæ ibidem enarrauimus, plura alia ſcripſit, quæ ipſemet recenſet in epiſtolâ quam ad me dedit 26. Aprilis, huius anni 1655. quam proindè epiſtolam hic ex integro dabo:

Reuerendo Domino,
D. CAROLO DE VISCH, PRIORI *Dunenſi. Brugis.*

Reuerende Domine Prior,

Pro libris, etſi paruis, magnas nihilominus tibi habeo, agoque grates. Non poteſt mihi non magnopere placere, quod Ordinem illuſtrat, vti tua faciunt. Luci iſti & laudi conferrem lubens aliquid, ſex vix tempus ſuppetit à deputatione, ſeu adſcriptione noſtri inter Ordines huius Prouinciæ. (a) *Penè Adriano Cancellierio optimo Abbati olim veſtro, invideo, qui humeros ſuos tã prudenter ſudduxit pari; oneri. Tamen, quantum per occupationes licet, incumbo Studijs, & quam menſe ſuperiori habui publicè orationem in Diuum Thomam Aquinatem, perpolio, & prolato in libelli molem, tuo parem. Titulum ei fãxo: Diui Thomæ Aquinatis Principatus Theologicus. Placuit Principibus Barbanſonijs, Patri & filio, ac cæteris Auditoribus, quorum plures (ex inter illi Principes) inſtant vt edam in lucem. Si videas, fortè cenſeas, vrgeas idem, dic, ſodes, quid conſtituit tibi editio libelli quem miſiſti? Si ſumptus modicus eſt, auſim à panegyrico, gradum ad alia facere. Et quandoquidem Bibliothecam tuam prælo iterum ſubdere & luci dare, ais, auctam, vide an ad hoc eius augmentum conferre hæc noſtra poſsint.*

Muſa ſacra, quibus Patriarchæ priſci temporis ſeu teſtamenti celebrantur, ab Adamo ad Iobum.

Turtur gemens, ſeu, Iob ſanctus, proſa, vorſaque oratione paraphraſticè redditus.

Cygnus ſacer, idemque Proteus, ſiue, Dauid pſallens, vario verſu à varijs datus.

Rex orator, ſiue Eccleſiaſtes, ſoluta ligataque oratione auditus.

Caſtus amor, ſiue, Canticum canticorum, verſu, proſaque.

Columba ſingultiens, ſeu, Hieremias lamentans, verſa proſaque oratione.

Euangelium, pari vtraque oratione deſcribere: Item acta Apoſtolorum dare mihi animus.

Affecta habeo, perfecta nondum.

Vetuſtas venerabilis, ſeu, Eccleſia, & Priſcorum Patrum irrefragabilis authoritas:

(a) *Loquitur de vita Adriani Cancellier Abbatis Dunenſis, à me conſcripta.*

Innocentij X. Pontificis, D. Augustini. D. Bernardi, D. Thomæ Aquinatis. contra censuram *Samuelis Paludani Calumnista, L M S. I. Ranutij Higati, M. H.*

Somnium, siue lusus, in impuros impiosque Poetas.

Conciones gallica, in Sanctos maximè, quædam in dominicas.

Epistolarum aliquot centuria, quas inter plures ad te. Ac licet quædam ex hisce meis lucubrationibus ferre lucem possint, non omnes, reuerentior ausum, & tui, mi Frater; qui sum, eroque perpetim.

Tuus in Christo Iesu medullitus.

Namurci, 26 Aprilis, 1655. Frater Antonius le VVaitte Abbas Molinensis.

Augustinus Manuel, y Vasconcelas, Eques Cisterciensis Ordinis, de Christo, Scripsit, & edidit, *Vitam & res gestas Ioannis 2. istius nominis, Portugallia Regis decimi tertij.*

Madriti, anno 1639. in 4. typis Mariæ de Quinones.

Ceruera Turrianus, seu, de la Torre. Natione Hispanus, Ordinis Calatrauæ, & Capellanus Regius, Scripsit Hispanicè, *Libros tres, de excessu Philippi II. Hispaniarum Regis*, siue, *de rebus memorabilibus quæ in eius morte acciderunt, testimonium authenticum.* Impressum fuit hoc opus anno 1599. Valenciæ, typis Petri Patricij mei. Translatum quoque postea fuit in linguam latinam, per Franciscum Guillimannum, iussu Archiducis Maximiliani. Theutonici Ordinis Principis, & impressum Friburgi Brisgoiæ, anno 1609. typis Iosephi Langij.

Cosmus à Sancto Michaele, Congregationis Fuliensium, Scripsit & edidit, *Orationem funebrem in obitum Annæ Lotharingicæ, Abbatissæ Pontis Tremmarum*, habitam anno 1653. 6. Augusti, in templo dictæ Abbatiæ. Impressit Parisijs eodem anno, Georgius Iosse, in vico S. Iacobi in 8. *Ferdinandus Pizarro, de Orellana*, nobilissimâ apud Hispanos familia procreatus, ibidemque in Senatu Nobilitatis Apostolicus & Regius iudex, Ordinis Calatrauæ Eques, &c. Scripsit Hispanicè, *Historias Ordinum militarium, Sancti Iacobi, Calatraua, & Alcantara*, dedicatas Philippo 4. Hispaniarum Regi, eorundem Ordinum Administratori perpetuo.

Madriti, in folio, anno 1629. typis Ioannis Gonsalis.

Item, *discursum Apologeticum, in fauorem dictorum Ordinum.*

Scripsit & *vitam, ac gesta Serenissimæ Infantis Dominæ Sanctiæ Alfonsi, in ordine ad canonizationem illius.*

Item, *Vitas & elogia ducum & Principum, aliorumque Virorum illustrium, qui (auspicijs Regum Hispanorum) nouum mundum detexerunt, expugnarunt, & pacificarunt.*

Insuper, *de opulentia, & amplitudine Imperij Indiarum occidentalium.*

Denique, librum singularium obseruationum, politicarum, moralium, iuridicarum, Miscellanearum, de rationibus status, &c. Omnia hæc etiam Hispanicè scripta sunt, simulque impressa, Madriti, anno 1639. in folio, per Didacum Diaz de la Carrera.

Fuliensis quidam doctus & pius, iussu Regis Galliæ, *de nouo traduxit in linguam gallicam diuersa officia Horaria, veluti, de Sancto Spiritu, de immaculata conceptione BB. Virginis, de Sancto nomine Iesu, cum alijs instructionibus Christianis, nec nō, & Calendario nouo Historiali.*

Parisijs typis Ludouici Camboudry. 1652.

Gaspar de Seixas, y Vasconcelos. Eques Ordinis de Christo, Scripsit lingua vulgari, *Trophea Patientia Christiana, & politica: nec non, & Regulas quas obseruare debent ministri supremi audientiarum.*

Madriti,

Madriti, 1645. in 4. typis Didaci Diaz de la Carrera.

Item, *discursum ex lamatorium in obitum Serenissimæ Reginæ Hispaniarum, & noui mundi, Isabellæ Borboniæ.*

Madriti, eodem anno, & typis eisdem.

Ioannes Pignevvart (de quo in Bibliothecâ) Scripsit & alium librum sequentis tituli: *Cato Bernardinus siue, Sententiæ valdè morales, piæ & sacra, singulis distichis distinctæ*, &c collectæ, per Ioannem Pignevvart, Bonnefiensem monachum.

Louanii 1624. typis Henrici Hastenij.

Iulianus Paris, SS. Theologiæ Doctor in facultate Parisiensi, & Abbas Fulcardi-Montis, strictioris Obseruantiæ, Ordinis Cisterciensis, Scripsit, gallicè, insigne opus, *de primæuo Spiritu Ordinis Cisterciensis*, in quo tractantur plura salutaria documēta necessaria pro cognitione Regiminis, & morū ipsius Ordinis, & intelligentiæ Regulæ Sancti Benedicti.

Parisiis, 1653. in 4. typis Geruasii Allior, in Palatio.

Ogerius (seu potius, *Oglerus*) *Abbas Locedij*, in diœcesi Vercellensi, Author est *Sermonum de cœna Domini, qui, vulgo, attribuuntur Sancto Bernardo*. Extant manuscripti sub expresso nomine Ogerii Locedij Abbatis, in antiquissimo codice Bibliothecæ serenissimi Ducis Sabaudiæ. In quo codice etiam habetur alius *Tractatus* ab hoc eodem Abbate conscriptus, *de laudibus Deiparæ Virginis*. Porrò, codicem hunc Carolus Emanuel Sabaudiæ dux habuit ex Abbatia Cisterciensi, de Stafarda, in Diœcesi Taurinensi, in partibus Saluciarum. Vide Theophilum Raynaudum, Soc. Iesu, in suis Erotematibus de bonis & malis libris; paginâ, 151. Cæterum, Oglerus hic, Sanctis Ordinis nostri adscriptus legitur in Menologio Henriquez, 10. Decembris.

Petrus à Sancto Ioseph, de quo etiam supra, suo loco. Eius Philosophia impressa est Parisiis apud Georgium Iosse, viâ Iacobæâ, anno 1654. in 12. constatque quatuor partibus, quarum prima inscribitur.

Idea Philosophiæ rationalis, seu, Logica, tractans de mentis directione.

2a. *Idea Metaphysica*, tractans de rationibus vniuersalibus rerum.

3a. *Idea Philosophiæ naturalis, seu, Physica*, de iis quæ spectant ad cognitionem rerum naturalium.

4a. *Idea Philosophiæ moralis, seu, Ethica*. de Beatitudine, de actibus humanis, & de virtutibus moralibus.

Edidit & idem Author alium librum huius tituli: *Consensus Orbis, de gratia sufficiente, innumeris Sanctorum Patrum, & Theologorum testimonijs comprobatus; nec non à Pelagianismi, & Semi-Pelagianismi nota, contra Caluinistas vindicatus.*

Parisiis, apud Georgium Iosse, 1652. in 12.

Petrus à Sancto Romualdo, præter illa quæ suprà retulimus, edidit quoque sequentia: *Historiæ Francorum, seu, Chronici Ademari Engolismensis, Monachi Sancti Martialis Lemouicensis, Epitome*, continens breuiter euentus notatu digniores, qui in diuersis mundi partibus contigerunt, & præcipuè in Aquitania, à Pharamundo primo Rege Francorum, vsque ad Henricum primum, idque cum notis, nonnullisque interpolatis, quibusdam etiam additis, à Domino Petro à Sancto Romualdo, Fuliensi, ad faciliorem operis intelligentiam.

Parisiis, 1652. apud Ludouicum Chamhoudry in Palatio.

Chronicon, seu, continuatio Chronici Ademari Monachi, Engolismensis, complectens præcipuè res Aquitanicas tam sacras quam prophanas, ab anno primo Henrici I. Francorum Regis ad

annum 9. Ludouici XIV. id est, ab anno Domini 1032. ad annum 1652. Authore D. Petro à Sancto Romualdo, Engolismensi, congregationis B. Mariæ Fuliensis, Ordinis Cisterciensis Ascetâ.

Parisiis, suprà, apud Chamhoudry. 1652.

F I N I S.

ALANI MAGNI DE INSVLIS
Libri duo, contra Iudæos, & Paganos seu, Mahometanos.

AD LECTOREM.

OPuscula hæc, partem constituunt *Operis quadripartiti Mri. Alani de Insulis, de fide Catholica*, hoc est, contra hæreticos siue Albigenses, Waldenses, Iudæos, & Paganos, seu Mahometanos. Ex quibus, priora quidem duo opuscula (scilicet *contra Albigenses & VValdenses*) iam à biennio, 1653. cum aliis pluribus ipsius Alani operibus, in lucem emisi, prout illa repereram in antiquo M.S. codice Abbatiæ Parcensis, iuxta Louanium: posteriora verò hæc duo, quantumuis studiosè, per nominatissimas quasque Bibliothecas, longè latèque quæsita, tunc reperire nequiui: At nuper (euulgatis iam pridem aliis operibus) in Archi-cænobii nostri Cisterciēsis Bibliothecâ reperta, per Venerabilem loci illius Priorem (D. Franciscum du Chemin, S. Theol. Doctorem) mihi transmissa fuerunt, quæ operæ pretium iudicaui, hic nunc publicare, congruam fortè, occasionem aliam haud facilè habiturus eadem publicandi. Certè, Authore suo digna sunt, nec sine fructu (Lector) ea euolues, Vale.

F. Carolus de Visch Prior Dunensis.

APPROBATIO ECCLESIASTICA CENSORIS.

OPuscula hæc partum contra Iudæos, qui obolitâ veteri lege, & Christianâ apertissimè promulgatâ, adhuc Christo Domino aduersantur; partim contra Paganos (in quibus, sensualem Mahometis Sectam intelligit) ab Alano magno de Insulis, Cisterciensis Ordinis Doctore Theologo conscripta sunt, & nuper in Cisterciensis Cænobii Bibliothecâ repertâ, & à R do. Adm. Domino Carolo de Visch Priore Dunensi iam recensita, cum hactenus edita non fuerint, reperianturque etiamnum non pauci per orbem Christianum, profani antiquæ illius & iam euacuatæ Legis Sectatores; Mahometicæ etiam perfidiæ illius quædam quasi in agro Dominico, aut circà illum pullulantia, atque indies præualentia magis zizania, cum magno Christianæ pietatis fructu poterunt euulgari. Ita censeo, Brugis, pridiè Kalendas Iunii, 1655.

Antonius Sanderus, Presbyter, S. Theol. Licent. Librorum Censor.


Incip 2

INCIPIT LIBER III. QVADRIPARTITÆ

Mri. Alani de Insulis, contra Iudæos.

Capvt I.

Rationes quibus Iudæi pluralitatem Personarum diuinarum impugnant.



Icunt Iudæi vnum Deum esse, sed pluralitatem personarum esse negauit. Nunc ad peruersam Iudæorum mendicitatem, quæ adhuc cum Asino expectat ad pedem montis, nec adhuc in Moysi faciem potest intueri, nostrum conuertamus sermonem; & primo, quid de Authore omnium sentiant, videamus. Dicunt enim eundem esse Deum, & vniuersorum creatorem, sed tres personas esse in Deitate, non credunt, nec quid sit esse personas in Trinitate attendere volunt. Vnitatem quidem essentiæ credunt, sed Personarum pluralitatem non concedunt. Hoc autem rationibus & authoritatibus sic probare conantur. Si vnus est Deus, sicut clamat Sacra Scriptura, quomodo asserit Christianus, tres res inter se distinctas, scilicet, Patrem & Filium, & Spiritum Sanctũ, vnius esse Deitatis? quia si plures sunt, etiam plures Dij, & non vnus Deus esse videntur. Quomodo enim singularis natura vnius Personæ ab aliis distinctæ, esset natura alterius Personæ? Sic ita triplex Deus esse videtur, non vnus. Sed Dominus ad Israel per Moysen ait: (a) *Audi Israel, Dominus Deus noster, Dominus vnus est.* Non ergo triplex, sicut Christiani dicunt hic, nugantes, Deus est Pater, Deus est Filius, Deus est Spiritus Sanctus. Alius item Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus, & interim negant tres Deos esse. Quæ est hæc monstruositas, vt in Trinitate sit Vnitas, & in Vnitate sit Trinitas? Quomodo vnus solus Deus est, si plura sint Deus? Qui hoc dicunt, Deos constituunt alienos, contra præceptum Domini qui ait: (b) *Non habebis Deos alienos.* Qui vnum quidem & solum esse Deum dicunt, & plures tamen esse asserunt. Si Deus voluisset vt Iudæi crederent tres personas esse vnum Deum, & Trinitatem esse in vnitate, eis explicuisset sicut cætera ad fidem pertinentia explicuit: quia, vt Christianus ait, sicut ad fidem pertinet vnitas, ita & Trinitas; sed de hâc nec Patriarchæ, nec Prophetæ mentionem fecisse leguntur. Item, si Pater genuit Filium, necesse est igitur gignentem tempore præcessisse genitum, & aliquam particulam de substantiâ gignentis decisam fuisse. Item: Nulla pluralitas potest esse in Deo, vbi est summa & perfecta simplicitas. Item: Quod omnifariè simplex est, nihil de se gignere potest.

(a) *Deut. 9.* (b) *Exodi 30. v. 3.*

CAPVT II.

Solutio prædictorum, & quod verè vnitas est in essentia, & pluralitas in Personis.

AD primam obiectionem sic respondemus: cū dicitur vnus, vel vnius naturæ Deus est, nulla triū Personarū excluditur, quia ipsæ sunt vnus Deus, & vnius naturæ. veluti dici potest de his vocibus adiectiuis, albus, alba, album; qui profert enim vnam, nullam aliarum vocum excludit, quia sunt vnum nomen: nam licet istæ voces plures sunt, non tamen sunt plura nomina, sed vnum, & vnius institutionis nomen. Similiter, tres personæ sunt vnus, & vnius essentiæ Deus. Quamuis enim in naturalibus verum sit, tot esse substantias vel naturas, quot sunt subsistentes personæ; tamen qui naturam creauit, naturæ subiectus non est: licet enim tres sint Personæ, vnius tamen sunt naturæ; quia si pluralitas esset naturarum, plura dicerentur esse rerum principia, quod abhorret fides catholica. Et quamuis Deus sit trinus, non tamen est triplex, nam triplex notat partium, vel naturarum pluralitatem: in Deo autem, tres Personæ non sunt quasi tres partes quæ Deum constituant; quia si hoc esset, Deus simplex non esset, & sic non esset suæ essentiæ principium; nam omne compositum est genitum. Non sunt ibi etiam plures naturæ, quia sic plures essent dij, vel vnus Deus triformis esset, quod Christiana abhorret Religio. Dicimus ergo, quod alius est Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus, non tamen alius Deus est Pater, alius Deus est Filius, alius Deus est Spiritus Sanctus, sicut hæc vox, albus, est alia quam hæc vox, alba, non tamen aliud nomen. Dicimus etiam: quod iuxta Fidem catholicam non est aliqua monstruositas, sed demonstrata veritas, hæc est, demonstrata ratione, & modo probabili. Dicimus quoque, vnitas est in Trinitate, & trinitas in vnitate, & tres esse vnum Deum, non tamen constituimus Deum alienum, cum illæ tres personæ sint vnus Deus, & vnius naturæ. Ideò autem hoc mysterium Deus Iudæis in veteri lege figuris velauit, sicut & alia ad Fidem pertinentia, vt secundum temporis accessum, Christianæ Religionis Fides haberet progressum. Nam ante legem Mosaicam sufficiebat alicui credere quod vnus esset Deus, idemque remunerator esset bonorum, & punitor malorum, ita tamen vt rectitudo viuendi responderet rectitudini Fidei. In veteri tamen testamento, seu tempore legis Mosaicæ, maiores quibus reuelatum erat, credebant Deum trinum & vnum; simplices verò, venerabantur ipsos maiores, credentes quod ipsi credebant, & in hac Fide saluabantur. Postquam verò Apostoli Trinitatis Fidem prædicauerunt, vbique omnes adulti & discreti tenentur credere Deum trinum & vnum.

Nec oportet, si Pater genuit Filium, quod ibi facta sit decisio: cum enim Pater omnifariam simplex sit, de se Filium non genuit per substantiæ decisionem, sed secundum naturæ integritatem, ita vt tota substantia Patris sit substantia Filij; quod autem Pater Filium genuerit, probabitur infrà. In Trinitate verò secundum aliquid attenditur pluralitas, & secundum aliquid identitas; quia in Personis pluralitas, in naturâ & essentiâ, identitas.

Dicimus etiam, quod in naturalibus, nullum simplex ex se aliquid gignere potest; vndè nec anima animam, nec Spiritum Spiritus: in diuinis autem, ratio longè alia pactum reformat, nec diuina generatio humanæ respondet: quia sicut natura Dei omnem superat naturam, sic Dei generatio superat humanam. Vndè Isaias (a), *Generationem eius quis enarrabit?*

CA-

(a) Isaia 53. v. 8.

Caput III.

Quibus authoritatibus, Philosophorum & Theologorum, & quibus rationibus, & similitudinibus locorum, ostenditur, quod tres sunt Personæ diuinæ, & vna earum natura.

Quod autem tres sint personæ diuinæ, & vna earum natura, authoritatibus & rationibus, & similitudinibus varijs potest ostendi. Nec solum authoritatibus Theologorum, verum etiam Philosophorum. In principio Geneseos, secundum Hebraicam veritatem, legitur, Heloym, vbi nos habemus, Deus: el alibi, eloah enim est singulare nomen huius nominis, Heloijm, sicut Deus, singulare huius nominis, dij, Ergo, vbi nos habemus; (a) *In principio creauit Deus cælum & terram*, Hebræi habent, *In principio creauerunt dij, vel domini, cælum & terram.* Sed quos vocat Moyses deos vel dominos, nisi tres Personas diuinas? Non Angelos, quia Angeli non creauerunt cælum & terram, imo, creati sunt. Vnus autem Deus est qui creauit cælum & terram. Cum ergò Moyses dixerit pluraliter, deos vel Dominos, illa pluralitas aut ad diuiniam naturam refertur; aut ad Personam; sed non ad diuinam naturam, ergo ad personam; ergo tres insinuauit personas diuinas, quæ sunt vnus Deus. Consequenter etiam introducitur Deus loquens in hunc modum: (b) *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Cum ergò Deus hic introducatur loquens, quæritur, ad quem, vel ad quos loquatur, cum dicit, faciamus. Ad Angelos videtur nullo modo loqui; non enim vna est imago vel similitudo Dei & Angelorum iuxta quam factus sit homo. Restat ergo vt Deus Pater loquatur ad Filium, & ad Spiritum Sanctum; vel sit communis vox trium Personarum, iuxta quarum imaginem factus est homo. Vna autem est imago Patris & Filij, & Spiritus sancti, quia vna natura. Vbi etiam diabolus loquitur ad Euam, dicit: (c) *Eritis sicut Dij scientes bonum & malum.* Quid per Deos intelligit ibi diuina scriptura, nisi tres Personas diuinas? Angeli enim hoc nomine nõ intelligũtur. Vt enim dicit Scriptura, in hoc voluit Deo esse similis Eua, quod appetijt esse prædita diuina scientia. In Isaia etiam legitur, quod Angeli clamabant, (d) *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth.* Sed quid insinuat illa trina nominis repetitio, nisi Personarum Trinitatem? id est, Patrem & Filium, & Spiritum Sanctum? vt sit sensus, Sanctus Pater, Sanctus Filius, Sanctus Spiritus Sanctus. Et vt insinuetur naturæ vnitas, sequitur in singulari numero: Dominus Deus Sabahot. De Abraham legitur in Genesi, quod (e) *tres vidit, & vnum adorauit.* Per quod insinuatur, quod in tribus qui apparuerunt, intellexit trinitatem: & quia vnum adorauit, intellexit in Trinitate Vnitatem; & ita intelligitur adorasse Deum trinum & vnum. De Filio etiam Dauid ait: (f) *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.* Si Dominus dixit Domino, alius fuit qui dixit, alius cui dixit: sed Deus Pater hæc dixit; ergo alius fuit cui dixit; sed eum Dauid vocat dominum suum, ergo vel Deum vel Angelum; sed non Angelum; Angelo enim nõ dixit Deus, sede à dextris meis, sed potius pertinet hoc ad Filium, qui existens Deus, sedet à dextris Domini, id est, æqualis est Patri. Æquales enim sedere solent à dextris Principum. In alio psalmo legitur: (g) *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Exquisitè præsens coniunxit præterito: nam præsens in se habet recentiam, & præteritum in se habet fluxum, & futurum in se habet expectationem. Vndè, nihil propriè fuisse dicimus, nisi quod esse desijt; nec in præsenti aliquid

(a) *Gen. 1. v. 1.* (b) *Supra. v. 26.* (c) *Gen. 3. v. 5.* (d) *Isaia. 6. v. 3.* (e) *Gen. 18.* (f) *Psal. 109.* (g) *Psal. 2. v. 7.*

gignit Deum, & non alium Deum à Deo gignente, imò, genuit illum qui est idem Deus cum gignente. & est ibi perfecta æqualitas gignentis & geniti, sine conuenientia, seu connexus, qui dicitur Spiritus Sanctus, in quo Pater & Filius conueniunt. Vndè & Philosophus ait: (a) *Monas gignit monadem, & in sesuum reflexit ardorem.* Ergo aut in nullo subsistente inuenies quod de vnitate dicitur aut in vnitate & trinitate diuina reperitur. Præterea, sicut Deus ab æterno fuit sapiens, ita sapientia sua fuit ab æterno quæ ab ipso procedit, & ita Sapientia Patris à Patre nascitur, & sic est proles Patris: ergò Filius Patris. Notio enim illa qua Deus & se, & vniuersa nouit à se condita, alia ab ipso est, quia ex ipso & in ipso, quæ quia non est aliud in substantia ab eo ex quo est, Filius nominatur, eâ similitudine, quia sicut in naturali generatione Filius à Patre in Personâ alius est, substantiæ tamen eiusdem: ita Dei & ex ipso productæ notionis vna est existentia, & tamen alia persona. Quia, sicut diximus, eadem non potest esse ex seipsa. Hoc tamen interest in dictâ similitudine quæ data est, quod in humanâ generatione Patris & Filij, vna est substantia specie, non singularitate, Dei verò & suæ notionis, singularitate vna est essentia.

Sic igitur quod in Theologicis Filius appellatur quia est ex Deo, non idem personaliter esse potest, in ipso autem est tantum vna deitas, ergo diuersorum personaliter est vna essentia, vel illa notio qua Deus nouit omnia, non est Deus de Deo. Deus autem notionem suam diligit. Quis autem est nexus & conuenientia Patris & Filij, nisi Spiritus Sanctus, qui ab vtroque procedit? Nonne de huius processione dicit Psalmista, emitte spiritum tuum & creabuntur; quæ est enim illa Spiritus Sancti emissio nisi Spiritus Sancti à Deo processio?

CAPVT V.

Similitudinibus sic.

Similitudinibus idem probatur. Vestigium enim Trinitatis apparet in animâ, Mens humana meminit sui, diligit se, variè intelligit se. Hoc si cernimus, nondum quidem Domini Trinitatem, sed imaginem Dei cernimus. Hic enim quædam apparet Trinitas, memoriæ, intelligentiæ, & amoris. Hæc igitur tria potissimum tractemus, memoriam, intelligentiam, voluntatem: hæc tria non sunt tres vitæ, sed vna vita, nec tres mentes, sed vna mens, vna essentia. Memoria verò dicitur ad aliquid, & intelligentia & voluntas, siue dilectio, similiter ad aliquid dicitur, vita verò ad seipsam, & mens, & essentia. Hæc igitur tria, eo sunt vnum, quo vna vita, vna mens, vna essentia, & quidquid aliud, ad seipsa singula dicuntur, & simul non pluraliter, sed singulariter dicuntur. Eo verò tria sunt, quo ad se inuicem referuntur, ista tria sunt in mente hominis, & sunt vna mens, nec tamen intelligentia est memoria, nec memoria voluntas, nec voluntas intelligentia, aut memoria.

Aliâ etiam similitudine idem probatur: sunt duæ candelæ sibi vnitæ, sibi similes, sibi æquales; si accendantur, vnam habent lucem, nec maior, nec magis vnius lux quam alterius. Sed trium est lux vna & indiuidua, sicut in vna Trinitate sunt tres personæ, nec vna persona maior quam alia, nec vnius maior vel alia natura quā alterius. Pater autem spiritualiter dicitur lux, Filius splendor, Spiritus Sanctus flamma. Ideò Pater dicitur lux, quia lucet à seipso, non ab alio; & quia ab eo lucet lux illuminans, id est, Filius, & lux inflammans, id est, Spiritus Sanctus, Filius ideò dicitur splendor, quia sicut splendor procedit à luce & splendore, ita Spiritus Sanctus

(a) *Mercurius Trismegistus.*

ctus à Patre & Filio: & sicut flamma tria facit, vrit, splendescit, succendit; sic Spiritus sanctus vrit vitia, splendescit peccata, succendit gratiã. Similiter in Sole considerantur tria, Solis substantia, radius à Sole procedens, calor ab vtroque exiens. Ista tria in Sole considerantur, & sunt in vna Solis substantia, Sol ad nullum, radius de Sole nascitur, calor ab vtroque progreditur: tam radius quam calor coæuus est Soli. Tres ergo sunt, Sol, radius, calor, in vna tamen substantia sunt. Similiter, Pater & Filius, & Spiritus sanctus, sunt in vna deitatis substantia, Pater à nullo, Filius à Patre, Spiritus Sanctus ab vtroque Pater æternus, Filius & Spiritus Sanctus coæterni Patri.

CAPVT VI.

Opinio Iudæorum, qui dicunt quod lex Mosaica non est abolita, sed adhuc est obseruanda.

INtendunt etiam probare, legem Mosaicam non esse abolitam, sed adhuc esse obseruandam in hunc modum: si lex bona est, & à Deo data est, obseruanda est, nullum enim aliàs decretum obseruandum, si Dei mandatum non obseruandum. Quod si partem Christiani excipiunt, & aliam obseruandam esse dicunt; dent nobis consilium, quomodo illud effugiemus maledictum; *(a) Maledictus homo qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in lege.* Legislator nihil excipit, sed vniuersaliter omnia mandata obseruari præcipit; Christiani autem ad suum arbitrium, legis & mandatorum obseruantiam determinant.

CAPVT VII.

Determinatio Præmissorum.

AD hæc respondemus, legem esse bonã, & à Deo datam dicimus, ac ideò, quid quid in ea scriptum est, diuino sensu intellectũ, suis temporibus obseruatum & obseruandum esse sentimus; ea verò diuino intellectu intelligenda erant, quæ si ad litteram accipimus, multa sibi repugnantia videmus. Cum enim Moyses dicat, *(b) Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona*, quid est quod in lege quædam dicantur munda, quædam immunda? Ad litteram quidem non est immundum, quoniam est valdè bonum: nec solum ea prohibentur in lege, quæ sui naturâ nociuâ sunt homini ad vescendũ, verũ etiam quæ gustu iucunda, & æque salubria ad comedendum existunt. Aliquid ergo sacramenti hæc in se continent, quæ licet à Deo dicta sint, tamen à se inuicem ad litteram omninò dissident. In exordio autem, inter alia præcepta, de faciendo altari Dominus Moysi ibi ita præcipit: *(c) Altare de terra facietis mihi*: in sequentibus autem legitur sic: *(d) Fecit itaque Moyses altare thymiamatis de lignis Sethim.* Et alibi: *(e) Fundauit Bases æneas in introitu Tabernaculi.* Multum itaque aduersum videtur, vt aliud & aliter quam Dominus per Moysem iubet, ab ipso Moyse agatur. Aliter ergo quam littera sonat hoc accipi oportet.

Item, ad litteram quomodo stare potest, quod Deus prohibet, *(f) ne homo aret in Boue & Asino?* Onus aliud quodcunque tibi placet Asino imponere, non vetat lex, & ponere iugum cum Asino, quasi non licet, cum ad pascua bouem cum Asino ducere licet, in pascuis simul esse, & compasci permittit lex, & arare simul prohibet, & interdicit. Si autor propterea hæc vetat, quia hoc animal immundum esse perhibetur, cur non etiam arare bouem cum equo vel alio animali immundo prohibetur in lege, hanc non solum in ijs quæ dicta sunt mandatis, sed etiam in pluribus alijs legalibus cæremonijs contrarietatem videmus, nisi ea compe-tenti

(a) *Deut. 27. v. 26.* (b) *Gen. 1. v. 31.* (c) *Exodi. 20.* (d) *Exodi. 37.* (e) *Exodi 26. & 27.* (f) *Deut. 22. v. 10.*

tenti sensu intellexerimus. Discreto itaque & diuino sensu hæc intelligenda sunt & discutienda. Si vero legem debito sensu accipimus, omnia legis mandata debitâ obseruatione obseruare poterimus; quædam ad litteram, & sine vllo figurarum velamine dicta esse accipiendo, quædam ad figuram, & profundo velamine obumbrata esse intelligendo: quædam ad tempus obseruari iussa sunt, quædam sine vlla temporum determinatione. Quæ enim alicuius Sacramenti prænunciatiua erant, & veritatis figuram faterentur, suo tempore, manifestatâ rei atque veritatis præsentia, oportuit vt eorum nō remaneret prænunciatio & figura. Nam sicut ipso suo loquendi sensu vtimur verborum vicissitudinibus, dicendo, erit, quamdiu futurum est ipsum quod erit; prorsus omittentes in præsenti, & assumendo, est; cumque ipsum iam præterijsse significantes, vtimur, fuit. sic in rebus prænunciatiuis alicuius Sacramēti, vbi præsens manifestatur Sacramentū, ei es iā superfluè seruaretur figura, seu signum. Quæ alicuius ministerij significatiua non erant, sed seu fidei veritatem insinuant, seu charitatis ædificationem commendant, ea à Iudæis & Christianis, non ad tempus, sed in perpetuum seruanda sunt, eorumque transgressio nullatenus potest mala non esse.

Capvt VIII.

Opinio Iudæorum, qui dicunt quod diuina sanctiones vt tunc, non sunt mutandæ.

ITtem Iudæi sic opponunt: si Sermo Dei ad tempus seruandus est, eoque sermone annihilato, alius alio tempore obseruandus est, sicque per temporum vicissitudines diuinæ sanctiones mutantur, quo pacto ratum erit quod dicitur, (a) *In æternum Domine permanet verbum tuum?* Et illud, (b) *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt?* (c) Quid autem interest, cur Deus hoc animal immundum iudicet, illud autem mundum? Hoc vti permittit, illo vti prohibeat? (d) *Quis enim audiuit sensum Domini aut quis consiliarius eius fuit*, vt illud agi permittat, illud fieri prohibeat? Iussis obsequendum est, & ei obsequi summa virtus est: prohibuit fieri, ergo non licet, ideoque si postea fiat, peccatum esse, ac dignum pœna debita puniendum: vt ergò seruemus litteram, figuras contemnamus; litteram, vt seruemus alterum. Quæ ratio ergo est damnare alterum? Seruemus ergo litteram, seruemus & litteræ figuram: maneat paruo sensu nostro littera, maneat etiam & addatur spiritualis (si concessa sit nobis à Deo) mysterij latentis intelligentia. (e) *Abstineamus à porco, quia lex iubet*, abstineamus & ab eo, si quid est quod per porcum significatur peccatum; non aremus in Boue & Asino, quia legislator prohibuit, & si aliqua intellexerimus per Asini & Bouis copulam, fas est vitare, imò peccatum est non euitare. Ita & de cæteris. Ita enim lex adimplenda esse censetur, & adimpletur.

Capvt IX.

Solutio Præmissorum.

AD hæc dicimus, quod sermo diuinus nullo modo annihilatur, diuinæ sanctiones non mutantur; (f) quia Christus non venit soluere legem, sed adimplere. Vndè ipse ait: (g) *Amen dico vobis, Iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.* Non igitur vult eam soluere, sed adimplere. Lex prohibet homicidium, Christus iram & odium: lex prohibet adulterium carnis, Christus & ipsum appetitum cordis. Nobis

(a) *Psal.* 118. v. 89. (b) *Marci* 13. v. 31. (c) *Matth.* 24. (d) *Isaia* 40. v. 13. (e) *Leuitici* 11. v. 7. (f) *Matth.* 5. (g) *Ibidem*, v. 18.

Nobis lex prohibet vti carne porcinâ, & ea tunc abstinentia nobis necessaria erat, quoniam veritatis futuræ figura erat, & figura seruanda erat, donec adesset ipsa veritas; nunc autem nobis necessaria non est, quandò ipsa veritas figuræ iam præsens adest: quamuis abstinere liceat, & multi nostrorum abstineant, non solum ab eâ, sed ab omni carne, & vno & eodem Iudice se nostrum quisque tuetur. (a) Moyses carnem suillam appellauit immundam, vti eam prohibet, & propterea dicitis, vti ea non licet: Moyses non alius, sed idem ipse carnem suillam dicit mundam & valdè bonam, & eam ad vescendum sicut cætera, scribit Deum fecisse bonam, & ideò dicimus quia vti ea licet. Postquã enim denunciauit Deum fecisse omnia, & Pisces maris, & volucres cœli, & cuncta animantia terræ, in quibus est anima viuens, non longè infrà, subdidit: (b) *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Quod valdè bonum est, nulla ex parte malum est, quod vero nulla ex parte malum est, quomodo malum & immundum est? quidquid ergo in carne suillâ est, non malum aut immundum, sed mundum & valdè bonum est, atque vti licet. Quia vero per hoc animal voluptas & immunditia figuratur, immundum propter hoc animal esse iudicatur, & eâ immunditiâ vti non licet. Si ergò mundum & immundum esse animal intelligitur, & eo vti, & non vti nobis permittitur. Eadem ratione licet & asino arare, & prohibetur ne aremus in Boue & asino. Qui ergo terram colit, aret in boue & asino, si melius non potest, quia Deus permittit, qui hæc omnia humanis vsibus creauit. Sed Bos qui vngulam findit & ruminat, ad excolendam terram omnino idoneus, Rectorem Ecclesiæ signat discretum, in his quæ agit sensum habentem, qui mandata Dei meditatur, ac meditando apud se ruminat die ac nocte, non solum sibi vtilem, sed etiam alijs. Huic non est associandus alter moribus indiscretus, sensu Idiota, & literis imperitus, quia non solum verbo est inutilis, sed suo prauo exemplo alijs nociuus existit.

CAPVT X.

Quibus Authoritatibus & rationibus probatur, quod Lex quantum ad litteram, mortua sit.

QVod autem vetus Lex in desuetudinẽ abierit, authoritatibus & rationibus potest probari. Ait enim Dñs per Prophetam, (c) *Consummabo Testamentum nouum super domum Iuda, & super domum Israel.* Quid vocauit nouum testamentum, nisi legem Euangelicã? qua superueniente, vetus dicitur cessare, quia simul seruari non potest vtraque: adueniente enim veritate, dicitur vmbra cessare. Item, Dauid ait in psal: (d) *Quoniam si voluisses, sacrificium dedissem vtique, holocaustis non delectaberis.* Et Isaias: (e) *Sacrificia vestra odiuit anima mea.* Item: (f) *Sacrificium & oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi. Holocaustum & pro peccato non postulasti, &c.* Et alibi: (g) *Non in sacrificijs tuis arguam te, holocausta, &c.* (h) *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis Hircos.* Videmus etiam apud Iudæos in magna parte cessare quæ ad legem pertinent: non enim est apud Iudæos Sacrificium, vel hostia, non Propheta, non Lex, non Sacerdos, non templum, non locus Sacrificij, & quid opus ire per singula? in maximâ parte abolita est Lex: videtur ergo quod Lex locum non habeat. In Sehale etiam loquitur Helyas, quod mundus duraturus est per sex millia annorum, & duo millia fuisse vanitatis, quod refertur ad tempus quod fuit antè legem Mosaicam, duo vero millia

(a) Leuitici. 11. (b) Gen. 1. 31. (c) Baruch, 2. v. 35. (d) Psalm. 50. (e) Isaiæ 1. (f) Psal. 39. (g) Psalm. 49. v. 8. (h) Ibid. v. 9.

millia legis Mosaicæ, sequentia duo millia, Messiæ. Sed manifestum est, plusquam quatuor annorum millia transisse; ergo manifestum est, legem transijsse, & Messiam venisse.

CAPVT XI.

Quibus rationibus muniti Iudæi, probant Messiam non venisse.

PRobant etiam Iudæi Messiam non venisse, in hunc modum: ait Isaias: (a) *Erit in nouissimis diebus mons domus Domini præparatus in vertice montium, & fluent ad eum omnes gentes, venite & ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob.* Si autem iam Christus venit, vbi in toto Orbe terrarum nisi apud gentem pauperculam Iudæorum, dicitur, ascendamus ad montem Dei Iacob? Alij enim dicunt, eamus ad domum Petri, alij ad domum Pauli, alij etiam, ad domum Martini, sed nullo modo ad domum Dei Iacob. Audiunt adhuc Christiani de Aduentu Christi sequentia: (b) *Et conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces: non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltra ad prælium.* Nunquid Ordo Militaris iam conflat gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces? vix Fabri sufficiunt, vix ferrum sufficit armis militaribus fabricandis. Vbi terrarum inueniri potest, non leuabit gens contra gentem gladium? gens contra gentem effusis viribus præliatur, regnum aduersus regnum excitatur, ab ineunte ipsa puerilitate quisque ad prælium exercetur. Constat ergo, quod Christiani aliter longè de Christo & de aduentu eius quam verum sit, credant.

CAPVT XII.

Solutio Christianorum.

AD hæc respondentes, dicimus, quod iam venerunt illi dies nouissimi, in quibus præparatus est: *Mons Domini in vertice montium.* Mons ille, Christus est, in quem iam vniuersi fines terræ credunt, iam adorant in conspectu eius vniuersæ familiæ gentium, & vna concordi voce dicunt, (c) *Eamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob*, id est, ad domum Dei quem coluit Iacob, quem coluit Aaron, ideo ostenditur vnum Deum esse, & eorum qui ante legem fuerunt Fidelium, & eorum qui sub lege extiterant, & eorum qui nunc existunt credentium in Deum. Quod autem arguunt nos super hoc quod dicimus, eamus ad domum Petri, ad domum Pauli, ad domum Martini; nullus qui sanè sapit, hoc ita dictum intelligit: nullam quippè domum Petro vel Paulo facimus, sed in honore atque memoria Petri seu Pauli, eam Deo dedicamus, nec vlli Pontifici dicere fas est in consecratione ecclesiarum; tibi Petro vel Paulo hanc domum consecramus, sed potius dicitur Deo consecrari. Et quamuis vniuersæ ecclesiæ Deo consecrentur; tamen vna est domus Dei, vna Dei Ecclesia, quæ est, omnium fidelium Conuentus.

Ad hanc domum Dei accedit, qui de veritate Ecclesiæ est; in hac domo Dei adoratur mons montium, & Christus, Sanctus Sanctorum. Hic peccata remittuntur; non solum homicidium prohibetur, verum etiam ira & odium tollitur; vti gladio & lancea non permittitur, quia qui renunciat iræ & odio, fas illi est vt renunciet lanceæ & gladio: multo quippe facilius est conflare gladium suum in vomerem, & lanceam suam in falcem, quam timore cordis submisso, humilere

(a) Isaie 2. v. 1. & 3. (b) Ibidem. v. 4. (c) Supra.

humilem fieri ex superbo, seruum ex libero, abnegare vxorem, domum, filios, agros, arma, equos, & omnia quæ possidet, ad hæc, vt seipsum abneget. In hac domo Dei adimpletur quod per Isaiam dicitur: vitulus, Leo, ouis, simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos. Paruulus Leonem & Vrsum minat cum agno cum in domo Dei Pastor, id est Prælatus, Nobili & ignobili, potenti & impotenti, forti & infirmo imperat, puer non sensu, sed malitia paruulus.

Quod autem Christus iam venit, varijs authoritatibus probatur: ait Iacob: (a) *Non auferetur Sceptrum de Iudâ, nec dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.*

Sensus est, quod Reges vel duces Israelitici populi de tribu Iuda descendentes, duraturi erunt, vsque ad aduētū Christi, qui est expectatio gentium. Regis fuerunt in Israel de tribu Iuda, à Dauid vsque ad Iosiam, posteà duces, vsque ad Natiuitatem: sed tempore Natiuitatis Christi, regnauit alienigena, Herodes, nec posteà ducem vel Regem habuerunt Iudæi de tribu Iudâ: ergo Messias venit.

Idem manifestè ostenditur ex verbis Danielis; in [illegible] enim capitulo vbi introducitur Gabriel loquens ad Danielem in hunc modum, (b) *Septuaginta Hebdomades abbreuiatæ sunt super populum tuum, & super vrbem tuam sanctam, vt consummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur Iustitia sempiterna, & impleatur visio, & Prophetia, & vngatur Sanctus Sanctorum, scito, & aduerte ab exitu sermonis, vt iterum ædificetur Hierusalem vsque ad Christum ducem, (c) Hebdomades septem, & Hebdomades sexaginta duæ erunt.* His verbis, Christi incarnationem designat Angelus, qui legem & Prophetas impleuit, peccata tulit, & iustitiam adduxit, & vnctus est oleo lætitiæ, (d) præ consortibus suis; & proponit Hebdomadas non dierum, sed annorum, vt septem anni sint hebdomada vna; abbreuiatas verò dicit, vt intelligamus annos Lunares, qui breuiores sunt Solaribus, vndecim diebus. Septuaginta ergo hebdomadæ annorum Solarium, faciunt annos quadringentos septuaginta quinque. Et vero, ab exitu Sermonis vt reædificetur Hierusalem, vsque ad Christum ducem, fluxerunt anni Lunares quadringenti nonaginta; numerantur autem, à vigesimo anni Artaxerxis, in quo Nehemias Pincerna eius impetrauit ab eo, vt restituerentur muri Hierusalem, & restituit eos in multa angustiâ. Ab illa inquam licentia à Rege acceptâ, & vsque ad Christi passionem, fluxerunt anni Lunares quadringenti nonaginta; & hæc summa annorum computatur, secundum annos Regum qui descenderunt, vsque ad octauum decimum Tiberij Cæsaris, & statim desolatio. Intercidit Daniel modicum de ædificatione factâ per Nehemiam, dicens, & rursus ædificabitur platea, & muri in angustia temporum, de septuaginta Hebdomadis superauit Daniel vltimam dicens: confirmabit autem pactum hebdomada vna; quod intelligendum est, de tribus annis & dimidio quibus prædicauit Christus, & quod Patribus promiserat confirmauit. Nam iam tres anni & dimidium vnius hebdomadis nouissimè præterierant, quando baptizatus est Dominus, & in dimidio eiusdem hebdomadis residuo, circa finem, deficiet hostia & sacrificium, id est, veniente veritate cessabunt vmbræ, & in templo erit abominatio desolationis; id est, abominanda & desolanda erunt sacrificia post mortem Christi, & vsque ad finem mundi durabit hæc desolatio. Suprà posuit Daniel tempus mortis Christi, dicens, & post Hebdomades septuaginta duas (subaudi, & septimam & nouissimam, quam in duas partes diuisimus) occidetur Christus, & non

(a) *Gen. 49. v. 10.* (b) *Danielis 9. v. 24.* (c) *v. 25.* (d) *Exponitur locus Danielis.*

non erit populus qui eum negaturus est. Dixerunt enim, non habemus Regem, nisi Cæsarem. Et alibi, hunc nescimus vndè sit. Quod vero sequitur, & ciuitatem & sanctuarium Dei dissipabit populus, ad septuaginta hebdomades non pertinet, sed Propheta de tempore Aduentus & mortis Christi prophetauit, quid venturum erat Populo qui noluit eum recipere dicens: & dissipabit ciuitatem & sanctuarium populus Romanus cum duce suo venturo, & finis erit vastitas, & post finem belli, statuta à Deo in æternum desolatio. Ex his, manifestum est Christum iam venisse.

Quæro etiam à Iudæis, pro quo peccato in tantâ miseriâ sint constituti, & in tam diuturnâ captiuitate detenti? Antiquitus enim captiuitas eorum vel per septuaginta annos, vel Paulo amplius legitur prolongata fuisse, peccatis eorum exigentibus, sed pænitentiâ ducti, à captiuitate liberabantur: At, post passionem Christi, in captiuitate continuè detenti sunt, iam per mille annos & amplius; sed pro quibus peccatis tam diuturnâ captiuitate detinentur, cum non transgrediantur modò legales obseruantias, sicut olim transgrediebantur, nec leguntur vnquam melius legem obseruasse, quam modò obseruant. Restat, quod pro peccato quod commiserunt in Christum, modo puniantur.

CAPVT XIII.

Quibus authoritatibus probant Iudæi Christum non fore Deum.

PRobant etiam Iudæi, Christum non fore Deum, authoritatibus, sic: (a) *Non assumes nomen Dei tui in vanum:* In vanum nomen Dei assumit, qui homini nomen & cultum diuinitatis attribuit: nam si (b) *vanitas est omnis homo*, qui hominem Deum credit, & Deum appellat, homini nomen cultumque diuinitatis attribuit. Item, in lege scriptum est, (c) *Qui fecerit se Deum, occidatur.* Nullus ergo homo est Deus. Præterea, si (d) *nulla est apud Deum transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*, quomodo penes eum potest fieri tanta rerum alteratio, vt Deus homo fiat, Creator creatura, & incorruptibilis credatur esse factus corruptela? Quomodo accipitur, (e) *In principio Domine, terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli, ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent; tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Quomodo idē Deus ipse est, si alteratus, homo potest fieri? Si Deus est immensus, quomodo parua humanorum diuisione membrorum potuit dimensus circumscribi? Si Deus est immensus, & incircumscriptus, quo argumentationis genere dicitur, quia dimensione corporeâ circumscriptus, totus sub angusto vno Matris vtero potuit comprehensus teneri? Adhuc, si Deus est quo nihil maius vel sufficientius cogitari potest, qua necessitate coactus, humanæ calamitatis particeps, tantorum factus est consors malorum? Denique, si Deus factus homo, quomodo stabit quod ipse locutus est ad Moysen, non me videbit homo & viuet? Multum repugnare videtur, vt Deus homo factus sit, & ab homine, vel ipsa matre sua videri non potuit. Absit enim vt aliquid phantasticum circa Deum fuisse credatur.

CAPVT XIV.

Solutio Christianorum.

AD hæc dicimus, quod necessitas maxime fecit vt Deus homo fieret, & per humanitatis suæ mysterium nos redimeret: Rationabile enim fuit, vt sicut per peccatum hominis genus humanum perierat, ita per hominem reduceretur.

(a) Exodi 20. v. 7. (b) Psal. 38. v. 6. (c) Deut. 13. (d) Iacobi 1. (e) Psal. 101.

ceretur ad vitam. Sed purus homo humanum genus redimere non poterat, vt suprà dictum est, quia hominis non est opus bonum, sed Dei: bonum enim quod fit in homine, à Deo est, nō ab homine. Ad hoc ergo vt bonum ageret ex se, oportuit eum esse diuinæ naturæ; ex hoc ergo quod Deus homo fuit, bonum opus facere potuit, & non solum actione, sed etiam authoritate, quo genus humanum potuit redimere. Homo igitur factus est, non id desinens esse quod erat, sed assumens quod non erat, non conuersione diuinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum, dicimus hominem factum. Et sicut anima rationalis & caro propter vnitatem personæ, vnus est homo, quamuis alterius naturæ sit anima, alterius caro: nec anima conuertitur in carnem, nec caro in animam, sed manente vtraque naturâ, personæ conseruatur vnitas. Ita Deus & homo per vnitatem Personæ, vnus est Christus, quamuis Deus nec in hominem conuersus fuerit; nec homo in Deum, sed diuisa sit hominis & Dei natura, indiuisa Dei & hominis persona, conseruetur & adoretur vnitas: neque enim omnia quæ ab aliquo modo fiunt aliud quam erant, desinunt id esse quod erant. In accidentium enim quorundam alteratione, cum homo niger fit albus, seu albus niger, superueniente altero, perit omnino alterum; & cum sit ex inermi factus armatus, vel ex nudo indutus, seu ex induto nudus, nihil prorsus in se sic alteratus homo vel accipit vel amittit. Suscepit ergo Deus hominem in vnitate Personæ, ingenita bonitate sua, non nostra, ex multa necessitate, non sua, sed nostra. Ergo Deus immutabilis secundum quod Deus, mutabilis secundum quod homo; incircumscriptus in diuinitate, circumscriptus in humanitate, inuisibilis secundum diuinitatem, visibilis secundum humanitatem. Et sic non assumitur nomen Dei in vanum, quia Christus non tantum est homo, sed Deus, cui nomen cultusque diuinitatis adscribitur. Nec est recens vel recenter Deus, quia æternus Deus & ab æterno Deus, nec ipse fecit seipsum Deum, quia substantialiter est Deus. Ille enim facit se Deum, qui fingit se esse Deum, cum non sit. Nec est Deus alienus, qui verè est Deus; dij verò gentium alieni dij dicuntur, quia falsò dij nuncupantur.

CAPVT XV.

Quibus Authoritatibus probatur Christum esse Deum.

CHristum autem esse Deum, multæ probant authoritates. Ait enim Hieremias: (a) *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius ante eum: hic adinuenit omnem viam disciplinæ, & dedit illam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo; in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* (b) Item Michæas ait: *Et tu Bethleem Ephrata nequaquam minima es in millibus Iuda; ex te enim egredietur dux qui regat populum meum Israel, & egressus eius ab initio, à diebus æternitatis.* De eodem ait Isaias: (c) *Præpara te Israel in occursum Domini Dei tui.* Et alibi de eodem ait: (d) *Et vocabitur nomen eius, admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, Princeps pacis.* Et alibi: (e) *Propter scelus quidem populi mei percussi eum, non propter suum*, ac si dicat Pater: Permisi quidem Christum pati, nō propter peccatum suum, sed propter populi delicta. Quia verò idem Isaias testatur, (f) *Ipse peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.* Si ergo verum est quod B. Iob testatur, (g) *Non est homo qui non peccet,*

(a) *Baruch* 3. *v.* 36. 37. 38. (b) *Mich.* 5. 2. (c) *Amos* 4. *v.* 12. (d) *Isaia.* 9. *v.* 6. (e) *Idem* 53. 8. (f) *Ibidem, v.* 9. 1. *Petri.* 2. 22. (g) *Iob.* 14, *v.* 4. *secundum versionem LXX. vid. Cyprianum*, 1. *contra Iudæos, & S. Leonem, Serm.* 1. *de natiuitate.*

peccet, nec infans cuius est vita vnius diei super terram. Si verum est quod Dauid testatur: (a) *Omnis homo mendax*: & alibi: (b) *non iustificabitur in conspectu eius, omnis homo viuens*; plusquam homo est, qui peccatum non fecit. Dictus est Christus Emmanuel, id est, nobiscum Deus, hoc est, Deus manens in natura nostra.

CAPVT XVI.

Quibus authoritatibus muniti, dicunt, Christum non esse conceptum de Virgine.

Conantur etiam prædicti asserere, Christum non esse conceptum de Virgine. Ait enim authoritas: (c) *Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Quid per terram significatur, nisi Maria Mater Christi? quæ est huius terræ apertio, nisi Mariæ defloratio? In Ezechiele etiam legitur, (d) *quod clausa porta aperietur Principi.* Quid per Principem intelligitur, nisi Christus, Filius Ioseph? Et de ipso Christo, mater eius ait: (e) *Ego & Pater tuus dolentes quærebamus te.* Præterea, quomodo potest aliqua concipere vel parere, nisi viro cognita? Vbi autem Christiani dicunt, ecce virgo concipiet & pariet Filium, textus Hebræus non habet, Virgo, sed potius, abscondita, vel occulta.

CAPVT XVII.

Solutio Christianorum ad prædicta.

His authoritatibus respondendo dicimus, quod per apertionem non intelligitur defloratio, vel libidinis fœditas, sed conceptionis fœcunditas: aperta fuisse dicitur quantum ad Christi ingressum, non aperta per virum, sed sicut fenestra vitrea dicitur aperiri radio Solis, non per fracturam vel per diuisionem aliquam, sed quia radius eam intrat secundum sui subtilitatem naturæ. Hoc modo, imo subtiliori, dicitur porta clausa aperta esse Principi, quia Christus vterum Virginis, per virginitatem clausum, intrauit ineffabili modo. Christus autem dicitur fuisse Filius Ioseph, quantum ad hominum opinionem, & quantum ad educationem. Secundum quā acceptionē, illi qui alios nutriunt, eorum Patres dicuntur. Verum est, quod sine cognitione viri lege naturæ nulla potest concipere vel parere, sed in miraculis non est quærenda lex naturæ. Illud autem quod Iudæi negant scriptum esse in Isaia, (f) *Ecce virgo concipiet & pariet, &c.* Septuaginta interpretes, viri fide & scientiâ approbati, ita interpretati sunt, & ita interpretari voluit ipse Propheta, dicendo, & scribendo, ecce, abscondita, dicunt, concipiet, & pariet Filium, sed si communi sensu abscondita, id est, domi reclusa intelligitur, & nihil aliud, quid mirum, quid nouum, in eo concepti, & eius mysterij signum esse voluit cum ait: (g) *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum, ecce abscondita concipiet, &c.* Hæc igitur nisi subtilius intelligantur, puerili omninò sensu & inani dicta esse a Propheta considerantur; quod quia credi & dici absurdum est, sensus est: abscondita, id est, ab amore virili & omni contagione peccati conseruata, concipiet. In Syro etiam idiomate, quod affine est Hebraico, Alma interpretatur, virgo; & vbi habemus, virgo, in Hebræo habetur, alma.

CAPVT XVIII.

Quibus authoritatibus & rationibus probatur quod B. Virgo manens intacta, Christum concepit.

Qvod autem gloriosa virgo manens virgo concepit, & sine virili semine, multiplex insinuat

(a) *Psal.* 115. (b) *Psal.* 142. *v.* 2. (c) *Isaia* 45. 8. (d) *Ezech.* 44. (e) *Luca.* 2. 48. (f) *Isaia.* 7. (g) *Isaia.* 7. *suprà.*

ſinuat authoritas, & multiplex etiam ratio. In Ezechiele legitur: (a) *Et dixit Dominus ad me, porta hæc clauſa erit, & non aperietur, & vir non intrabit per eam, quoniam Dominus ſolus ingreſſus eſt per eam, & erit clauſa Principi, Princeps ipſe ſedebit in ea, vt comedat panem coram Domino, per viam veſtibuli portæ ingredietur, & per viam eius egredietur.* Hoc, ad litteram nemo poteſt explere; nam Dominus Deus qui per Prophetam loquitur, ait: (b) *Cælum mihi ſedes eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum.* Et alibi: (c) *Cælum & terram ego implebo.* Si inquam Dominus Deus Iſrael totus vbique eſt, vndè ingreſſus eſt per portam illam, & quo ingreſſus eſt, ſi Deus incircumſcriptus? Quomodo eum in portâ ſedere ad litteram accipi oportet? Quomodo clauſa erit Principi, ſi Princeps ipſe Dominus Deus Iſrael ingreſſus eſt per eam, & ſedebit in eâ: vt comedat panem coram Domino, quem panem, vel cuiuſmodi panem? vndè factum eſt, vel vndè delatum eſt? Comedet Dominus Deus Iſrael, & coram Domino, quis eſt alius ipſe Dominus, vt comedat coram eo panem Dominus Deus Iſrael? Quia ergò ad litteram hæc accipi non poſſunt, per portam, aliud intelligi oportet, vt omnia conſiderentur, & conſiderata fieri poſſe videantur. Dominus ergo Deus Iſrael ingreſſus eſt per portam illam, ad nos egreſſus exijt, quia Deus homo factus in vtero Virginis ex carne Virginis (non aliter ab originali peccato foret immunis) ſicut in pſalmo dicitur, tanquam Sponſus procedens de thalamo ſuo, ad nos homo exijt, atque Hieremia teſtante, in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. Porta hæc erit clauſa, quia viro clauſa erit, nec vir tranſibit per eam; clauſa Principi ſeruabitur, vt per eam ingrediatur, quia Dominus Deus Iſrael ingreſſus eſt per eam; neque enim antè conceptionem & partum mater eius viro cognita fuit, quoniam clauſa porta erit, & vir non tranſibit per eam: neque poſt conceptionem & partum Chriſti, mater eius viro cognita fuit, quoniam clauſa erit, & clauſa ſeruabitur Principi; quoniam & totum hoc Dominicæ incarnationis myſterium ſola virtute diuina ſine humano contagio peractum eſt. (d) *Quod dicit Iſaias, Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum.* Rore, inquit, & nube cæleſti, hoc eſt, ſola creatione, & operatione Dei, ſicut paulò poſt ſubdit: *Ego Dominus creaui eum.* Aperta eſt terra, id eſt vterus Virginis, & protulit Saluatorem. Princeps ipſe ſedebit in ea, quoniam in ea quoque humanitate quam Chriſtus pro nobis aſſumpſit, omnia ſibi ſubdita accepit. Item Iſaias ait: (e) *Generationem eius quis enarrabit?* Si eâ lege naſcendi natus eſt Chriſtus, qua alius homo, cur generatio dicitur inenarrabilis? Per hoc ergo quod inenarrabilis dicitur, alius modus naſcendi in Chriſto fuiſſe intelligitur, ſecundum quem ipſe conceptus eſt ſine virili ſemine, Spiritus ſancti operatione; & ſic, mater Chriſto virgo permanens, Chriſtum concepit. Item, ſi Chriſtus conceptus eſt de virili ſemine, & ſeminibus Patris & matris conceptus eſt, in prurigu libidinis conceptus eſt, & ſic in peccato natus: quia omnis in concupiſcentiâ natus, peccato eſt obnoxius. Vnde Dauid loquens in perſonâ humani generis, ait (f) *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.* Et in lege præceptum fuit, vt octaua die puer circumcideretur, vt ab originali peccato liberaretur. vndè ſcriptum in lege; (g) *Homo qui octaua die circumciſus non fuerit, peribit de populo ſuo,* (h) ſubaudi, æternaliter. Et alia authoritas dicit, quod infans vnius diei non eſt ſine peccato. (i) Sed, ſi Chriſtus ſicut quilibet alius in iniquitatibus conceptus eſſet, & in

(a) *Ezechielis* 44. *ſuprà.* (b) *Iſaia* 66. 1. (c) *Ieremie* 23. *v.* 24. (d) *Iſaia* 45. *ſuprà. Iſaia* 53. (e) *Pſal.* 50. (f) *Exodi* 48. (g) *Leuit.* 12. (h) *Iob,* 14. *v.* 4. *ſecundum LXX. Interpretes.*

& in peccatis mater eum peperisset, quid ab alio differret? quomodo liber inter mortuos existeret solus? quomodo generatio eius inenarrabilis diceretur? Sed generationem eius ideò obstupuit, & inenarrabilem dixit Isaias, quia neque in iniquitate mater eum concepit, neque in peccatis peperit; & ideò inter mortuos liber solus extitit: ergò, quia sine peccato conceptus est, sine virili semine conceptus est, & sic mater eius eum sine peccato concepit; ergo cum virum in concipiendo non cognouit, in concipiendo, virgo permansit. Et ideò quia Christus fuit sine peccato; hominem potuit liberare à peccato. Et quia omnis homo obnoxius erat peccato originali & pro præuaricatione primi parentis alto Dei decreto, post mortem, anima descendebat ad inferos; oportunum erat vt per Christum ab inferis liberaretur genus humanum, & per Christum in cælum reuerteretur.

Capvt XIX.

Quibus authoritatibus probatur quod omnes antè Christi aduentum ad inferos descendebant, & quod necessarium fuit ad reducendum genus humanum, vt Deus hominem assumeret, & sibi mortem subijceret.

QVod autem omnes animæ antè Christi aduentum, ad infernum descendebant, multiplex probat authoritas. Ait Iacob: (a) *Descendam ad inferos lugens Filium meum.* Et alibi ad Filios suos ait: (b) *Deducetis canos meos cum dolore ad inferos.* Vndè B. Iob, cui (domino teste) (c) *Non erat vir similis in terra: infernus domus mea est, & in tenebris straui lectulum meum.* (d) Tamen, liberationis spe erectus, paulo post addidit: (e) *Scio quod Redemptor meus viuit, & in nouissimo de terra surrecturus sum, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum.* Qui Redemptorem testatur, venundatum siue captiuatum sese, & redemptum esse non inficiatur. audi & Beatum Dauid: (f) *Deus redimet animam meam de manu inferi, cum acceperit me*, & acceptam ab inferno animam, & redimendam dicit ab inferno. Vndè & alibi exultans dicit: (g) *Domine eduxisti ab inferno animam meam, saluasti me à descendentibus in lacum.* Cui dicit, eduxisti, sanasti me, nisi ei de quo in alio psalmo dicit, (h) *Iter facite ei qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi*? & quoniam solus super occasum ascendere noluit, audi quid subditur: (i) *Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem, dedisti dona hominibus.* Ezechias quoque moriturus ait: [k] *Ego dixi, in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi.* Et posteà subdit: [l] *tu autem eruisti animam meam vt non periret.* Hæc inquam, spes iustorum erat tunc morientium. Nemo ergo in cælum ascendebat, sed omnes qui tunc moriebantur descendebant ad infernum. Ne ergo homo in æternum periret, restitui hominem oportebat; restitui autem non poterat, nisi Deus hominem assumeret, necessitatem nostram subiret, contra aduersarium causidicus noster existeret, & nostræ actionis negotium agens in suadendo, iustæ rationis iudicio aduersarium excutiens, causam nostram finiret. Restituendus itaque Deo erat homo, ac per hominem, qui Deo semetipsum abstulerat. Quis autem de communi massa restitueret, vix enim sibi iustitia cuiusque sufficit, quanto magis & proximo? non est immunis à peccato infans cuius vita est vnius diei super terrā. Quod si nouus, vel aliundè natus homo, seu Angelus factus homo, hominem liberaret, non sic ad pristinum ingenitæ dignitatis statum restitui posset,

(a) Gen. 37. v. 35. (b) Gen. 42. & 44. (c) Iob. 2. v. 3. (d) Iob. 17. v. 13. (e) Iob. 19. v. 25. (f) Psal. 48. (g) Psal. 9. 24. (h) Psal. 97. 5. (i) Ibidem. v. 19. (k) Isaia 38. 10. (l) Ibidem, v. 17.

posset, cum Angelis homo par creatus esset, non natura, sed rationis, & concessa libertatis gratiâ; ergò quia soli Deo creatori obnoxius erat, ad eundem libertatis statum, seu per hominem seu per Angelum restitui non valebat. A quo enim quis à seruitute redimitur, ei ad seruiendū obnoxius esse iudicatur. Quia ergo per alium plena hominis restitutio fieri non valebat, necesse fuit vt creator creaturæ subueniret, creaturam creator subiret, vt per ipsum creatorem homo restitutus, soli creatori ad seruiendum obnoxius esset, & hostis iurisdictionem supra humanum genus amitteret. Nihil ergo in Christo suum hostis inuenerat, qui neque in iniquitatibus conceptus erat, neque in peccatis partus fuerat, neque vllam prorsus peccati maculam viuendo contraxerat. Quià ergo præsumptio fuit iniusta, cum mors inuasit eum in quo nihil reperit, & in quo nihil omninò iuris habebat, iure amisit eam iurisdictionem, quam peccato primi Parentis, in hominem primum, eiusque posteritatem obtinuerat. Mors itaque Christi, peccati originalis apud Patrem hostia & propitiatio fuit. Primo, quod humani generis plena & integra restitutio extitit, reseratus est in eius obitu paradysi aditus, remotus est ille gladius versatilis & flammeus, cum in crucis patibulo moriens, & affixus, ait ad Latronem: (a) *Hodie mecum eris in paradyso.* Tunc quoque adimpletum est, quod dictum est in Oseâ: (b) *O mors ero mors tua, morsus tuus ero inferne.* Igitur illius restitutionis nostræ Sacramentum in Prophetis habebamus promissum, aliquando per rerum figuras, aliquando per verborum ænigmata; aliquando euidenti & apertà promissione. Primis illis temporibus, loquens Deus ad Abraham de hoc Sacramento, ait: (c) *In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ.* Quando nimirum vniuersum genus humanum sub maledictione primi Parentis oppressum, per eum ab illo maledicto absoluitur, & benedictioni atque gratiæ priori restituitur: nam in Isaac gens benedicta non est vlla, nulla gens ditioni eius subiecta fuisse legitur. In Dauid vero & Salomone, qui Regibus terræ illius fortiores & potentiores extiterunt, quomodo gentes benedicentur, cum omnes circumquaque, præter Iudaicam, eis aduersæ, & contra eos semper dimicantes fuere? De successoribus eorum Regno fugatis, captiuatis, exhæredatis, frustrà mentio vlla haberetur. In Christo iam restat vt hæc intelligantur, & intellecta omnibus modis adimpleantur. Alibi etiam dicit Authoritas: *Qui eduxisti vinctos de lacu in quo non erat aqua.*

CAPVT XX.

Quibus authoritatibus probatur, quod Christus passus sit ad nos liberandum, & peccata nostra delendum.

QVod autem Christus passus sit ad nos liberandum, & peccata nostra delendum, multæ asserunt authoritates. Legitur enim in psalmo; (d) *Dominus regnauit à ligno.* Hoc lignum vocatur crux dominica, per quam Christus in nobis regnauit per gratiam. Isaias etiam ait: (e) *Et ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti, & non est ei neque decor, vnde nec reputauimus eum: verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit; ipse enim vulneratus est propter delicta nostra, attritus est propter scelera nostra, disciplina pacis nostræ super eum, liuore eius sanati sumus omnes, nosque oues errauimus, vnusquisque nostrum in viam suam declinauit, & Dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostrum, oblatus est quia ipse voluit, & non aperuit os suum. De angustia & de iudicio sublatus*

(a) *Luca 23.v.43.* (b) *Osea, 13,v,14.* (c) *Gen. 26.v.4.* (d) *Psal. 95.v.10 secundum LXX. Interpretes* (e) *Isaie 53, à versu 2. vsque ad 11.*

tus est, gen rationem eius quis enarrabit? propterea dabit impios pro sepultura, & diuites pro morte sua, eo quod iniquitatem non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, & voluntas eius in manu Domini dirigetur. Hoc totum ad Christũ refertur. Ascẽdebat Christus tanquam virgultum, quando proficiebat ætate & sapientiâ apud Deum & homines. Verè languores nostros ipse tulit, id est, abstulit; & dolores nostros ipse portauit, id est, asportauit. Ipse enim vulneratus est propter delicta nostra, attritus est propter scelera nostra. Et quoniam vniuersa hæc propriâ voluntate non coactus pertulit, idcircò adiecit: oblatus est quia ipse voluit, & non aperuit os suum. Hoc idem assumpta hominis esse videtur, cætera quæ sequuntur, hominem excedunt, & solius Dei sunt: de angustia & de iudicio sublatus est, quia mortuus, ab ipsa morte detineri non potuit, cuius generatio est inenarrabilis. Quomodo enim Deus consubstantialem Filium ex se gignat antè tempora, & semper, quis enarrabit? quomodo prædestinatis temporibus ex matre sine virili semine homo creatus sit, & eum Deus assumpserit in vnitate Personæ, quis enarrabit? Propter scelus quidem non suum, sed populi mei, percussi eum. Quid enim sceleris admisit, qui peccatum non fecit? nec inuentus est dolus in ore eius? Et in psalmo legitur: [a] *Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea.*

CAPVT XXI.

Quibus authoritatibus probatur, quod Christus verè resurrexit à mortuis, & ad cælos ascendit.

DE Resurrectione etiam Christi multa à Sacrâ Scripturâ habemus testimonia. Ait Oseas: [b] *Duobus diebus viuificabit nos, & post duos dies suscitabit nos.* Quod apertius testimonium de passione & morte Christi, & resurrectione? Item in psalmo introducitur Filius loquens ad carnem suam; [c] *Exurge gloria mea, exurge psalterium & cythara, &c.* [d] Gloriam suam vocat Christus humanam naturam suam, in quâ glorificatus est, in qua gloriosa egit. Eandem vocat Psalterium, quantum ad carnis glorificationem, & ascensionem, quia psalterium resonat à superiori. Eandem vocat cytharam, propter passiones quas humana Christi natura sustinuit, quia cythara resonat ab interiori. Et in psalmo ait Christus; [e] *Quoniam non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Et alibi: *Et refloruit caro mea.* De eius Ascensione legitur: (f) *ascendit in altum, captiuam duxit captiuitatem.* Hîc insinuatur, quod Christus ascendit in cælum, & duxit secum animas Sanctorum, quæ prius captiuatæ tenebantur in inferno. De eadem Christi ascensione alibi legitur: (g) *A summo cælo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius.* Et in dialogo Isaiæ, vbi introducuntur Angeli admirantes Christi Ascensionem: (h) *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?* Et in psalmo: *Quis est iste Rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.* Hæc contra Iudæorum errores dicta sufficiant.

Explicat Liber Tertius contra Iudæos.

(a) *Psal.21.v.17.* (b) *Osea 6.* (c) *Psal.56, & Psal.107.* (d) *Psal.15.* (e) *Psal.67.* (f) *Psal.18.v.7.* (g) *Isai.63.* (h) *Psal.23.8.*

INCIPIT LIBER IV.

Contra Paganos, ſeu, Mahometanos.

CAPVT I.

Quibus Authoritatibus & rationibus dicunt Pagani, ſeu Mahometani, Chriſtum conceptum fuiſſe de Flatu Dei communi.

NVnc contra Mahometi, diſcipulos ſtili veſtigium vertamus. Cuius Mahometi monſtruoſa vita, monſtruoſior Secta, monſtruoſiſſimus finis, in geſtis eius manifeſtè reperitur: qui maligno ſpiritu inſpiratus, Sectam abominabilem inuenit, carnalibus voluptatibus conſonam; & ideò, multi carnales eius ſecta illecti, & per errorum varia principia deiecti, miſerabiliter perierunt, & pereunt; quos communi, vulgo, vocabulo, Saracenos vel Paganos nuncupant: qui cum Chriſtianis in hoc conſonant, quod vnum Deum, vniuerſorum creatorem affirmant; in hoc tamen cum Iudæis conueniunt, quod in diuina vnitate trinitatem abnegant. Ad quos confutandos, quæ contra Iudæos de vnitate & trinitate diximus, dicta ſufficiant. Illi non in omnibus Moſaicæ legi concordant, ſed ad ſuum nutum, ab vtraque quædam excipiunt, quæ obſeruanda eſſe aſſerunt; non ratione ducti, ſed voluntate tracti. Illi aſſerunt Chriſtum natum de Virgine, & Mariam Virginem permanſiſſe, & Chriſtum de Spiritu Dei, id eſt, de flatu Dei conceptum fuiſſe. Spiritum autem Dei non intelligunt tertiam in trinitate perſonam, ſed potius naturalem flatum, quem reperimus in homine, & in omni alio animante. Dicunt etiam Deum inſufflaſſe in Beatam Virginem, & ita de illo flatu Virginem concepiſſe. Quod volunt authoritate & ratione probare. Ait enim authoritatis: [a] [illegible] bit *Spiritus eius, & fluent aquæ.* Spiritum illum dicunt naturalem Dei flatum. Et in Geneſi legitur: [b] *Inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ.* Hoc ſic intelligunt: Deus flatu ſuo inſpirauit, vel inſufflauit in corpus Adæ, & ita creatus eſt ſpiritus in Adam illo flatu diuino. Et de eodem flatu intelligunt quod legitur in Euangelio: [c] *Inſufflauit Chriſtus in diſcipulos ſuos, & ait, accipete Spiritum ſanctum.* De eodem item intelligunt, quod dicit Gabriel ad Mariam: [d] *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te.* Et illud, quod Chriſtus dicitur eſſe conceptus de Spiritu ſancto, ex Virgine Mariâ. Ratione etiam idem volunt adſtruere: Virgo Maria per ſe (alio nô mediante) Chriſtum non genuit, nec de virili ſemine eum concepit, nec diuinâ ſubſtantia; ergo de quodam medio inter rationalem creaturam & Deum: ſed quid eſt illud medium ſuprà hominem, & infrà Deum, niſi flatus diuinus, quo inſufflata peperit virgo Maria. Si flatus materialis impregnat terram, & facit eam germinare, quid mirum, ſi flatus diuinus fæcundauit Mariam?

CAPVT II.

Solutio Chriſtianorum ad præmiſſa.

AD hoc reſpondemus, quod illi qui hæc conantur aſſerere, indigent ſenſu, & pænâ, ideo enim materialis flatus non eſt, quia ipſe in incorporeâ ſubſtantiâ eſt, nec habet inſtrumenta flandi vt fauces, &c. Si enim corporeus eſſet, variabilis eſſet nec in omni loco incircumſcriptibilis eſſet. Quod autem incorporeus ſit, probatione non indiget, cum omnis ratio tam humana quam diuina hoc irrefragabiliter affirmet. Flatus ergo Dei, ſiue Spiritus Dei, dicitur Spiritus Sanctus, qui procedit à Patre & Filio, de quo dicitur in Geneſi: *Spiritus*

(a) Pſal 147 v.18. (b) Gen. 2, 7. (c) Ioannis 20. [c] Lucæ 1.35.

(a) *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*, & Chriſti ſpiritus vbi vult ſpirat. Si Spiritus ſanctus animi voluntas eſt, rationalis eſt, & materialis flatus non eſt. Item Apoſtolus ait, quod *Spiritus* (ſanctus ſcilicet) *poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* (b) Chriſtus etiam ait: (c) *Ite, prædicate euangelium omni creaturæ, baptizantes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Hic Spiritus Dei comparatur Patri & Filio, & ita eſt vna in Trinitate Perſona. De hoc Spiritu dicitur: Flabit ſpiritus eius, & fluent aquæ. Quando enim Spiritus ſanctus per gratiam inſpiratur peccatoribus, qui dicuntur aquæ per fluxum peccatorum, aquæ fluunt, id eſt, peccatores conuertuntur, fluunt per fluxum lacrymarum, per pænitentiæ lamentum. Quod autem dicitur Dominus inſpiraſſe ſpiraculum vitæ in corpore Adæ, ſic intelligendum eſt, ſpiritum hominis creando eum corpori hominis infudit. Per hoc autem Chriſtus materialiter inſufflauit in Apoſtolos, ſignatum eſt, quod gratiam Spiritus ſancti infundebat in eos. Superuenit autem Spiritus ſanctus in Virginem glorioſam, quia ei infudit ſuam gratiam. Eadem ratione, dicitur concepiſſe de Spiritu ſancto, id eſt, opere ſpiritus ſancti, non de ſubſtantia ipſius: ipſa enim virgo ſola Dei authoritate, de ſua carne Chriſtum concepit, ſine alterius rei commixtione. Nec alius intelligitur flatus (vt iam dictum eſt) materialis à Deo procedens, rationalem creaturam excedens; quia ſi alius materialis flatus procederet à Deo, aut eſſet eiuſdem naturæ cum Deo, aut non, ſi eſſet eiuſdem naturæ, ergo eſſet Deus, & ita de diuina natura concepit Virgo, quod dictu & intellectu horribile eſt aſſerere. Si ille flatus non eſt diuinæ naturæ, quæritur, cuius naturæ ſit? ſi incorporeæ naturæ eſt, & non diuinæ, Angelus vel anima eſt, cum ſpiritus ſit; & ita B. Virgo de Angelo vel de anima concepit. Si corporalis eſt, non alius quam aër eſſe videtur, & ita abſurdum eſt quod ſequitur, vt dicamus B. Virginem aëre concepiſſe. Quæritur etiam, vtrum ex ſolo flatu facta ſit illa conceptio? Si ex ſolo flatu factus eſt Chriſtus, vel ipſe flatus factus eſt homo, fuit ille flatus vel anima Chriſti, vel vnitas animæ Chriſti: Si fuit vnitus animæ Chriſti, phyſicus fuiſſe videtur: corpus etiam quod Chriſtus habuit, fuit de carne Virginis aut non? Si non fuit de carne Virginis, Filius Virginis non fuit. Vndè ergo originem habuit? Si de Virgine habuit, fuit ille flatus vnitus carni, vt ex illis duobus fieret conceptio, & illo flatu animaretur caro, ad hoc vt Chriſtus fieret homo.

Adhuc nobis obijciunt veritatis inimici, in hunc modum: quomodo Chriſtus fuit Filius Dei, ſi non fuit conceptus de ſubſtantia diuina, vel de flatu Dei?

Ad hoc dicimus, quod Chriſtus ſecundum humanam naturam, fuit Filius Virginis, ſecundum diuinam, Filius Dei, ab æterno natus à Patre ſecundum diuinitatem; in tempore de Virgine ſecundum humanitatem. Quod autem Chriſtus fuit Deus & homo, ſuprà, contra Hæreticos & Iudæos probatum eſt diligenter, & ideò ad præſens his ſuperſedendum eſt. Non ergo ſecundum quod homo, Filius Dei, niſi per gratiam, ſecundum quod Deus, Filius Dei ſecundum naturam. Si enim de diuina natura ſecundum quod homo conceptus fuiſſet, nullo modo variabilis eſſet, nec alius in eo defectus fuiſſet.

CAPVT III.

Opinio Paganorum, qui dicunt quod Chriſtus fuit impaſſibilis, & immortalis.

PRædicti Pagani aſſerunt, Chriſtum immortalem, impaſſibilem fuiſſe, quia conceptus

ceptus

(a) Gen.1.v. (b) Ad Rom.8.v.26. (c) Matth.28.19.

c... tus esse ... i flamine & ideo dicunt, ipsum ... fuisse passum, vel mortuum, nec à mortuis suscitatum: sed asserunt, loco sui alium hominem posuisse, cum Iudæi ... eum crucifigere; quod ita nituntur asserere: si Christus de flatu diuino conceptus est, sicut flatus diuinus incorruptibilis est, ita Christus impassibilis. Præterea, indecens esset Christum de flatu diuino conceptum, & sic quodam modo Dei filium crucis subire patibulum.

CAPVT IV.

Solutio Præ... orum.

AD hoc dicendum, quod Christus secundum quod Dei ... us est, nec passus, nec mortuus, nec suscitatus est, sed secundum infirmitatem humanæ naturæ, quam assumpsit de Virgine. Quia ipse si carnem assumpsit, aut passibilem habuit aut impassibilem? si impassibilem, vndè eam assumpsit, cum omnis caro passibilis esset, si passibilem assumpsit, pari & mori potuit, & ex diuinitatis virtute à mortuis resurgere. Sed caro Virginis passibilis erat, & ex illa passibilem carnem assumpsit, & sic passibilis fuit. Quod autem Christus Dei Filius fuerit, & secundum hoc immortalis, & Filius Virginis, & secundum hoc mortalis, ... superius probatum est; & quod Ch... passus, mortuus, suscitatus, ... probauimus authoritatibus; ... Christus quod mortem subijt secundum carn... , non hoc reputauimus ... sed dignationi, ex summa Dei ... & dignatione fuit, quod Christus carnem assumpsit: mortem subijt, non quod hoc meruit, sed vt à morte nos per mortem redimeret. Si enim Rex alius miserrus serui sui iacentis ... to, lutum intraret, vt ... liberaret, non hoc ad... beretur miseriæ Regis, sed dignationi.

CAPVT V.

Opinio Paganorum, qui dicunt homines in æterna beatitudine cibo & potu materiali reficiendos esse.

DIcunt etiam prædicti Pagani, in æterna beatitudine homines materiali cibo & potu reficiendos esse; quod authoritatibus conantur probare: aiunt enim Deum Iudæis, si benè agerent, promisisse terram fluentem lacte & melle; sed hoc intelligi non potest de materiali terra promissionis, quia non manat lacte & melle, ergò referendum est ad paradysum, in quo Beati reficientur lacte & melle. Et Christus promittens suis æternam refectionem, ait, (a) *Vt edatis & bibatis supra mensam meam in regno Patris mei.* Christus etiam legitur post resurrectionem fauum mellis comedisse, vt per hoc insinuetur, quod homines post resurrectionem reficientur melle.

CAPVT VI.

Solutio ad præmissa.

AD hoc dicendum, quod in æterna beatitudine, non erit materialis refectio, sed spiritualis quia homines spiritualia corpora habebunt, non potu vel cibo indigentia. Quia, sicut attestante Christo, homines in Paradyso (b) *neque nubent, neque nubentur, sed erunt, sicut Angeli Dei*, materialibus alimentis non reficientur, sed erunt sicut Angeli Dei, cibo & potu non indigentes. Et Apostolus ait, quod (c) *esca & potus non sunt regnum cælorum: caro etiam & sanguis Regnum Dei non possidebunt*, id est, alimenta carnis & sanguinis, in regno Dei locum non habebunt.

Ad litteram etiam de terra promissionis intelligi

(a) *Luca* 22. v. 30. (b) *Marci.* 12. (c) *Ad Rom.* 14. (d) 1. *Cor.* 15.

telligi poteſt, quod de terra manante lacte & melle dictum eſt; terra enim illa fertiliſſima eſt. Vel, per terram manantem lacte & melle, paradyſus cæleſtis intelligitur, qui manare lacte & melle dicitur, propter æternæ & internæ refectionis dulcedinem. Menſam etiam ſuam quæ erit in regno Patris ſui, vocat Chriſtus ſpiritualem Beatorum refectionem. Quæ ſpiritualis refectio nihil aliud erit, quam diuina fruitio. Vndè in pſalmo: (a) *De torrente voluptatis tua potabis eos.*

Quæ autem maior inſania, quam aſſerere hæc eſſe Beatorum præmia, eſum mellis, & potum lactis? Suſtinuerunt martyres tot perſecutiones, vt ad has peruenirent refectiones? voluit Laurentius uri, in craticulâ, vt ad hæc perueniret gaudia? Suſpenſus eſt Vincentius in aculeo, vt hoc frueretur cibo? Certè, ſi Deus daturus eſſet ſuis materialia fercula, credo quod elegantiora darêt eis cibaria. Chriſtus autem poſt reſurrectionem non ideo comedit, vt per hoc inſinuaret reſuſcitatis neceſſaria eſſe cibaria, ſed vt per hoc probaretur eius reſurrectio vera.

Capvt VII.

Quod Pagani aſſerunt, quod licitum eſt eis plures habere ſimul vxores.

Dicunt etiam prædicti, licitum eſſe eis plures ſimul habere vxores. Quod nituntur probare authoritate Patrum veteris teſtamenti, qui duas vxores habuiſſe leguntur, vt Iacob, Dauid, & alij multi. Quâ enim ratione eis licitum fuit ſimul habere plures vxores, & non modernis? Sed hoc non aſſerunt niſi vt Luxuriæ ſatisfaciant: tota enim vita eorum in fætore luxuriæ eſt. Itaque, ſit,

Capvt VII.

Solutio prædictorum.

Ad hoc dicimus, quod vna dicitur eſſe vnius; vndè & Dominus vnam dedit Adæ vxorem, & non plures, quod etiam Sacramento deſeruit: per hoc enim ſignificatur, quod vna eſt Sponſa Chriſti, id eſt, Eccleſia. Vndè & Lamech mortaliter peccauit, qui primus plures vxores habuit. In veteri autem teſtamento, licitum erat alicui plures habere vxores ad multiplicandum genus humanum, ad diuinum cultum; tunc terram replebat fæcunditas, nunc autem in nouo teſtamento, cælum debet replere caſtitas. (b) *A tempore enim Ioannis Baptiſtæ, regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Hinc, vt ait Apoſtolus; (c) *quamdiu viuit mulier, alligata eſt viro, vt non poſſit alij nubere; ſimiliter vir mulieri, vt non poſſit aliam ducere*: vndè vir ſi plures habet, adulter eſt: & ſicut vna mulier non poteſt ſimul habere plures viros; ſic vnus vir nec plures mulieres ſimul. Item dicit Apoſtolus, quod (d) *vir non habet poteſtatem ſui corporis, ſed mulier*, & ſic, vir viuente vxore ſua, non poteſt accedere ad aliam. Cum ergò prædicti Pagani dicant Chriſtum fuiſſe magnum Prophetam, quomodo audent verbis eius contradicere, qui dixit mulierem non eſſe derelinquendam niſi cauſa Fornicationis? Ipſi autem multis alijs de cauſis relinquunt vxores.

Sunt etiam quidam inter eos, qui dicunt mulieram relictam à marito, non debere ad eum regredi, donec alter cum eâ conueniat, & ſic præuaricatores legis & Euangelij facti ſunt. In lege enim ſcriptum eſt, (d) *vt ſi quis vxorem ſuam qualibet ex cauſa dimiſerit, & voluerit ad eam quandoque regredi, in ipſius ſit arbitrio, ſi tamen alter eam non fœdauerit; ſi alter eam tetigerit, ab illo in perpetuum prohibita eſt.* In Euangelio tamen licitum

(a) *Pſal. 35. v. 9.* (b) *Matth. 11. v. 12.* (c) *1. Cor. 7.* (d) *Ibidem. v. 4.* (e) *Deuter. 24.*

rem, Vi[illegible], & Leonem. has effiges exſcul-
[illegible], & depingunt; vndè poſſunt, &
[illegible] po[illegible], [illegible] & colunt.

CAPVT XII.

[illegible] Præmiſſorum.

AD hoc d[illegible]mus, quod ſi lex Moſaica prohibui[illegible] null[illegible] modo fieri ſculptile, peccauit M[illegible] qui fec[illegible] imagines Cherubin, & poſu[illegible] in templo: In coronâ etiam, aureâ quæ in terra Philiſtijm detenta eſt, vt aiunt Hebræi ſculpta erant imagines Regum. A ſimili videtur, quòd poſſunt depingi imagines Sanctorū, & imago Chriſti, vt homines per ea quæ vident ad inuiſibilia inuitentur, & per ſignantia, ſignificata venerentur: quia, ſicut ſcriptæ litteræ ſunt Clericorum, ita picturæ laicorum. Legimus etiam in Iſaia, Iſaiam dominum *ſedentem vidiſſe ſuper ſolium excelſum, & Seraphim ſtabat ſuper illud.* Si Iſaias quod vidit imaginariâ vel materiali viſione, vel corporali, voluit repræſentare, non videtur abſurdu[illegible] eſſe, vt redigeret in picturam, quod redegerat in ſcripturam.

Similiter, legitur (b) [illegible] vidiſſe ſimilitudines quatuor animalium, [illegible], leonis, Vituli & Aquilæ: quod [illegible] Ezechiel vidiſſe & ſcripſiſſe, non poteſt Chriſtianus ad memoriam pingere? Competenter ergò mandatum legis accipiendum eſt, imo ſicut ipſe legiſlator declarauit, intelligendū eſt. non, inquit, facies ſculptile, & cauſam demonſtrat, non adorabis ea neque coles. Excluſâ igitur perfidi cultus Idololatriâ, facta ſunt ab eis, & fieri poſſunt à nobis ſculptilia. cælaturas facimus & ſculpturas, ſed diuino cultu nec adoramus, nec colimus eas, nec ipſam crucem factam dicimus quod in ſe, vel ex ſe habeat virtutem, ſed poſtquam benedictione pontificali ſanctificatur in memoriam dominicæ paſſionis, [illegible] crucem, non diuino, ſed debito venerationis cultu attollimus, & colimus. Alio enim modo homo adorat Deum, quam crucem. Deum adorat propter ipſius diuinitatem; crucem veneratur, propter paſſionem Crucifixi. Vt ergo paucis ac breuiter includam verbis, nullam omninò Chriſtianus diuino cultu rei alicuius adorat effigiem; debito tamen honoris cultu ſacras Sanctorum adorat effigies & picturas. In hoc etiam nobis inſultant, quod dicunt nos plures facere Deos, quia plures adoramus Sanctos, vt, Petrum & Paulum, &c. nulla enim debetur adoratio, niſi Deo; qui enim cultum diuinum creaturæ attribuit, Idololatra eſt. Ad illud dicendum, quod illam ſpeciem adorationis quæ debetur Deo, & græcè, dicitur, latria, Chriſtianus non exhibet Creaturæ, ſed eam quæ græcè dicitur Dulia, quæ debetur homini & Angelo. Illa quæ debetur Deo, conſiſtit, in dilectione, oratione, glorificatione, oblatione, vt Deum diligat homo ſuper omnia, offerat ei tanquā Creatori, ſe, & ſua, hunc cultum nemo exhibet creaturæ. Sed homo tenetur diligere proximum tanquam ſe, et exhibere reuerentiam, aliquando vt maiori, aliquando vt pari, benignitatem, aliquando vt minori. Non ergo plures Deos conſtituimus, ſed vnum Deū diuino cultu adoramus.

(a) *Iſaia 6. v. 1.* (b) *Ezechielis 1.*

CAPVT XIII.

Opinio Paganorum, quod neminem debent ſalutare, niſi fuerit eiuſdem Sectæ cum eis.

ILli etiam de quibus ſermo præceſſit, dicunt nullum ſalutandū, eſſe, niſi fuerit eiuſdem ſectæ cum eis. Dicunt enim, quod cum eis non debeant habere participium ſalutationis, cum quibus non ſunt habituri communionem ſalutis: Si enim Excommunicatis non eſt offerenda ſalutatio, multo minus illis, cum quibus nulla habetur communicatio.

Cap. XIV.

Refellitur præmissa opinio.

SEd ipsi sibi contrarij sunt: dicunt enim sibi licitum esse, alterius legis vxorem ducere, quod & antiqui Patres fecisse leguntur, vt Dauid, qui gentilem duxit vxorem, matrem videlicet Absalonis, & Salomon filiam Regis Ægypti. Si enim eis licitum est vxores ducere allenigenas, multo magis licitum est salutare, vel pro eis orare. Isti colant culicem, & degluciunt Camelum. In multis etiam alijs sibi sunt contrarij. Quædam enim ex veteri lege suscipiunt, quædam excipiunt: Similiter, ex Euangelio, & sibi multiplicite contrarij sunt. Hæ sunt Vulpeculæ Samsonis, quæ in caudis fuerunt coniunctæ, in facie disiunctæ, & diuisæ. Illi enim dicunt Christum tantæ fuisse dignitatis & sanctitatis, ac Mahometum, vel etiam maioris, quandoquidem dicant Christum non fuisse mortuum, Mahometum autem asserant defunctum; & etiam manifestum est Mahometum fuisse mortuum, & à canibus deuoratum.

Si Christus non est mortuus, vbi dicent eum esse, in cœlo, & in terra? In terrâ manifestum est eum non esse; relinquitur ergo, quod in cœlo. Sed quando ascendit in cœlum, cum passus, vel mortuum, vel suscitatus, secundum eos, non sit?

Quæritur etiam ab eis, vtrum Christus iudicaturus sit mundum? Nonne legitur in libro Danielis, *quod libri conscientiarum aperientur in die iudicij, & vetustissimus dierum sedebit, & singulos iudicabit? Danielis* 7. Hæc autem innuit in via, vt hoc iudicium consequeretur in patriâ.

Dicant etiam, opinio sua quibus notetur miraculis? Apud eos fiunt miracula per antiphrasim. Relinquitur ergo, falsam esse eorum opinionem, quæ non m[illegible]nitur ratione, vel authoritate.

Conclusio huius Operis.

ERubescant ergo hæretici de falso errore, Waldenses de excogitato dogmate, Iudæi de legis Mosaicæ obseruatione, Pag[illegible] abominabili errore. Conuertantur hæretici ad Catholicam vnitatem, abrenuntiantes prauis dogmatibus; Waldenses prauis pers[illegible] bus, Iudæi obseruantijs carnalibus, Pagani superstitiosis opinionibus, vt sic ad veram vnitatem perueniant, & à verá vnitate fidei, ad veram æternæ beatitudinis vnitatem ascendant. Quod nobis præstare dignetur Iesus Christus Dominus noster, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat [illegible] Deus per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Expli[illegible] qua[illegible]
contra [illegible]
& Pagan[illegible]

Inf[illegible] habet [illegible]

F[illegible]ter extra[illegible] ex manuscripto in [illegible]
C[illegible] asseru[illegible] 18. Martij, 16[illegible]

Franciscus [illegible],
Prior C[illegible]

FINIS.

